

MONUMENTA
ANTIQUA
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
SACRATISSIMÆ VIRGINIS
MARIÆ

Ex variis Authoribus Antiquis tam Manuscriptis, quàm olim impressis, sed qui vix modò reperiuntur.

*Digesta & in unum collecta studio & labore R. A. P. Fr. PETRI DE
ALVA & ASTORGA, Ordinis Minorum, olim Procuratoris Generalis in Curia Romana, & Lectoris Jubilati &c.*

TOMUS SECUNDUS.
NOVISSIMUS.



L O V A N I I,
Ex Typographia Immac. Conceptionis, sub signo
Gratiæ. M. DC. LXIV.

Superiorum permissa.

MOMENTUM

AND

THE

WINDMILL

BY

THE

WINDMILL

NOTICE

TO



BY

THE

WINDMILL

ELOGIA AUCTORUM

TOMI SECUNDI.



DUDOCUS CLICHTOVEUS, Belga, Neoportuensis, Auctor notissimus propter multiplices Elucubrationes, ac libros, quos posteritati reliquit; sæpius impressi fuerunt, de quibus latè in nostra militia. Inter alios conscripsit quemdam Tractatum de Puritate Conceptionis B. V. **MARIÆ**, in duos libros divisum, impressum Parisiis in 4. apud Henricum Stephanum. Primus continet 17. capita, & totidem secundus, cum imagine Conceptionis.

PAULUS DE HEREDIA, Hispanus, celebrem edidit tractatum de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis, inscriptum Innocentio VIII. Pontifici Maximo, Romæ impressus fuit, Anno 1484. divisus in 4. partes; & quia exemplaria sunt valdè rara, ideo denuò typis mandamus.

PETRUS MONTIUS, Doctor antiquus Hispanus, in illo celebri libro de unius legis veritate, & sectarum falsitate, lib. 1. à cap. 24. incipit tractare, & disputare de morte animæ, & corporis; liber impressus fuit Mediolani, Anno 1509. in folio, impensis Joannis Jacobi de Signano.

Item ejusdem Tractatus secundus, sive Opusculum alterum de Immaculata Virginis Conceptione, impressum in 4. Anno 1492. apud Antonium Zarotum, Parmensem, quod consecravit Sereniss. Elisabeth Hispaniarum Regina.

FRIDERICUS NAUSEA, Blanchicampianus, Ecclesiastes Moguntinus celebris, postea Episcopus Viennensis, Auctor satis notus, & famosus propter varia ejus Opera, quæ extant impressa; ex quibus tantum reimpressimus unicum sermonem ex libello, cujus titulus est: *In septem gloriosissimæ Deiparæ V. **MARIÆ** ferias Heptalogus*, ultimò excusus in 8. Anno 1630.

ROBERTUS GAGUINUS, Gallus, Generalis Ordinis Sanctiss. Trinitatis scripsit carmine contra Vincentium de Castro-novo, qui etiam dicitur Bandellus. Liber impressus fuit Parisiis, Anno 1497. in 4. & anno 1617. Scripsit iidem tractatum solutâ oratione ad Fratres sui Ordinis, & alia de retractatione Joannis de Montefono, impressa Parisiis, Anno 1614. in 8. ac etiam linguâ Gallicâ Anno 1525. in folio. Item Parisiis, Anno 1528. in 4. quibus non volui Lectorem privare. Vide Militiam nostram.

NICOLAUS DE BLONI, vel BLONIUS, Italus, Decretorum Doctor, scripsit Sermonale, sermo verò quintus est de sanctissima Conceptione B. MARIÆ Virginis. Extat antiquissimis characteribus liber absque foliatione, impressus Argentinae, Anno 1498. in folio, conscriptum verò videtur opus, Anno 1438. ut colligitur ex sermone 113. cujus antea nullam habebam notitiam.

FRANCISCUS TURRIANUS, Societatis JESU, Hispanus, scripsit Epistolam, seu veriùs Tractatum de definitione propria peccati originalis, ex Dionysio Areopagita. Et de Conceptione Virginis, & Matris Dei sine peccato, ex Scriptura Salutationis Angelicæ, & testimoniis Antiquorum Patrum. Impress. Florentiæ, Anno 1581, in 4. Ingolstadii in Bavaria, Anno 1581. etiam in 4. Item Salmanticæ, Anno 1582. in 12.. juxta quod exemplar recudimus.

MICHAEL BUTZENBACH, Germanus, Monachus Benedictinus, qui vixit circa annum 1440. reliquit egregium Tractatum manuscriptum. Obiit, Anno 1466. propè Moguntiam in Monasterio S. Jacobi sui Ordinis, undè nobis iste Tractatus liberaliter transmissus est.

PAULUS WANSE, vel WANN DE KENRAT, Germanus, Ecclesiastes famosus Passaviensis, edidit Sermonarium, impressum Hagenau, in Alzacia propè Helvetiam apud Henricum Bran, Anno 1512. in folio, in quo habentur tres Sermones de Conceptione, & Auctor vixisse dicitur circa Annum 1474. An verò isti tres Sermones sint Pauli Wanse, an alterius Auctoris, mihi ignotum est: rationem reddo; quia adhuc reperi aliam impressionem in quinque tomis factam Moguntia, Anno 1616. in 8. per Balthazarem Lippium, sumptibus Conrardi Burgenii, Civis, & Bibliopolæ Colonienfis; & in primo tomo, quem Promptuarium Sermonum Festivalium vocat, in ipso titulo dicitur sic: *Instructum laudabilissimis enodationibus profundissimorum Theologorum RR. DD. Pauli Wanse, & Michaelis Lochmayeri*; cumque hujus Michaëlis non specificat Sermones, datus illos sub nomine Pauli Wanse, quia ita absque discrimine in eodem libro extant impressi.

SERMO ANONYMUS, manuscriptus, repertus Colonia in Monasterio S. Martini Majoris. Extat in 4. cum aliis; est Sermo valde doctus, & eruditus, habitus coram Patribus in Conceptionis B. MARIÆ Virginis festivitate.



JUDOCUS CLICHTOVEUS

Neoportuensis, pijs deiparæ virginis
Mariæ amatoribus, salutem in do-
mino æternam.



*P*arentum honorem & gloriam, filij tanto debent studio prosequi, tantâ zelare pietate: ut cum indignum quippiam & indecens illis falsò impingi inurique cognoverint, & molesto id ferant animo:

& objectum illud crimen totis nervis refellere an- nitantur. Quo rectè, bonoque animo, in parentes affecti: Et pro illorum in sua integritate conservando nomine, strennuè militare comprobentur. Siquidem ita priscos legimus, cum quicumque in Dei inhonorationem cedens aut ignominiam, dici aut fieri conspicerent, protinùs vestes suas abrupisse: ut eo argumento se graviter ferre declararent omnium Patri Deo contumeliam fieri. Enimverò Ioram Rex Israël cum accepisset Naaman Syrum leprosum à Rege Syriæ ad se missum ut curaretur à tabe lepræ: scidisse vestimenta sua scribitur, atque dixisse. Numquid Deus ego sum ut occidere possim & vivificare: quia iste misit ad me, ut curem hominem à lepra sua? Sic Caiphas pontifex audiens à Christo Domino nostro qui venturus esset in nubibus cæli cum potestate magna & majestate, quodque Dei esset filius: è sella pontificali exiliens, discidit tunicam suam, tanquam irrogatam (ut putabat) Deo contumeliam perpeti non valens. Sic denique sancti Apostoli Barnabas & Paulus cum

4. Reg. 5.

Matth. 26.

Lucæ 22.

viderent se à Lycanionibus Deos existimari, coronisque & sacrificiis gentilitio ritu propemodùm adorari: Indoluerunt mirum in modum vanitatem illam supersticiosam, & in doloris testimonium vestes suas diruperunt, ut in Actis Apostolicis conscriptum est. Atqui sacrosancta virgo Maria, fidelium omnium mater est pietissima secundum spiritum: & longè quidem veriùs, quàm prima illa parens (quæ Eva dicta est: eò quod esset Mater cunctorum viventium) totius humani generis est genitrix secundum carnem. Quandoquidem ipsa apud Ecclesiasticum de se dicit. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei. Nos verò hujus dulcissimæ matris sumus filij: qui per eam vitæ & salutis æternæ authorem suscepimus, in adoptionem filiorum Dei recepti sumus, revocatiq; ab exilio: regressum in antiquam hæreditatem obtinuimus. Cum igitur à plerisque transacto tempore, nostræ dignissimæ Matri immò Dei parenti illata est gravis contumelia, astruere contententibus quod originalis culpæ tetram labem in ipso sui conceptûs momento contraxerit, quæ cælesti semper puritate & suprâ Angelicos spiritus enituit: debemus nosipsi hanc injuriam matris æquo animo ferre, & comprimentes ora ipsam dissimulare? Nostrumne munus est: apertâ fronte nec coniventibus oculis, his nostræ secundum spiritum parenti illatis probris obistere, ipsamque ab hoc improperio vindicare? Sanè extructum est pauld ante nostra tempora, nescio an suprâ firmam petram, aut potiùs super arenam, castrum novum: In nostræ sacratissimæ Matris opprobrium. Undè venenatâ cuspide mortiferâ vibrantur tela in immaculatam suæ Conceptionis puritatem, instruatque acie impetit candidissimus illius splendor, & atrâ peccati fuligine temerare contendit ipsius frabricator eam: quæ maculæ prorsus est exors, Verùm non vincet ipse (quamvis à vincendo nomen sortiat) inexpugnabilem turrin Davidicam, ex qua mille pendent ad veritatis protectionem clypei. Semper enim & super omnia vincit veritas. Acuenda quidem sunt jacula, paranda rationum

Ipse vincens de castro-novo Canti. 4. 3. Esdra 3.

rationum

rationum machinæ, aptandaque tormenta ad castrum illius novi demolitionem. Pro qua subeunda expeditione, nemo non se promptum & alacrem debet offerre: qui sacrosanctæ virginis reverentiam & venerationem pio cultu studet propagare. Ceterum ut hoc affectis desiderio, atque ad sacram illam militiam se gestientibus accingere, auxiliares suggeramus copias, suppetiasque feramus: hoc Opusculo intemeratam semper sanctæ virginis Conceptionem, & primitivæ labis exortem fuisse, pro virili commostrabimus: ipsum in duos deducturi libros. Quorum prior, rationes ex scriptura cum veteris tum novi Testamenti desumptas, itidem & ex Sanctorum Patrum dictis, afferet: ad comprobandam hanc originis sacratæ virginis puritatem. Posterior verd, adversariorum & oppositam tutantium sententiam rationes Deo adiutore diluet, dissolviet, atque refellet. Quæque ex castro illo novo telajaciuntur in illibatæ virginis sanctitatem: retorquere conabitur, inualidaque, retusa, & imbellia reddere. Verumtamen id unum omnes sibi persuadeant exposco: id operis in nullius hominum sugillationem, repræhensionem mordacem, aut condemnationem à nobis esse susceptum, neque in cujusquam taxationem amarâ aut notam: istam esse paratam editionem, sed dumtaxat ad veritatis elucidationem, & prædicandam amplius dignissime Virginis laudem: quam nemo laudare satis queat. Itaque benigno animo & sine fraternæ charitatis offensione (quam neque nos ipsi in hac elucubratione lædere quoquo pacto intendimus) legantur ab omnibus: que dicenda proponimus. Et ex ea lectione sincerior induatur ardentiorque animi affectus in beatam Dei Matrem: cujus hac in re patrociniū utcumque suscepimus. Ut sicuti est: ita à cunctis celebretur semper sancta, & supersancta. Valete.

JUDOCI CLICHTOEI
 Neoportuensis, de Immaculata
 Virginis Conceptione Tacta-
 tus, Seu libri duo.

Quid peccatum originale, & unde exortum est?

CAPUT I.

QUoniam notio quidnam sit illud de quo suscipitur determi-
 natio, omnis disciplinæ introitus est & principium: & nostrum
 est institutum hoc loco patefacere puritatem Conceptionis
 Beatissimæ Virginis, quòd originalis culpæ omninò fuerit immunis:
 operè precium est ad dilucidiorum eorum quæ pertractanda sunt in-
 telligentiam, quid sit originale peccatum, in ipso Operis vestibulo ad-
 aperire: ne quis ex illius ignorantia, in foribus (ut ajunt) delinquat,
 aut cæcutiens pedem offendat. Itaque secundum antiquam Patrum
 sententiam, peccatum originale est carnis in malum pronitas: ex præ-
 varicatione Adæ in posteros transfusa, atque naturæ prolapsæ ex ge-
 neratione per concupiscentiam, insita. Dicitur quidem originale:
 quòd ab ipsa traducatur origine parentum, & in prolem ex primaria
 naturæ labefactione transferatur. De quo intelligitur illud Psalmi.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater
mea. Siquidem Adam primus parens (ex quo uno fecit Deus omne ge-
 nus hominum: inhabitare super universam faciem terræ) divinâ gra-
 tiâ adornatus, hanc ab ipso creationis exordio accepit restitutum:
 ut appetitus rationi, corpus animæ, & anima Deo promptè subjecta
 fuerit. Neque pro se solo, sed & totâ suâ futurâ sobole hoc à Deo
 gratiæ munus est consecutus: quod tanquam hæditarium bonum ad-
 venturam omnem ex se prolem transmitteret, ubi divino non contra-
 iret præcepto. Hanc autem universalem (ut ita dixerim) gratiam:
 authores justitiam originalem appellant. At postquam creatura facta
 est rebellis per dati præcepti transgressionem: illicò & caro insurrexit
 in

*Quid pec-
 catum ori-
 ginale?*

Psalm. 50.

Actuum. 17.

in spiritum, & appetitus in rationem suscitavit rebellionem. Quoniam exinde decus illud & ornamentum iustitiæ, primæque rectitudinis ablatum est. Successive illius loco obliquitas, in malumque proclivitas: non ipsum tantum authorem inobedientiæ labefactans, verum etiam totam ejus propaginem, nascituramque ex ipso progeniem, perinde atque virus instillatum radici, ramos omnes inde procedentes, & totum arboris fructum reddit venenatum. Atque ex fonte viciati profluentes rivuli: idem contrahunt vicium atque insalubritatem. Eam ob causam maledictio primis à Deo justè irrogata parentibus: in omnes derivatur, ex ipsis lege carnis progenitos. Nisi divina prolem prævenit benedictio, tollens maledictum & sanans infirmitatem. Condemnatio quoque ipsis inflicta: itidem in omnes transit. Et obligatio ad mortem quæ fuerunt obstricti: totam etiam suam posteritatem ex concupiscentia genitam (ubi divina per gratiam non intervenit benedictio) reddidit obnoxiam. Ut jure peccatum illud protoplastorum, universale dixeris: quod omnem hominum successionem obligaverit ad mortem.

Cæterum si morbo aliquo incurabili laborant parentes secundum corpus, ut lepræ aut epilepsiæ: plerumque filij ex nativitate carnis eandem contrahunt molestiam morbi, nascunturque leprosi aut epileptici. Nimirum igitur ex primis parentibus, antiqui serpentis pestiferæ tabe affatis: progignimur eadem contaminati labe ex origine contractâ, & ex parentibus morbidis orimur morbidi. At quemadmodum ex parentum invaliditudine in liberos transmissus corporis languor, non protinus post nativitatem se prodit: sed manet occultus, quoad in majusculam ætatem perventum sit, & tunc lepra, aut epileptica infirmitas manifesto in ipsis deprehenditur indicio. Ita sanè neque hic animi morbus, in ipsis mox natis pueris percipitur: latetque occultus, ut ignis exitialis cineribus adopertus atque sopitus, potentia solum non etiam actu animam infestans. Ast ubi ex ephebis excesserunt, & ad pubertatis perducti sunt annos: vix dicere queas, in quantas concupiscentiarum erumpat ignis ille feralis flammæ. Quantam suscitet tum appetitus in rationem, tum caro in spiritum rebellionem. Tunc enim lex carnis effusis debachatur habenis, & rapido ætatis æstu ebullit in cupiditates, in illecebras & desideria hujus mundi. Quibus nisi quis divinâ adjutus ope valentiùs obluçetur, & enixiùs resistat: in triste decidet præceps viciorum barathrum. Neque tamen solum putetur incommodare hoc originalis peccati contagium (sive

Ephe. 2.

fomitem ipsum dixeris, sive stimulum carnis, legem membrorum, aut tyrannum naturæ, aliove quovis nomine. Nam nomina plura: res eadem) pueris jam ad puberes annos perductis, quinimmo & in ipso conceptionis exordio secum sua affert nocumenta: atque officit plurimum. Nam ipso contaminatos malo inimicos Dei constituit, excludit Dei consortio, & filios iræ, maledictionis atque mortis in ipso conceptus momento reddit. *Eramus enim naturâ filij iræ*: Ut ait Apostolus. Sed quæ inferat detrimenta humano generi, & quo remedio per Christum à nobis sublatum est tam triste malum: ex aliis latius perquirenda relinquimus. Et hæc missa facientes: ad institutum hujus operis prosequendum progredimur.

Argumento ex primis sumpto parentibus: beatam Virginem ostendi puram in Conceptione fuisse.

CAPUT II.

HOc quasi jacto fundamento nostri propositi, ad prænotionem nominis rei quæ de differitur necessariò: animi nostri aggredimur institutum: ostensuri (quantum dederit Deus) sacrosanctam virginem Mariam, gloriosam Dei Matrem, immunem prorsus fuisse originalis contagij, tum sacræ scripturæ autoritatibus atque figuris eam præsignantibus, tum ratiocinationibus naturalibus: verò rationis rectæ lumine subnixis, tum sanctorum Patrum sententiis atque approbationibus. Ne autem indigesta multitudo confusionem legentibus ingerat, rationes adducendas in certum ordinem ac numerum redigemus, earumque materiam digeremus in capita: quo interpolata lectio fastidium levet, respirationemque animo inducat.

Genes. 2.

Sit itaque hæc prima ratio. Primus Adam ex terra virgine & non subjectâ maledictò, formatus est: ut secundum Geneseos caput attestatur. *Fecit (inquit) Deus hominem de limo terra.* Quæ tum maledictioni necdum tuit obnoxia: ob primorum parentum puniendam transgressionem postmodum inflicta. Atqui primus Adam fuit forma & imago secundi, longè perfectioris & dignioris: ut perhibet beatus Paulus ad Romanos scribens. Ergo & secundus Adam, utpotè Christus, etiam ex virgine natus est non subditâ maledictioni. Virgine inquam:

Roma 5.

quam: quæ in sacra scripturâ per analogiam etiam terra dicitur, sed à Deo benedicta. *Benedixisti* (inquit deiloquus psaltes) *Domine terram* Psal. 84. tuam. Qui totus psalmus ad litteram de sacrosanctâ Virgine MARIA intelligitur, quæ terra est fecunda atque salutifera: de qua orta est veritas, & quæ dedit fructum suum toti mundo salutarem. At ubi est præveniens Dei benedictio, locum habere non potest originalis contagio, quandoquidem hæc ex maledictione & condemnatione ortum habuit. Non fuit igitur unquam in ea, labes originis. Alioquin si prior erit formatio primi Adam, qui de terra terrenus est: quàm secundi, qui de cælo est cælestis. Quo nihil absurdius aut magis impium. Fuit enim ille: prævaricationis, condemnationis, exilij, servitutis & mortis author. Hic verò: virtutis, redemptionis, salutis, libertatis & vitæ origo. ille solus homo: hic Deus & homo benedictus in sæcula.

1. Corin. 15

Secunda ratio. Prima Eva, viventium omnium mater secundum carnem, ut dicit Scriptura: sine peccati alicujus sorde formata est de viro, ut figura quædam, typus & imago umbratilis, secundæ Evæ, sacratissimæ scilicet Virginis MARIE, quæ Mater est omnium viventium secundum spiritum. Quidquid autem perfectionis in imagine & vestigio comperitur: idem quoque est in exemplari & veritate, quinimò adhuc amplius. Ergo & beata Virgo fuit exors labis originalis, nisi majorem quis velit ascribere perfectionem & puritatis dignitatem umbræ quàm luci, imagini quàm archetypo, quòd extremæ demeritæ & impietatis est. Quantum enim superexcedat hæc secunda Eva, priorem: audi dicentem Augustinum. Mater generis nostri peccatam intulit mundo: genetrix Domini nostri salutem attulit mundo, Auctrix peccati Eva: auctrix meriti MARIA. Eva occidendo obfuit: MARIA vivificando profuit. Illa percussit: ista sanavit. Adde, quòd illa condemnationem induxit, ista redemptionem, illa mortem: ista vitam, illa dolorem: ista gaudium, illa denique Dei offensionem: ista reconciliationem, illa cælum occlusit humano generi: ista oblatum patefecit.

Augustinus

Quia si quispiam insistat (ut faciunt adversarii) aliam fuisse rationem productionis Evæ, primæ matris omnium, & sacro-sanctæ Virginis MARIE. Illa enim (attestante Scripturâ) ex costâ Adæ à Deo formata est, hæc verò ex nuptiali parentum suorum thoro progenita: & proinde originali maculæ subjecta, ejus contrahendæ prior Eva neutriquam habuit causam & occasionem.

Objectionis solutio.

Genes. 2.

Non

Non imus inficias aliam fuisse productionis rationem unius & alterius, gloriosamque Virginem ex honorabilibus nuptiis & immaculato thoro prognatam. Verùm tamen ex eo non conficitur quòd molitur adversarius. Nempè, si Deus rosæ contulit ut ex spinis nascatur sine spinarum aculeis: cur efficere non potuit quòd beatissima Virgo naceretur speciali prærogativâ & privilegio ex sanctis parentibus secundùm naturæ legem, sine macula originis? Cùm de ipsâ canat Ecclesia, *Sicut spina rosam: genuit Iudæa Mariam*, & in Canticis amatoris æternus sponsus de ea dicat: *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias*. Ipsa certè lilium est puritatis, munditiæ, & virginalis candoris: in quo nullus unquam fuit noxius spinarum peccati aculeus. Itaque quamvis primæ illius maculæ contrahendæ causâ atque occasio, scilicèt productio ex connubiali commercio, beatæ Virgini non abesset: eam tamen impedivit labem, præveniens & præservans Dei gratia. Nam nisi præviâ benedictione, singulari munere præservata fuisset: illam utique corruptelam more aliorum contraxisset. Verùm hæc de re diffusior posteriùs habebitur sermo. Cæterùm non oportet in omnibus, prioris Evæ & secundæ expetere similitudinem & consonantiam: ad conprobandum quod intendimus, sed sufficit illa: quæ secundùm utriusque originis puritatem sumitur, quam non impedit multiplex in aliis ambarum differentia.

Canti. 2.

Genes. 2. Tertia ratio. Postquam prima Eva, ex primo Adam fuit formata: Dixit Adam de ea: *Hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea. Propterea appellabitur nomen ejus virago: quia de viro sumpta est*. Ediverso verò postquam factus est secundus Adam noster de secunda Eva, secundùm humanam naturam: nonne verè secunda Eva nostra de ipso suo Adam, scilicèt Domino nostro, dicere potuit: *Hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea, propterea appellabitur nomen ejus* (ut ita dixerim) *Virgine genæ: quia de virgine Matre verè natus est, & genitus carnem humanam sumpsit*. Non fuit igitur unquam virginea caro MARIE infecta sorde originali. Alioqui Christus ex ea genitus, carnem sumpisset aliquando priùs peccato inquinatam in matre: quod summam ejus majestatem dedecet, & impietatem sapit. Eadem quippe Virginis Matris & Christi caro. Quis oro id æquo ferat animo, aut benignus accipiat auribus: Christum superbenedictum (*qui venit in similitudinem carnis peccati*) eam sumpsisse carnem quæ in matre aliquando fuisset caro peccati? Nonne materna illa lues, in filij postea nati cederet ignominiam: quòd ex carne peccati fuisset progenitus? & sum-

Roma 8.

& summa Deitas ei fuerit carni conjuncta : quæ prius in matre contagia peccati senserat? Facessat hæc impietas : & major assit de divinis sentiendi piæque loquendi reverentia. Fateamur omnes uno ore non minùs Matrem superbeatam in suo ortu habuisse solùm similitudinem carnis peccati: ut ex ea pro suæ majestatis decencia filius etiam sumeret similitudinem carnis peccati, neque tribuamus unquam peccato subjectam extitisse beatæ Matris carnem; ex qua ædificandum erat æternæ sapientiæ domicilium.

*Ex maledictione illata serpenti, & primis parentibus: argumentum sumi puritatis Conceptionis
Beatæ Virginis.*

CAPUT III.

Quarta ratio. Post prævaricationem primorum parentum, Dominus Deus poenam irrogans peccati perpetrati: dixit ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Ipsa Genes. 3. conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo illius.* Quod sanè in nulla muliere completum traditur secundùm omnium sententiam: quàm in sanctissima Virgine MARIA. Evolve quæso veteris instrumenti libros omnes, recense in illis descriptarum illustrium sanctarumque mulierum catalogum: Saram, Rebeccam, Rachël, Raab, Judith, Hester, & cæteras virtute præclaras atque memorabiles, non invenies ullam earum de qua verum sit divinum illud oraculum: quàm gloriosam Dei Matrem & Virginem MARIAM, hæc singulari potentiâ præditam: ut serpentis caput contriverit. Et meritò quidem, nam sicut secundus Adam devicit antiquum serpentem: à quo primus Adam victus fuérat, & id instauravit quod alter destruxerat, ita par fuit, secundam Evam & solam quidem inter mulieres: proculcare pedibus luridi serpentis caput, à quo prima Eva malè persuasa, seducta fuit, ut secunda inter scæminas repararet: quod prior deliquerat, & victrix illius foret hostis: à quo altera superatâ succubuit. Ipsa igitur est illa unica & præcipua mulier: inter quam & serpentem inimicitia à Deo positæ sunt, nec id solùm: sed & inter semen serpentis (iniquitatem scilicèt atque nequitiam omnem; quam inseminat tortuosus ille serpens

pens cordibus hominum) atque illius mulieris semen (Iesum scilicet
Pfalm. 71. Christum superbenedictum: in quo benedictæ sunt omnes tribus &
 & cognationes terræ, & qui verè ex ea carnem assumpsit) inimicitia
 perpetua habentur, nam principem hujus mundi non habentem in
 eo quidquam, eiecit foras. Ipsa igitur mulier, quod (ut dictum est)
Ioan. 12. serpentis caput contrivit: haudquaquam fuit afflata veneno serpentis
 & maculæ originalis. Aliàs non contrivisset ipsa serpentis caput: sed ab
 eo contrita fuisset in suæ conceptionis exordio, & pestifero illius affla-
 tu contacta, more aliorum hominum, & fuisset tunc filia iræ: quæ ma-
 ter est totius gratiæ. Sed quis pietatem religionis synceriter colens
 rectè admiserit: eam aliquando maledictionis fuisse filiam & mortis,
 per quam benedictio & vita mundo restituta est? Quis item in Deum
 pius dixerit eam damnationi & prævaricationi fuisse obnoxiam: per
 quam salus & redemptio, toti mundo innotuit? Absit tanta abur-
 ditas & Scripturis repugnans impietas: à cordibus & ore fidelium.
 Quod si in typo, figuraque conspicerè libitum cuiquam fuerit perlig-
 nificatum id fuisse quod beata Virgo virulentum serpentis caput vir-
 tutis suæ pedibus esset contritura: legat in sacris historiis Jabel uxo-
 rem Abet Cynei, Sisaram principem exercitus opprimentis Israël fi-
 xo per tempora dormientis clavo interemisse. Judith quoque viduam
 castitate memorabilem: caput Holofernis ebrietate sopiti obrun-
 casse, denique & Hester reginam, Aman tumidum est desævientem in
 populum Domini pestumdedisse, usque adè ut fuerit ille tandem
 suffusus patibulo: quod in Mardochei fabricaverat exitium. Et præ-
 claris istis mulieribus præsignatam esse cognoscat eam inter mulieres
 benedictam: quæ totius humani generis hostem protrevit.

Jabel

In. sic. 4.

Indib. 13.

Holofernes

Aman.

Hester. 7.

Quinta ratio. Beatissimam Virginem MARIAM comperimus exemp-
 tam à communibus humani generis & fœminei sexus conditioni-
 bus: in peccati pœnam à Deo inflictis, & miseriam denotantibus.
 Enimverò non in concupiscentia aut voluntate carnis filium Dei
 concepit: sed superveniente in eam Spiritus sancti virtute. Non item
 virginitatis in partu (sicut nec conceptu) passa est detrimentum: sed
 integra permanens & intemerata virgo, fœlici enixu filium suum
 ædidi. Non etiam in dolore prolem peperit ut ceteræ, sed cum in-
 timo mentis & summo gaudio. Non denique in pulverem versa est
 ejus sanctissima caro: sed glorificata per extremam regenerationem,
 & super omnes Angelorum choros in cœlis sublimata, quemadmodum
 in tertio hujus æditionis opusculo id evadet manifestius. Quis igitur
 (nisi

(nisi prorsùs cæcutiens) non videt consimiliter eam à communi lege contrahendi originale vicium esse singularigratiâ exemptam? Nonne multa in eam collata cœlitus peculiaria beneficia : hujus quoque præstiti facere debent fidem? Et cum eam non audeat pius animus dicere post obitum atque obdormitionem in Domino, datam fuisse secundum carnem, escam vermibus: quis nisi impius & irrèverens in Deum, ausit asserere eam in primo suo exortu datam fuisse secundum animam, escam diabolo : & illi per peccatum originis quandoque subjectam fuisse? Nonne validam censebunt dialectici hanc ratiocinationem? Ubi culpa originalis priùs locum habuit : ibidem postea & pœna eidem inflicta comperietur. Igitur ex oppositio rationem convertendo, ubi pœnam originali contagio debitam non offendis : neque ibi culpam ipsam reperiri. Siquidem iustus est Deus : qui neque culpam finit impunitam, neque pœnam cuiquam citra culpam infligit. Atqui in sacratissima Virgine MARIA non fuit pœna, originali peccato illata à Deo atque præscripta; scilicet dolor in partu, & reversio in cinerem atque favillam. Neque igitur culpa (cui destinata fuerat illa pœna) quæ à parentum contrahitur origine : in ea unquam sedem, locumque obtinuit.

*Quod ex arca Noë, arca Mosaica, & tabernaculo
fœderis: comprobatur Beata Virginis in Con-
ceptione puritas.*

CAPUT IV.

Sexta ratio. Arca jussu Domini fabricata à Noë non demersa est aquis diluvij: totam terram & æditissimos montes longè supergressis, sed sola ipsa supernatans ferebatur in sublime. Siquidem quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat, at aquis ipsis excelsior arca supereminebat: secunda periculi, & à discrimine naufragij libera. Sed quæ obsecro est ista arca secundum mysticam intelligentiam: nisi Beatâ Virgo MARIA, arca Deifera? Per quam à naufragio totum genus humanum, & à damnationis æternæ diluvio liberatum est? Quamvis igitur sancti, Patriarchæ, Prophetæ, Apostolici tanquam montes excelsi virtute & sanctitate vitæ, obruti sint aquis &

Genes. 7.

inundatione peccati originalis, tanquam sævi cataclysmi mundo inducti: ipsa tamen arca nostra universos montes istos supergressa, ferebatur etiam in ipso conceptus initio in sublime puritatis, & non est immersa huic voragini fordis originalis. Quocirca de ipsâ non absurdè dicitur illud in Scriptura præconium: *Multa filia congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Sanè filia ipsa, sunt animæ fideles in adoptionem filiationis Dei per gratiam assumptæ. Et hæc quidem præclaras virtutum divitias sibi coacervarunt: hæc pudicitiam, illa paupertatem, alia abstinentiam, & cæteræ reliquas animi dotes. Verùm hæc sola eximia virgo supergressa est universas, quòd cum omnibus sit virtutum ornamentis cumulata: immunitatem insuper originalis contagionis in conceptu habuit, à qua cæteræ non sunt exemptæ; & hæc ejus est excellentia singularis.

Exod. 25. Septima ratio. Exodi. 25. cap. iusta est à Domino arca componi per Mosè ex lignis sethim imputribilibus: in quâ repositum erat manna, tabulæ legis, & virga Aaron quæ fronderat. Atqui arca illa lignea, typus fuit & figura beatissimæ Virginis: quæ reverâ arca est animata, manu Dei summi architecti efformata, in qua reconditum est manna illud verum, panis scilicèt vius qui de cælo descendit. In eadem requievit & legifer noster Christus: qui sacro ore deprompsit legem novam, & Evangelicam non in tabulis lapideis more veteris, sed in cordibus hominum descripsit. Denique in eadem fuit fecunditas & salutiferi æditio fructus sine viri consortio, & cum virginali candore, quæ per Aaronicam virgam prius aridam, & deinde sine terræ humore aut alimento frondentem virtute Dei, & amygdala proferentem: præsignata fuerat. Non fuit igitur in hæc sacratissima arca, nulla unquam putrefactio peccati: aut corruptio originis. Alioqui majoris fuit ornatûs & præstantia, imago ipsa & figura inanima: quàm ejus veritas, quandoquidem illa ex lignis compacta erat putredinem non admittentibus: hæc verò foret peccati inquinamento putrefacta.

Objectionis diluio.

Neque robur habet adversariorum subterfugium: quo dicere possent (ut & alias sæpius dicunt) istas figuras & sanctorum patrum sententias prædicantes candidissimam sacræ Virginis puritatem: accipiendas esse pro eo tempore quo Virgo ipsa facta est Dei Mater, quoniam tunc consentiunt nullam in eâ fuisse tabem peccati, non autem pro tempore sui conceptus: quo fuit in ea (ut ferunt) rubigo peccati.

Nam ipsos percontari velim, an ligna sethim erant dumtaxat imputribilia

putribilia cùm applicarentur ad arcæ, compositionem: an potius suscepta natura etiam ante fabricam arcæ, putrefactionis immunitas? Si id secundum (ut debent) tribuant: cur simili jure non etiam libenter admiserint, arcam ipsam archetypam non modo cum susceptura esset, cœlestem thesaurum, sed & in ipso sui exortus principio: mundam & à peccati putredine alienam fuisse? Certè si noverint ex imagine ad exemplar rectè manuducere mentem: haud magno impendio hoc quoque dinoscant & ultrò concedent.

Exodi. 25.

Octava ratio. Eodem Exodi loco, cap. scilicet. 25. & sequentibus fabricatum est à Mosè jussu Domini tabernaculum testimonij (quòd etiam dicitur tabernaculum fœderis) miro ornatu auri, argenti, lapidum: & contextu artis etiam admirando. Fuit autem id Mosaicum tabernaculum, dumtaxat umbra & imago veri tabernaculi fœderis inter Deum & hominem: beatæ inquam Virginis MARIE, per quam reconciliatio hominis ad Deum facta est, & quam inhabitavit cœlestium mandatorum assertor ac annunciator Christus: natus in mundo ut testimonium perhiberet veritati. Refulsit igitur in prima etiam ipsius tabernaculi vivi formatione, omnis ornatus virtutum & gratiæ in hoc sacrosancto & animato tabernaculo: ut postea illud incoleret Dominus virtutum & rex gloriæ, quo omni ex parte veritas figuræ respondeat, & apta concinnitate exemplar suæ consentiat imagini.

Ioan. 18.

Planè de hoc tabernaculo dicit psalmus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Ubi autem divina adest sanctificatio: eliminata est & exulat omnis peccati immunditia. Et rursùm de eodem divinus Ioannes in Apocalypsi. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Quoniam in ipso factum est admirabile divinitatis cùm nostræ humanitatis formæ commercium.

Psal. 45.

Apoca. 21.

Verùm sueclamabunt in nos adversarij, se ex verbis suprädictis occasionem nactos: quâ nostris nos ipsos (ut ajunt) armis confodiant. Diximus enim modò, Altissimum sanctificasse suum tabernaculum, beatam scilicet Virginem. At sanctificatio (dicunt) est à priori & priùs inexistente macula expurgatio. Fuit igitur in illo tabernaculo priùs quicquam labis: à quo cùm sanctificaretur, est emundatum.

Objectionis solutio.

Quibus ita reddenda est responsio, Si sanctificare dumtaxat denotaret, detersâ priore maculâ sanctum & mundum reddere: robur & momentum haberet ipsorum cavillatio. Verùm alia insuper est ejusdem verbi acceptio: quâ designat sanctum aliquid efformare, & ab omni labe præservare, quomodo suum tabernaculum sanctificavit Altissimus: quoniam in prima ipsius conditione omninò purum & mundum

mundum conservavit, nè ulla ei unquam inhæreret macula. Et hæc posterior sanctificationis ratio: longè potior est & dignior, quàm prior. Siquidem præstantius est, quempiam nè ullâ contaminetur sordē, semper conservare: quàm post iniquationem & contractam maculam, abluere, detergere, & purificare. Quòd si contendant, dumtaxat priorem sanctificationis modum in usu Scripturæ haberi: quomodo igitur Deus pater sanctificavit filium suum, & misit in mundum? Sicut ipse filius, Iudæorum retundens blasphemiam, attestatus est. *Quem Pater (inquit) sanctificavit, & misit in mundum.* De seipso sermonem faciens. Rursùm quomodo Filius Dei seipsum pro nobis sanctificavit? sicut dicit ad Patrem. *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Quandoquidem omnium confessione Filius Dei & idem verus homo, peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius. Neque opus erat ut ab eo per sanctificationem abraderetur scoria peccati. Sicut igitur Pater filium sanctificavit: quia secundum humanam naturam sanctum condidit atque formavit. *Quod enim nascetur ex te sanctum (inquit Angelus ad sacram Virginem) vocabitur filius Dei.* Ita & suum tabernaculum sanctificavit Altissimus: quoniam nè ullâ lederetur contaminatione mali, præviâ benedictione & præcedente gratiâ præservavit mundum, ut non solum sanctificasse suum insigne tabernaculum dicatur: verum etiam præsanctificasse, & antequàm conceperetur prævenisse ipsum in benedictionibus dulcedinis, & exuberantioris gratiæ.

Quomodo ex splendido Salomonis templo, & domo adificata à di-vina sapientia: colligitur propositum.

CAPUT V.

Nona ratio. Templum Salomonis magnifico splendore & apparatu constructum (ut tertij Regum sextum caput cum sequentibus 1. para. 22. refert) toto fuit orbe nominatissimum. *Domus (inquit) Dei quam 2. para. 2. edificare volo, talis esse debet: ut in cunctis regionibus nominetur.* Et rursùm: *ibidem. Domus, quam edificare cupio: magna est, magnus est enim Deus noster super omnes Deos. Quis ergo poterit prævalere: ut aedificet ei dignam domum? Si cælum & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim edificare ei domum?* In eo quoque templo id erat præcipuum: quod nihil fuit

fuit in fabrica illa insigni, quod non auro tegeretur & intus & foris. *4. Reg. 25.*
 Si itaque illud templum postea prophanatum à gentibus, subversum à Babylonis & ambustum, tantum habuit decorem: quantus putas ornatus gratiæ, splendor puritatis & virtutum fulgor, fuit in illo templo veri Salomonis & Domini nostri, ab ipso mirabili sapientiâ condito? An locum in eo potuit habere originalis macula: quod manu Dei fabricatum asservabatur in divinitatis reclinatorium? Si enim *1. Corin. 3.*
 templum Dei sanctum est (ut ait Apostolus) in quo Deus habitat & mansionem facit per gratiam: ut corpus & cor hominis, præparatum Deo per vitæ puritatem hospitium: quanto sanctius illud esse putandum, in quo carnem assumpsit, & per divinitatis plenitudinem habitavit corporaliter? De quo rectè dixeris: *Quod aliud non est ibi nisi domus Dei & porta cæli.* Et rursum, *Hac est domus Domini firmiter edificata, bene fundata est supra firmam petram,* utpotè Christum: *Genes. 28. Luca. 6.* cuius dignissimum fuit sanctuarium, divinâ protectione ab hostili incurso undique circumseptum, ut peccati flagellum illi tabernaculo Dei numquam appropinquaret, nec malum originalis culpæ ad ipsum accesserit. Cæterùm quoniam Christum, verum hîc Salomonem nominavimus: & Salomonis Davidici veritatem, exemplarque, ipsum esse insinuavimus: age videamus paucis quæ sit utriusque conspiratio atque convenientia, quo adducta ratio aptius huic proposito dinoscatur congruere. Salomon in primis pacificus interpretatur, & quamdiu in præceptis Dei ambulavit: regnum suum in summa tranquillitate administravit. Christus autem frequenter à Prophetis rex pacificus nominatur: & pacis ejus secundum Esaiæ oraculum non erit finis. Rursum Salomon insigni sapientiâ reges omnes antecessit. In Christo autem qui Dei virtus est & sapientia, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ (Apostolo teste) sunt absconditi. Denique regina Saba venit ab extremis finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Ad Christi autem Doctrinam ab oriente & occidente ecclesia gentium certatim properavit: & levi mandatorum ejus jugo humilia colla submisit, quinimmodò ut uno verbo concludam omnia: *Ecce plusquam Salomon hic.* *Psal. 90. Esai. 9. Colos. 2. 3. Reg. 10.*

Decima ratio. Sapiens divino repletus spiritu ait in Proverbiis: *Sapientia edificavit sibi domum: excidit columnas septem.* Quod planè verbum de æterna sapientia (quæ Dei filius est) intelligitur: præparante sibi in habitaculum sacratissimam Virginem, quam septiformis gratiæ Spiritus sancti columnis suffulxit. Atqui divinæ majestatis sublimitatem

Psal. 91. tem & puritatem summam attendens Propheta, exclamat: *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Non quidem in solo ipsius Domini in domum illam ingressu: sed & in ipsa domus Domini fabrica, & perpetuò, aliàs minimè in longitudinem dierum extenderetur illa domus Dei sanctitudo. Fuit itaque in illa domo ædificata ab æterna sapientia: omnis sanctimonia, gratiæ copia, cumulatissimusque virtutum thesaurus. Et meritò quidem, quoniam ut *Sapient. 1.* lomon primo sapientiæ cap. testatur: *In malevolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Si igitur sacræ virginis corpus fuit aliquando peccati originalis contagio subditum: quomodo in ea habitavit postea æterna Dei sapientia? Siquidem in supradicto sapientis verbo de increata & sempiterna sapientia fit sermo. Et si donum ipsum sapientiæ non infunditur à Deo animæ malevolæ, aut carnis obnoxiiæ fordibus: quomodo ut humanam assumat carnem vera Patris sapientia, reclinare voluerit in thalamo, putore peccati priùs infecto atque polluto?

Undecima ratio. Industrius architectus animo constituens domum splendidam ac operosam construere: quàm optimè & decentissimè potest eam construit in futurum sibi habitaculum, neque ullam in ea sordem, maculam aut peccatum artis admittit, alioqui vicio dandus esset: neque secundùm artis suæ præcepta ædificium illud erexit. Igitur & supremus artifex hanc singularem domum sibi construens ut habitet in medio ejus: ab omni eam pollutione & corruptela etiam illabefactam servavit. Enimverò id potuit: quia omnipotens est, quomodò itidem id faciendum foret & quare: etiam scivit, quia summè sapiens. Denique idem voluit: quia summe bonus est. Quod si voluit: etiam illud fecit, ut quod fuerit decentissimum. *Omnia enim quacumque voluit: Dominus fecit, in celo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Si enim dederis Deum non id fecisse, domum scilicet suæ divinitatis sacratamque Virginem efformasse mundam in primevo suo ortu: aut impotentiam ei impingis, quia non potuerit illud præstare, aut insipientiam, ignorantiamque: quòd nesciverit, aut malevolentiam negligentiamque: quod noluerit aut non curaverit id ipsum efficere, quod tamen suæ majestati erat congruentissimum. Unumquodque autem horum: extremæ est impietatis.

Ex Canticorum & libri Sapientia testimonio, probari puritatem Conceptionis sanctissimæ Virginis.

CAPUT VI.

DUODECIMA ratio. In Canticis amatoriis sponsus, sibi dilectam sponsam his compellat verbis, pariter & extollit: *Tota pulchra es amica mea: & macula non est in te.* Sed quænam est ista æterni sponsi amica: nisi sacrosancta Virgo MARIA? Quæ præter cæteras invênit gratiam apud Dominum, quam dilexit rex super omnes mulieres: quemadmodum in typo Assuerus reginam Hester hujus figuram, quæ est præparata sponsa filio Dei altissimi: sicut Rebecca ipsi Isac filio Abrahamæ. Non est igitur in ea cujusquam culpæ macula: quare neque labes originalis. Si enim illam originis luem in ea ponis: non totam ipsam esse pulchram confitearis oportet, & maculam illi impingis ac ingeris.

Quod si objicias, suprâdictum canticorum verbum ad litteram intelligi debere de Ecclesia: quam Christus sibi sponsam elegit & consecravit, *non habentem maculam neque rugam.* Quare perperam illud accommodari, & præter authoris sententiam, ad beatam Virginem.

Id ingenuè fatemur, quod assumit objectio: non tamen quod indè colligitur, tribuimus. Nam ferè quæcunque in sacris litteris dicuntur de Ecclesia Christi in Canticis & aliis locis: adaptantur etiam in usu & Officio ecclesiastico sacrosanctæ Virgini MARIE, quæ est Mater Ecclesiæ: ex qua excisus est lapis ille sine manibus, & firma petra supra quam fundata est Ecclesia. Non inconcinnè igitur propter affinitatem ejus & cognationem ad Ecclesiam: à nobis omnibus Ecclesiæ filiis decantandum est cum pio affectu: *Tota pulchra es Virgo MARIA: & macula originalis non est in te.*

Rursùm obganniunt adversarij, tergiversationem querentes, dicuntque illud Canticorum eulogium jam adductum, & consimiles propositiones enunciante sacram Virginem esse immaculatam & intemeratam: solùm referendas esse ad tempus sequens ejus sanctificationem (quam confingunt) in utero materno, emundationemque à labe prius contractâ, quia post hujusmodi (dicunt) sanctificationem: nulla prorsus in ea fuit macula peccati neque originalis neque actualis. Idèd

lis. Ideò contendunt nos ineptè hujusmodi præconia Virginis gloriosæ applicare ad tempus suæ Conceptionis secundum carnem : aut ad tempus infusionis animæ in suum corpus jam formatum, quoniam pro hoc (inquit) tempore, fuit in ipsa sordes peccati originalis.

Verùm cum student Scripturæ veritati pervicaciter obniti, ut suam observent positionem : ipsi sacræ paginæ verba ad sensum trahunt repugnantem, eaque constringunt pro suo arbitrio ad certam temporis particulam : cum tamen sine contractione & discrimine ad omne tempus applicari debeant, non minùs Conceptionis Virginis : quam nativitatis ipsius, aut annunciationis ab Angelo factæ quod filium Dei esset conceptura. Si enim (ut astruunt) solum post sui (quam ponunt) sanctificationem, fuit pulchra & maculæ immunis, non etiam in ipso Conceptionis momento : non igitur tota fuit pulchra quantum ad universam suæ durationis moram, sed partim quidem speciosa post abrasam peccati scoriam, & partim scæda atque labefacta sorde : antequam scilicet expurgaretur, & tunc fuisset invisæ & odiosa Deo : addictaque damnationi. Quo igitur pacto : tota fuisset pulchra : quomodo semper dulcis amica Dei, aut quomodo numquam in ea fuisset macula ? Fateamur igitur suprædictam Virginis laudem & consimiles, immaculatam ipsius puritatem celebrantes : accipi debere non pro unica aut præscripta temporis vitæ ejus portiuncula cum temporis Conceptionis ipsius exclusionem, sed pro toto existentia ipsius tempore : cui etiam includatur tempus sui exortûs atque productionis, quandoquidem hoc ad ampliorém cedit beatissimæ Virginis, & Filij ejus benedicti laudem atque honorificentiam.

Decimatertia ratio. In sexto libri Sapientia capite, de sacrosancta Virgine MARIA id habetur præconiû : *Quod candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis.* Ubi non ab re, nomine speculi dignissima Virgo, quam prædicamus, est designata. Nempe ut speculum objectarum rerum spectra, simulachraque & effigiem intra se recipit : sine fractionis injuria aut disruptione, manet enim prorsus integrum. & totam rei præsentis imaginem verè & citra fucum omnem admittit atque refert. Ita quoque præstantissima Virgo verum Dei filium hominemque factum castissimo concepit utero, suoque complexa est gremio : sine suæ virginitatis oblesimento, naturâ stupente : virginitatem habuit fecunditati mirum in modum conjunctam. Hujusmodi autem mysticum & spirituale speculum divinæ majestatis : sine macula esse in propositis verbis asseritur, quoniam neque in ipso vitæ

exordio neque toto progressu ullam unquam contraxit peccati labem: sed suprâ Angelorum puritatem, intemeratam & neutiquam labefactam servavit munditiam. Idèd tersum est & politissimum istud speculum: quod Deus totius puritatis fons, impollutum & incoquinatum mirificè custodivit. Si solem illi conferas: inferior est, quia interdum sui luminis patitur deliquium. Si lunam: succumbit illa, nam adventitio nonnumquam spoliata lumine; tenebris offunditur. Si denique igniferas stellas ad istud speculum compares: longè minori sunt splendore, nam interdiu hominibus suum fulgorem non reddunt conspicuum: quod clariore solis jubare exterminentur. Hujus verò speculi nitor: ne ullâ quidem sorde contaminari potest; ejus claritas: nullâ obscurari caligine: ejus denique species, nullâ deformitate offuscari, in qua divina sapientia suam dignata est efformare imaginem. Quomodo igitur in illo sine macula divinæ majestatis speculo (in quo nulla fractura, aut corruptela: nulla lues aut sordida nota) tetram ponemus esse labem peccati originalis?

Quod si insistas, id ipsum libri Sapientiæ dictum ad litteram intelligi debere de æterna sapientia, quæ filius Dei est: & non de sanctissima Virgine. *Objectionis solutio.*

Fatemur quidem primum: sed secundum inficiamur. Nam propter consubstantialitatem æterni Filij Dei, quantum ad humanam naturam, cum sancta Dei Matre, conformitatemque & identitatem carnis ab ea susceptæ: quæcunque in Scripturis dicuntur de æterna Dei sapientia, accommodantur itidem secundum Ecclesiæ usum ad beatam Virginem; ut quæ Sapientiæ sexto cap. Proverbiorum octavo, & Ecclesiastici vicelimoquarto differunt de divina sapientia: secundo loco concinnè & congruè attribuuntur & Beatæ Virgini. Proinde de ipsa hoc concinuit præconium. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, Prover. 8. antequam quicquam faceret à principio: ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi: & ego iam concepta eram. Similiter & illud æternæ sapientiæ eulogium. Ab initio & ante secula creata sum, & usque in futurum sæculum non desinam: & in habitatione sancta eoram ipso ministravi. Quia præordinata fuit ab æterno & præelecta à Deo: ut mater filij Dei fieret in novissimis temporibus. Elegit enim eam Deus ante mundi constitutionem: ut esset sancta & immaculata in conspectu ejus, quemadmodum de sanctis à Deo vitam æternam præcognitis; scribit Paulus Apostolus primo cap. ad Ephesios.* *Eccli. 24. Eph. 1.*

Ex Psalmorum & Evangelij testimonio, concludi,
Conceptionis B. Virginis puritatem.

CAPUT VII.

Decimaquarta ratio. Psalmo octogesimo-quarto concinit Propheta, divinatorum conscius mysteriorum, Domino. *Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tue: operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tue.* Ubi (ut etiam jam paulò antè dictum est) per terram, ad litteram intelligitur Beatissima Virgo MARIA: quæ terra est spiritualis cœlesti rore fœcundata, attulitq; fructum suum toti mundo salutarem, de quo ibidem dicitur, & *Terra nostra dabit fructum suum.* Veritas enim æterna, de terra illa orta est: & justitia de cœlo prospexit. Rorarunt tum cœli desuper (ut Esaiæ habet oraculum) & nubes pluerunt justum: aperta est terra illa, divinæ benedictionis infusioni, & germinavit Salvatorem. Sed undè tanta huic terræ fertilitas: quòd tam suavem & præclarum ædiderit fructum? quia benedicta est à Domino: & divinâ benedictione præventa. Sanè terra ipsa materialis antequam maledicto ob prævaricationem subiaceret: spontè protulit fruges, nativæque fœcunditate copiosum produxit homini fructum. At post parentum prolapsionem divino percussa maledicto: spinas & tribulos germinavit, & humano exulta labore: vix bene expectatum & necessarium affert homini victum: haud secus maledicto subiacens terra corporis nostri: spinas curarum & tribulos noxiarum cupiditatum progignit, quia labem contraxit originis. Terra verò Sacrosanctæ Virginis, quinimmò ipsa Beata Virgo, terra fructifera à Deo in æternum benedicta: nunquam sensit maledictum Evæ matris. Quis enim fiet: ut simul eadem terra divinâ præveniatur benedictione, & maledictionem sustineat? Quare neque contagia peccati contraxit: ex maledicto oborientia. Et quis eam quæso dubitet benedictam, cum ab Angelo inter mulieres benedicta prædicetur: & à beata Elizabeth Spiritu sancto repleta, eodem salutetur præonio? Benedicta certè, per quam maledictio Evæ sublata est: benedictio generi humano reddita, cujus benedictionis contemplatione & gratia: captivitas Jacob à Deo est averfa: remissa iniquitas plebis Israël: ad-

opertaque

opertaque ejus peccata; mitigata insuper ira Dei, indignatioque eius à nobis amota. Quæ quidem beneficia à Propheta in fronte adducti Psalmi commemorata: à Deo sunt in humani generis redemptione indulta, cum *terra nostra dedit fructum suum*. Et eadem oppositam prorsus habent conditionem ad illa incommoda: quæ ex maledictione terræ incurrimus, captivitatem scilicet & tyrannidem sathanæ, imputationem peccatorum & detectionem ipsorum, commotionem iræ Dei & indignationem ejus. Uteo indicio manifestè possis depræhendere, Prophetam ibi de humani generis reconciliatione verba facere: per terræ nostræ benedictionem & Dei misericordiam præstita.

Decimaquinta ratio. Cum mulier extollens vocem de turba, Spiritu sancto ipsam incitante, ad retundendam Phariseorum blasphemiam: laudavit Dominum nostrum & sacrosanctam ejus Matrem, liberè & intrepidè, palamque proclamans: *Beatus venter qui te portavit: & ubera quæ suxisti*. Approbavit Dominus noster id insigne laudis præconium: respondens, *Quinimodò*. Ergo divinâ approbatione: reverè beatus est ille thalamus cœlestis sponsi. Qui autem id fiat: si eluvies peccati in eo fuerit unquam? Enimverò nolunt homines in sordidis habitare domibus: munda sibi magno studio quærunt habitacula, in quibus etiam antea actis temporibus nulla fuerint pestiferae luis contagia, quæ si quopiàm in loco grassata fuisse cognoverint, etsi nulla nunc supersint illorum vestigia: refugient ædes illas incolere. An putabimus igitur divinam majestatem (quæ omnem humanam perfectionem supereminenter excedit) impuram sibi domum, & in qua aliquando fuisse peccati sordes, delegisse? Id certè de Deo cogitare: impium & nepharium, & Deitatis celsitudini minimè congruum. Undè quidam sanctorum exponens hoc Evangelij verbum: *Beatus venter qui te portavit*, ait. Verè beatus venter: qui nescivit maculam, venter intactus, venter sanctus, immaculatus, mundus, virgineus, puritate plenus, verecundus, incognitus, uterus puritatis, uterus innocentiae, hortus omni suavitate repletus, domus Dei sancta, templum manu Dei factum, arca salutis, arca scederis inter Deum & hominem: ubi reconditum manna suavissimum, tabernaculum ornatissimum: in quo omnes mundi thesauri, civitas Dei cœlestis: ædificata ex margaritis, vestis candida, tunica inconsutilis desuper contexta per totum, pellis Salomonis admirabilis, caro Christi immaculata, mons Dei, locus in quo absconditus est Deus, habitaculum Spiritus sancti, hospitium divinitatis, viscera deifera, scala paradisi,

sol qui nescit occasum, luna perfecta, stella matutina, thronus excel-
sus: super quem sedet vir qui est Deus & homo, mulier amicta sole:
stellis duodenis decorata, turris fortitudinis: ex qua mille clypei de-
pendent, murus inexpugnabilis cum propugnaculis.

Canti. 4.

Rursùm ipsa Beata Virgo, Dei filio oppignorata, & Spiritu sancto
plena: erumpens in gratiarum actionem ob suscepta à coelo benefi-

Lucæ. 1.

cia, & Dominum ex toto corde magnificans, concinit: *Ecce enim ex
hoc, beatam me dicent omnes generationes.* Et in Proverbii sub typo mulieris

Prover. 31

fortis: de eadem prædicatur ista laus. *Surrexerunt filij eius & beatissi-
mam prædicaverunt.* Atqui non potest cum tanta beatitatis dignitate tot
comprobata testimoniis: simul in ipsa locum habuisse miseria pecca-

2. Corin. 6.

ti. *Quæ enim societas lucis ad tenebras: aut quæ conventio Christi ad belial?*
ut ait beatus Paulus. Nos itaque Beatissimæ Virginis Mariæ filij, &
per eam, adoptionem filiorum Dei sortiti: surgamus ocyus pio men-

Judith. 15.

tis affectu, & beatissimam prædicemus ipsam, quæ verè est beatarum
omnium beatissima: sincero corde illi dicentes: *Tu gloria Ierusalem,*

*tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri, manus Domini confortavit te:
& eris benedicta in æternum.* Verè tu gloria Ierusalem: quia sanctam il-

lam & supernam civitatem (in qua, perpetua est pacis visio) claritu-
dine tuæ gloriæ illustras. Tu lætitia Israël, quia cives cœlestes Deum

facie ad faciem videntes: suavissimo perfundis tuæ ineffabilis gloriæ
gaudio, & nos adhuc in vitæ præsentis incolatu, fide videntes Deum,

& Israëlitas secundum spiritum: lætitiæ & exultationis in Domino
reddis participes. *Sicut enim lætantium omnium nostrum: habitatio est in*

Psalm. 86.

te; Sancta Dei genetrix. Tu honorificentia populi nostri fidelis &
Christiani, qui per te decus mulierum, & hominum omnium citra fi-

lium tuum Deum & hominem, præstantissimam, hunc assecutus est
honorem: ut habuerit mundi redemptorem, hoc etiam insigniatur

munere: ut inter filios Dei computetur. Manus Domini te confor-
tavit, ô Virgo honoratissima, quia ab infirmitate carnis, quam contra-

himus omnes in conceptu: te præservavit intactam, illegam & immu-
nem. Ipse suâ virtute, singulari gratiâ te corroboravit: ne in hanc

incideres colluviem quæ nobis agnoscitur. Certè eris benedicta in æ-
ternum, ob eximiam hanc tui conceptus puritatem, ob egregia tua-

rum virtutum opera, ob præcipuam tuæ dignitatis gloriam in regno
cœlesti. Fac & nos filios tuos ô dulcissima Mater, tuæ benedictionis

participes: & tuæ benignitatis oculos ad nos deflecte. Convertete ad
nos decoram faciem tuam: & gratiæ tuæ dona nobis infunde. *Ecce*

rex Hierico, sathanas feliciter, instabilitatis & mutabilitatis author: *Iosue. 2.*
 nos ad mortem deposcit, iubet nos domo educi in qua delitescimus:
 ut interficiamur. Verum ut fida & fidelis Raab exploratores à Iosue
 missos abscondit, in suæ domûs solarium ascendere iussit, & stipula
 lini cooperuit: ne adducerentur in discrimen capitis, ita & nos ô fi-
 delissimâ Mater, tuæ misericordiæ pallio obumbra, protege & conte-
 ge: ne tradamur in mortem ab eo qui mortis habet imperium. Tu
 custodia præsidio nos muni ô tutatrix fortissima: ne à leone rugiente
 devoremur, quo tuis laudibus semper insistere valeamus, & ob synce-
 ram tui conceptûs puritatem: alacri corde tibi perpetuò decantare.
Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israël, tu honorificentia populi nostrî.

Cæterum quoniam hoc præconium in laudem gloriosæ Virginis
 repetitum, à toto populo Israëlítico commendatissimæ viduæ *Judith. 15.*
 primum est decantatum: non incongruum est hîc animadvertere,
 magnam inter utramque earum virtutis atque dignitatis fuisse simili-
 tudinem, ut hæc, typus figuraque præcesserit: illa verò, veritas &
 præcipuum exemplar deinde emicuerit. De Judith namque dicit Scrip-
 tura, quod castitatem amaverit & post virum suum alterum nescierit, *Judith. 3.*
 cui ieiunium & cilicij asperitas quotidianum fuerit exercitium. Beata
 autem Dei Mater, Virgo est virginum: quæ insigne virginittis decus
 etiam viro conjuncta, sed viri nescia servavit, quæ stupente naturâ fec-
 unditatem virgineo candori habuit conciliatam atque connexam.
 Quantum igitur virginalis pudor vidualem antecedit castitatem: tan-
 to beata Virgo, ipsâ laudatissimâ Judith est præstantior, & longè ad-
 hue amplius: ob materni honoris titulum, & Filij Dei genituram. In-
 super inclyta Judith superbi Holofernis caput obruncavit: lachry-
 misque & precibus ad Deum fufis, instructissimis Assyriorum castris *Judith. 13.*
 fuit potentior, nam ejus operâ, imbecilles fuerunt & retusi hostiles
 gladij, tela imbellia, & exercitus omnis in trepidam fugam subito
 conversus. Gloriosa autem Virgo MARIA longè valentior: suâ sum-
 mâ humilitate antiqui serpentis caput contrivit, spirituales effugavit *Genes. 3.*
 nâquitias, & dare terga coëgit, ut non audeat ad ejus conspectum de-
 victus hostis subsistere, aut ubi invocatur dulce MARIE nomen: suas
 astutias in homines exercere. Denique Judith egregia propugnatrix, *Judith. 15.*
 populum Domini miserabili obsidione pressum liberavit ab instanti
 exterminio: & fufis hostibus, victorem copiosisque onustum spoliis
 reddidit. Haud secùs præclara Dei Mater totum genus humanum mi-
 serandâ dæmonis servitute pressum liberavit ab aeterno exitio, in pri-
 rinam

stinam libertatem vindicavit: atque periculo mortis perpetuæ exemptum, in spem salutis erexit. Non ab re igitur quod in spectabilis viduæ Judith commendationem dictum est: possumus & in Sacratissimæ Virginis Mariæ honorem depromere, unâ voce dicentes. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.*

*Ex honoratione quam filij debent parentibus:
ostendi sinceritatem Conceptionis intemera-
tæ Virginis*

CAPUT VIII.

Decimasexta ratio. Dominus inter præcepta Decalogi districtè
Exo. 20. *Eccli. 3.* *Lucæ. 2.* *Ioan. 2.* *Ioan. 19.* *Hieronymus.*
 iussit honorari matrem: *Honora* (inquit) *patrem tuum & matrem tuam: & eris longevus super terram.* Et per Ecclesiasticum dicit. *Qui honorat patrem suum: vitâ vivet longiore.* Et quod antè præceperat: ipse cum in terris visus est, & cum hominibus conversatus, opere studuit exhibere, subditus matri ac in omnibus officiosus: ut Evangelica testatur lectio. Undè ad suæ gloriosæ Matris petitionem, nuptias novo conversionis aquæ in vinum illustravit miraculo: & cruci pro nobis affixus eam doloris transfixam gladio, beato Ioanni studiosè commendavit. Atqui non visus esset Dei & Sacræ Virginis filius exhibuisse honorem matri debitum, suæ ab æterno præelectæ parenti: si eam cum potuerit non eripuisset à sententia originalis contagii, quandoquidem illud summoperè detuerit: Dei scilicet hospitium atque habitaculum, nullâ unquam hostis antiqui virulentia esse contaminatum aut sordidatum. Certè quemadmodum honor matris in filium redundat (nam teste Hieronymo, nulli dubium est quin totum ad laudem Dei pertineat: quidquid dignè ac laudabiliter genitrici suæ fuerit impensum, ac solemniter exhibitum) ita ediverso infamia & ignominia matris retorqueretur in filium, & dedecoris notam eidem inferret, quod scilicet sordidam aliquando & pollutam habuerit eluvie peccati matrem: quatin potuisset ab omni pollutione illabefactam vindicare & conservare, si modo id voluisset. Quin potius sentiendum est, quòd quemadmodum hoc singulari honore Dei Filius Matrem suam decoravit: ut virginitatem foecunditati conjunctam sola inter mortales habuerit, ita & hoc

& hoc eidem nascenti contulit privilegium : ut in conceptus sui exordio, labis ab origine traductæ fuerit expers. Non enim minus hoc quam illud ad maternam pertinet suæ augustissimæ parentis dignitatem, & ex illo : debemus ad hujus fidem habendam faciliè persuaderi atque induci.

Cæterùm instant infestis vocibus adversarij, Deum potuisse quidem sacrosanctam Virginem præservasse ab originis labe, potentiâ suâ absolutâ & simplici, cui nihil impossibile, quamvis etiam sit iis quæ ab eo sancita sunt contrarium, haud tamen id præstare quivisse suâ potentiâ ordinatâ : & consentaneâ legibus ab eo decretis atque præscriptis. Quôcirca (inquirunt) non est astruendum : id ipsum à Deo factum esse.

Objectionis solutio.

Sed invalida est hæc ipsorum cavillatio. Nam quamvis secundum legem corruptæ naturæ nostræ constitutam, non sit præservatio à peccato originali, aut immunitas illius : tamen illa naturæ nostræ in sua integritate & innocentia considerata aut sumptæ, nequaquam est dissonans. Sacratissima autem Virgo MARIA, non corruptionis naturæ legibus est metienda aut arctanda : quia illius mentis non constringitur, sed ei longè supereminet. Dicant agè, an virginalis fecunditas & partus : naturæ nostræ sequitur legem, aut illam longè supergreditur. Quòd si posterius (ut par est) admittant, ab eis percontandum est, an potentiâ Dei absolutâ solùm, Virgo peperit Dei filium, an ne potiùs ordinatâ & ab eo decretâ. Censebunt ne illam ordinatâ à Deo potentiam : quæ & prophetis est prænunciata oraculis & figuris multifariam præsignata ? An dicent illam solùm ordinatâ Dei potentiam : quæ id quod naturæ vires non superat operatur ? Secundum quam rationem, miracula omnia potentificâ Dei virtute facta : essent potentiâ Dei absolutâ solùm peracta. Quòd si miracula signa virtutis divinæ approbatoria, si Virginis fecunditas & partus, facta sunt per ordinatâ Dei potentiam : cur simili jure præservatio ab originali tæbe, & custoditio puritatis in productione sacrosanctæ Virginis, non ascribetur potentiæ Dei ordinatæ ? Quandoquidem ea integritati & innocentie naturæ nostræ, ut à principio instituta est, non repugnet : & prophetarum testimoniis figurarumque signis sit plurifariam præsignificata.

Decimaseptima ratio. Major debetur officiorum & gratiæ exhibitio propriæ matri : quam servo & militi, quinimò tantò amplior : quanto potiori dignitate pollet mater quam servus. Atqui Dominus

Hierem. 1. *Luc. 1.* servis suis Hieremiæ Prophetæ & Ioanni Baptistæ id contulit muneris : quia eos primum quidem lab. factos originali reatu, deinde in utero materno sanctificaverit, & Spiritu sancto repleverit. Ergo dignissimæ suæ Matri (quam inter omnes prælegit mulieres : ut esset Deipara) amplius contulit donum : scilicet, quia intactam præservaverit & illibatam, ab omni macula. Siquidem majus est, præmunire quempiam ne cadat in lutum : quàm eundè post lapsum à luto extrahere. Quòd si superbeatæ Matri suæ non contulerit illud præservationis beneficium : non præstabilius illi quàm Hieremiæ aut Ioanni Baptistæ impendit privilegium, non dignius aut altius quidquam præstitit unicæ matri : quàm suis præconibus & Prophetis, quod utique pietati filij in matrem, & honorificentia parentibus debita, plurimum derogaret.

Objectionis solutio.

Verùm insurgunt adversarij nostri, & contendunt plus muneris collatum fuisse Dei parenti quàm Hieremiæ & Ioanni Baptistæ : quàmvis à peccati originalis reatu non fuisset præservata. Nam longè citius (ajunt) quàm prædicti duo, fuit à peccato contracto expurgata, utpotè paulò post conjunctionem animæ ad corpus, ut inter coadunationem illam spiritus ad carnem & peccati contracti expiationem : modica admodum interstes fluxerit temporis mora, quod in cæteris duobus haudquaquam factum est, nam sexto primum post conceptum mense, aut tardius (ut ajunt) sanctificationis munus illis est indultum. Insuper beata Virgo uberiore gratiæ copiâ est cumulata, & amplioribus locupletata Dei muneribus : quàm fuerunt cæteri duo in sua sanctificatione, qui longè contractiore mensurâ illud expiationis donum divinâ infusione perceperunt.

Sed esto in his duobus, temporis scilicet acceleratione & magnitudine donorum, ostendant hoc pacto dicentes, beatam Virginem reliquis duobus præstare : ipsam tamen illis adæquant in contractione originalis culpæ, & maculæ illius fœditate : quæ summòpere dedecet maternam ejus dignitatem. At verò nonne id censeas indignum, Christum qui venerat maculas peccatorum abluere : à matre prius maculata peccato carnem sumere? Et Dei civitatem sanctam : ante fuisse dæmonis habitationem? Et ubi quæso illud Psalmi de sacrosancta Virgine præconium : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei?* Civitas inquam, divino circumsepta præsidio : ne aditum in ipsam habeat malignus, civitas muris & propugnaculis cœlestis armaturæ munita : ne prævaleat in ipsam hostis antiquus. De hac civitate, non gloriosa dixeris;

Psal. 86.

dixeris : sed pudenda , sed ignominiosa : si eam asserueris à serpente antiquo prius occupatam , quàm Dei fuerit civitas : si arcem illam antè feceris dæmonis , quàm à Deo consecratam . Verùm huic tantæ impietati verborum , statim obviat , quod in Psalmi illius legitur exordio : *Quòd fundamenta ejus sunt in montibus sanctis* , in sublimitate scilicet & *Ibidem* altitudine sanctitatis & puritatis . Quòd si civitatis illius Dei jacta sunt in sanctimonia fundamenta , si collocata sunt in montibus sanctis ipsius initia : quomodo rectè posuerint in ipso constructionis illius civitatis principio , corruptelam peccati affuisse : quæ sanctitati & gratiæ ex opposito pugnat ? Numquid in eodem aëris tractu lucem refulgere vides : & tenebrarum horrorem invalescere ? numquid eidem inest simul dulcedo & amaritudo , calor & albor ? Contraria sanè sunt hæc , & eorum unum : alterum eodem detrudit loco , haud minus sanctitas & tabida culpæ lues : adversa sunt . Itaque civitas illa Dei gloriosa , ejus fundamenta sunt in montibus sanctis : nequaquam admittit in prima sui ædificatione vel minimam peccati labem .

Quòd exemplo Hester reginæ libertate civili uxoris regis : convincatur puritas Conceptionis beatæ Virginis

CAPUT IX.

Decima octava ratio . Constituerat rex Assuerus edictum , quòd si vè *Hester. 4.* mulier si vè vir non vocatus , interius atrium regis introisset : absque ulla cunctatione statim interficeretur , nisi fortè rex auream virgam ad illum tenderet in signum clementiæ . Hester autem impulsu *Hester. 3.* Mardochei patris sui ut exoraret regem pro populo ludæorum (qui ab insolente & superbo Aman destinabatur ad internecionem) non vocata intravit cameram regis . Cùmque nimio percussa timore ex aspectu seyerioris vultus Assueri tamquam exanimata corruisset in terram : accurrit rex sollicitè , & dulciter collapsam sublevavit , his eam verbis compellans : *Quid habes Hester ? ego sum frater tuus , noli metuere : non morieris , non enim pro te ; sed pro omnibus hæc lex constituta est . Accede igitur & tange sceptrum .* Ita adaptando figuram veritati , sanxerat Deus legem post primorum parentum prævaricationem : posteros omnes ex

nuptiali consortio concipiendos, contrahere debere labem originalis culpæ obligatoriam ad mortem, tanquàm characterem & signum obligationis universalis Adæ, per transgressionem inductæ. Verumtamen rex ille regum & Dominus omnium, unicam sponfam suam & cœlorum reginam exemit ab hac lege obligatoria: haud aliter ac Afuerus excepit Hester à sua lege, contestatus pro omnibus esse constitutam illam legem, vetantem introitum in regis cubiculum sine ipsius accitu: non tamen pro ipsa. Quid mirum igitur si obligatio contrahendi culpam originis in prima productione, obstringat omnes filios Adæ: eam tamen non derineat, quæ à Deo præordinata est ut illud grave iugum Adæ, scilicet mortis æternæ debitum à nobis tolleretur? Non igitur pro ea, sed omnibus cæteris hæc lex contrahendæ ab origine culpæ, posita est. Quòcirca cum in sacris litteris aut sanctis Doctoribus universales occurrunt propositiones, designantes omnem hominem ex viri & mulieris congressu genitum, peccato originali esse obnoxium: omnes illæ intelligendæ sunt cum exceptione hujus unice Matris Domini: quæ non ab hominibus, sed à Deo ab hac universali condemnatione, speciali gratiâ est exempta. Cùm autem à Deo sit ab hoc gravi jugo facta libera: libenter debent homines eam quoque ab hac obligatione peccati excipere, & divinæ se conformare sententiæ. Quòd si Scripturæ jam adductæ attendis verba: facile quod

Hester. 15. proponitur tibi persuadebis. *Non* (inquit) *pro te: sed pro omnibus est hæc lex constituta.* Dicit enim pro omnibus constitutam illam legem: non tamen pro ipsa, tanquàm ipsa ab omnium nuncupatione secludatur: & generali illâ enunciatione non contineatur. Verùm hac de re, latior in secundo libro habebitur sermo.

Porro ut dilucidum evadat, hanc quam adduximus historiam Hester, haud ineptè huic loco congruere: operè precium est patefacere, ipsam sacrosanctam Virginem cum Hester regina magnam habere convenientiam, tanquàm veritatem cum sua imagine. Enimverò Vasthi regina ob suam insolentiam & superbiam (quâ, accersita à rege: noluit ipsum accedere) repudiata est: & in ejus locum humilis & obediens Hester surrogata, regioque conjuncta connubio. Haud dissimiliter Eva prima parens propter inobedientiam (quâ Dei est transgressa mandatum) ejecta est paradiso voluptatis, & cœlesti consortio. In ejus autem locum suffecta est beata Virgo MARIA, sponsa Dei charissima, Mater ejus foelicissima, secunda Eva nostra: tristis ruinæ per primam inductæ reparatrix ac instauratrix. De Hester quoque

que dicit Scriptura, *Quod adamavit eam rex plusquam omnes mulieres: habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi.* Sed nonne sacrosancta Virgini annuntiavit Angelus: quod invenit gratiam apud Dominum? Nonne de ipsa singulariter decantat Ecclesia: hæc est Virgo sancta atque gloriosa, quia Dominus omnium dilexit eam? nonne eadem sublimi solio in cælis residet: coronata diademate duodenis stellis chorusco? Rursum Hester inflatum animo Aman & molientem perniciem in populum Domini, deiecit pristina dignitate: & morte multandum curavit. Haud aliter sanctissima Virgo: hostis antiqui (qui est rex super omnes filios superbix) vires attrivit, & occupata diutius mundi tyrannide deiecit. Ad hæc, Hester Israëliticum populum ex quo erat oriunda, imminenti & jam in foribus impendenti periculo mortis eripuit: hostibusque suis propemodum gladios in illius necem stringentibus, superiorem fecit. Regia autem Virgo genus humanum misere hosti substratum erexit in ipam salutis: & duro captivitatis ejus imperio liberavit. Denique Hester Assuerum terribilem visu & minaci vultu tremendum inflexit in mansuetudinem: ut que regale in ipsam sceptrum in benignitatis argumentum inclinaret, induxit. Beata verò Virgo assiduam pro nobis deprecationem filium suum benedictum merito nostris peccatis infensum mitigare non desinit: & ne debitas nobis infligat pœnas, placare.

Decimanona ratio. Cùm aliqua à rege constituitur ordinatio quæ omnes sibi subditos obstringit ad obsequium, servitutum aut famulatum præstandum: sicut rex ipse suæ non subicitur constitutioni, ita neque regina thori ejus socia & consors, quinimò eadem utitur libertate quæ rex, eodem potitur privilegio, similique pollet prærogativa: propter quam nullus eam censet illi regio edicto astrictam. Eodem quoque modo quàmvis ex tristi prævaricatione primorum parentum, inciderint omnes homines ex concupiscentia carnis geniti, in obligationem contrahendi labem peccati ab origine inducti: atramen sicut Deus ipse factus homo, ab hac lege peccati absolutus est: ita & dilectissima ejus sponsa (quam toties in Canticis amatoris suam compellat amicam) exempta itidem est ab hac dura subjectione, & regiam gaudet libertate. Quod si eximitur ab imperiali edicto conjunx imperatoria, ob viri sui majestatem libera, immunis servitutis aut exolvendi tributi: nonne potiori jure, & mater regis aut imperatoris? Siquidem major matri quam conjugii debetur reverentia. Hæc autem

Hester. 24

Luca. 1.

Apo. 12.

Hester. 7.

Job. 40.

Hester. 8.

Hester. 15.

Canti. 4.

Matth. 17. tem (quam laudamus) Virgo; summi regis & sponsa est & mater. Rursum si reges terræ tributum ab alienis sibi pendere volunt, non autem à filiis, quia liberi sunt filij: nonne valentiori jure & libera sunt matres, à quibus nascuntur liberi filij? Ecce pendit tota humana pro-pago tributum grave, cum primum ducitur ad ortum: ut originalem sustineat noxam. Intulitque illius obligationem tribui primus secundum carnem parens: cum Deo inobediens factus est. At verò ab hæc obligatione persolvendi tributi, libera est mater æterni regis, mater nostra & Domina, numquam Deo per peccatum aliena: quo purius & syncerius ex ea nasceretur, qui peccati pœnitens exors venit auferre à nobis jugum peccati.

Objectionis dilutio. Sed inquires (ut faciunt adversarij) & sacrosanctæ Virginis MARIE parentes asseri debere conceptos etiam, fuisse sine noxa originali: ut expurgatiorem ab illis Christus itidem duceret originem. Et rursum illorum parentes, consimili jure debere fuisse immunes illius culpæ, & ita in ipsum Adam deducendo seriem: contendes neminem illorum ex quibus progenita est Beata Virgo usque ad ipsum primum omnium parentem, contraxisse luem illam originalem, quod utique falsum esse, inficiabitur nemo. Siquidem ex Davidica stirpe exorta est Beatissima Virgo ipse, verò David de seipso dicit in Psalmo. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.*

Psal. 50. Sed vana est hæc & inefficax ratiuncula: neque simili innitens corroboramento. In sacra enim Virgine status est exemptionis ab illa tæbe morbida: neque ad ultiores progreditur ejus progenitores, ut parentes, avos aut proavos. Siquidem Dei Filius ex sola Virgine gloriosa, proximè ac nullo interstite carnem sumpsit: & propemodum eandem cum ipsa carnem sortitus est. Ab ipsis autem sacratæ Virginis sanctis parentibus, avis, & proavis non ita sine medio aut intervallo assumpsit carnem: sed remotâ dumtaxat & distante propagine. Proinde non opus est in parentibus Beatæ Virginis, illorumque progenitoribus asserere immunitatem peccati originalis: sicut in dignissima Matre Dei, ut etiam ex massa corrupta & carne peccati Adæ: comprobetur Dominus noster sumpsisse similitudinem carnis peccati, quod ejus nequaquam præjudicat puritati: dummodo in sancta ejus Matre negemus carnem peccati.

*Ex actualis culpæ immunitate : confici in Gloriosa
Virgine etiam Originalis maculæ carentiam in
Conceptione.*

CAPUT X.

Vicesima ratio. Beatus Augustinus Iulianum confutans hæreticum, *Augustinum*
ait. Profectò si Christus minor existens, originale peccatum ha-
buisset: grandioris ætatis accessu, actuali non caruisset. Sanè quia ma-
jor existens actuale non habuit: minor existens nec originale con-
traxit. Plenus igitur gratiâ Christus: nullus unquam peccati sustinuit
inquinamentum. Consimili itaque ratione, de sacrosancta Virgine
Christi Matre idem ducetur argumentum, quòd si ipsa originalis culpæ
sensisset corruptionem: ab actuali labe non fuisset usquequaque im-
munis, quòd circa si probeatur ipsam actualem culpam nunquam contra-
xisse: manifestum evadit eam originalis etiam labi fuisse expertem.
Atqui omnium etiam adversam nobis partem tutantium confessione,
unanimitique sententiâ: Beata Virgo neque venialem unquam neque
mortalem incurrit reatum, quare actuali malo nunquam subjacuit,
neque igitur noxiam illius in hominibus post prolapsionem naturæ,
radicem: scilicet originale fordem sustinuit.

Neque robur hic habet cavillatio: pueros in Christo per aquam & *Objectionis
dilutio.*
Spiritus sanctum regeneritos & deinde hæc vitâ in tenella ætate per
mortem exemptos, originale habuisse maculam: non tamen actua-
lem. Quoniam si ad majusculam provenissent ætatem, quâ rationis
usum obtinuissernt: utique in actualem culpam incidissent, à qua, mor-
te præoccupati nunc sunt alieni.

Neque quispiam, inter natos mulierum maximum, sanctumque
Christi præconem Ioannem Baptistam, aut alios vitæ sanctitate præ-
stantes viros in objectionem adducat: à quibus originali culpa conta-
minatis, contendat alienam esse actualem omnem maculam. Nam
quamvis Ioannes Baptista & alij nonnulli tradantur Dei gratiâ nun-
quam mortiferam perpetrassè culpam: à veniali tamen non credun-
tur omninò fuisse alieni, sicut nec beati Apostoli: post acceptas Spi-
ritus sancti primitias. Dicit enim dilectus Deo discipulus, de seipso &
nobis,

1. Ioan. 1. nobis Si dixerimus, quia peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Beatus item Iacobus in sua Epistola seipsum cæteris connumerans, ait. In multis offendimus omnes.

Iaco. 3.

Rursum neque convincit eorum quæ differuimus oppositum, obiectio à plerisque adduci solita: Spiritus Angelicos in actuale collapsos malum, qui tamen originalis culpæ sunt exortes, quinimodò & primos parentes nostros actuali peccato scilicèt mortali offendisse divinam majestatem: in quibus tamen locum non habuit ab origine contracta labe, sicut in nobis. Quoniam non diximus, actuale malum nulli adesse posse: nisi eidem priùs affuerit originale. Id enim falsum est: & facile in Angelis, primisque parentibus (ut dictum est) refellitur. Sed ediverfo proposuimus, nullum unquam originalem habuisse noxam: quin idem postea in actualem collapsus fuerit culpam, quare ediverfo astruximus, cùm in sacrosancta Virgine nullus unquam posuerit actualem offensam etiam venialem: ex eo sumi validum argumentum, ipsam nunquam subjacuisse originali malo.

Vicesima prima ratio. Si Deus disponit omnia suaviter, quemquam à minori præservat malo: eundem etiam à majori liberat, neque finit minori ereptum periculo, graviori & perniciosiori exponi. Ut neque medicus à leviori morbo ut febricula agrotum eripiens: sinet eundem in gravius malum ut pestiferam tabem aut lepram incidere. Alioqui neque hic rectè secundum artem operaretur: nec ille plenum benignitatis & gratiæ munus impenderet, neque usquequaque perfectum. Atqui sacratissimam Virginem præservavit Deus (ut fatentur omnes) à peccato veniali: ut ne ullum quidem minimum veniale malum in toto vitæ suæ decursu admiserit. est autem veniale peccatum: longè minus originali, quoniam illud non excludit animam à Dei gratia neque à regno, nec ira filium aut mortis constituit. Hoc verò simul divinæ gratiæ non recipit participationem, à cælesti regno hæreditateque superna excludit: animam cui inest obligat ad mortem, & filios facit indignationis ac iræ. Perspicuum est autem, peccatum cui gravior infligitur pœna, & quod à Deo magis disseparat: esse majus & exitius, quandoquidem apud Deum: *Secundum quantitatem delicti est & plagarum modus.* Igitur rationi consentaneum est: quod eandem Sacram Virginem servaverit Deus illæsam à peccato originali.

Deute. 25.

Ad hæc. Labe animæ gravius est malum quàm corporis in cinerem reversio: quæ nullam mali (nisi pœnæ inflictæ) habet rationem. Et tantò quidem gravius: quantò anima est corpore naturâ præstantior.

Atqui

Atqui custodivit Deus sacrum Virginis corpus intactum à putrefactione & redactione in pulverem : ut omnium sine hæsitacione & vera est sententia , à beato Augustino in libello de Assumptione beatæ Virginis mirificæ & validis rationibus comprobata : & in tertio hujus voluminis opusculo amplius elucidanda. Igitur eandem etiam servavit illibatam à labe tetra animæ : scilicet peccati originalis , quæ reddit hominem quamdiu adest , Deo inimicum , odibilem , & invisum , atque captivitati sathanæ subjectum.

Præterea , major est & gravior corruptio animæ per peccatum : quàm corporis per virginitatis in thoro nuptiali deperditionem , cum hæc citra peccatum fieri posse constituatur , illa verò minime. Sed Deus sanctam Matrem suam servavit immunem à macula illa corporis , amissione , scilicet , integritatis virginalis in conceptu & partu : ergo potiori jure & à macula animæ , quæ contrahi solet in origine. Minus enim in eam suam ostendisset munificentiam & largitatem : si à tot & tantis eam immunem reddens malis , ab hac etiam peccati ignominia non vindicasset , quinimò ex ereptione Virginis sacræ à multis humanæ conditionis incommodis , ut actualis peccati perpetracione , conversione corporis in cineres , fractione virginei pudoris , dolore in partu (qui etiam minus est malum quàm originalis peccati contagio : quia suapte naturâ non est nisi malum poenæ inflictæ , sine culpæ annexione) debemus sumere argumentum : eam itidem fuisse à Deo , singulari dono præcustoditam ab originali labe.

Neque diffiteor quidem , inter ista quatuor modo adducta & originalem culpam assignari posse rationem aliquam dissimilitudinis : propter quam videatur argumentum à minori sumptum non usquequaque esse firmum , ut quod originale peccatum , naturæ est corruptela : actualis verò , personæ & voluntatis , & illud sponte nostrâ non contrahi : hoc vero voluntariè. Verùm non poterunt efficere quæcunque in medium allata rerum propositarum discrimina : quin semper potior videatur ratio aut saltem non minus efficax , quòd debuerit ab inquinamento originalis noxæ beata Virgo conservari : sicut à detrimentis aut opprobriis corporis , animæve levioribus est erepta. Et id solum sufficit ad rationis nostræ soliditatem atque firmitudinem.

Non etiam contendimus , in omnibus id fieri oportere : si quippiam à minori malo eruatur , idem semper debere à graviore eripi , cum multos eruat Deus ab infirmitate corporis : quos tamen permittit prolabi in graves animi morbos. Plerosque etiam à temporaria

eruit pœna : quos perpetuæ pœnæ longè graviore referuat. Sed in propoſita materia , rem ita ſe habere ſatis eſt, ad noſtræ rationis corroborationem, ut Dei Mater inclyta ab hoc uno dicatur malo exempta, cum à multis levioribus malis noſcatur libera.

Quod ex dignitate Sanctiſſimæ Virginis ſuper Angelos : rectè conſicitur ejuſdem puritas in Conceptione.

C A P U T X I.

Viceſimaſecunda ratio. Ex majori ſublîmitate & excellentia gloriæ rectè arguimus uberiorem gratiæ & puritatis copiam, potiſſimum apud juſtum judicem : qui æquâ lance, congrua operibus diſpenſat præmia. Sed Beata Virgo MARIA altiorem habet gloriæ gradum & locum quàm ſpiritus Angelici : cum ab Eccleſia Catholica prædicetur exaltata ſuper omnes choros Angelorum, quod de nullo aliorum ſanctorum (teſte Hieronymo) fas eſt aſſerere; ergo & majorem habet divinorum munerum & chariſmatum affluentiam, dignitatemque præclariorem quàm ſpiritus cœleſtes. Atqui angelicæ ſubſtantiæ ab omni contagione peccati ſemper fuerunt & ſunt liberæ : igitur & ſacra- tiſſima Virgo nullius unquam peccati ſenſit inquinamenta. Enimverò ſi originalis peccati in ea ponis maculam : non perveniſſet illa unquam ad angelicam puritatem, quam tamen creditur longè antecellere.

*Objectionis
ſolutio.*

Neque obſtat hujus rationis efficaciæ, quod ſacra- tiſſimæ Virginis & Angelorum alia ſit à Deo origo & producendi ratio, cum illa per propagationem carnis ſit progenita : hi verò à Deo ex nichilo ad ortum deducti, nam hæc originis diverſitas non eſt obſtaculo : quin tanta aut major in glorioſa Virgine inveniri poſſit & debeat puritas, ſynceritas, & mundicies, atque ab omni labe immunitas : quanta fuerit in angelis, quod utique fieri non poſſet : ſi originalis noxæ contraxiſſet in-
quinationem.

Hujc accedit, quod quæcumque dignitas & excellentia ſuper beatæ Virgini poteſt aſcribi, quæ rectæ Fidei & Scripturæ non obviat : illa propter materni hono-
ris titulum, quod Mater ſit Dei prælecta ante
ſæcula,

Eccli. 43.
 sæcula, eidem piè est ascribenda. Habet enim & in ipsa veritatem : quod de Domino Deo dicit Ecclesiasticus. *Multa dicimus & deficiamus verbis : consumatio autem sermonum ipse est. In omnibus gloriantes : ad quid valebimus ? Ipse enim omnipotens super omnia opera eius. Terribilis Dominus & magnus vehementer : & mirabilis potentia ipsius Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis : supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ipsius. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude. Exaltant es eum replemini virtute, ne laboretis : non enim comprehendetis. Quis videbit eum & enarrabit : & quis magnificabit eum sicut est ab initio ? multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus. Omnia autem Dominus fecit : & piè agentibus dedit sapientiam.* Sanè hæc eadem verba dignissimæ Dei Matri accommodando : multa dicimus in ejus præconium & laudem, sed deficiamus verbis, quoniam non possumus oratione consequi augustissimam ipsius dignitatem : nec humano sermone præcellentiam ipsius complecti, quantumcumque enim tam sanctam & præclaram Virginem glorificaverimus : prædicantes eam cœlorum reginam & dominam Angelorum, Virginum omnium decus eximium, inelytam Dei Matrem, & nostræ salutis anchoram : adhuc supervalebit ipsa, plus in se habens foelicitatis & præstantiæ : quàm nostra imbecillis lingua queat effari. Idcirco benedicentes eam, exaltemus ipsam quantum possumus : major est enim omni laude, non modo humanâ sed & Angelicâ. Atqui asserere sacrosanctam Virginem Deiparentem in sui conceptus exordio primaque formatione expertem fuisse peccati originalis : nec Catholicæ Fidei nec Scripturis sanctis repugnat, quinimmò pietati Christianæ & sacris eloquiis quammaximè est conforme. Nempe si quis detur Scripturæ ignarus & mysteriorum Orthodoxæ fidei, in sola rationis naturalis constitutus rectitudine : cui id proponatur, decentius ne fuerit futuram Dei Matrem, immaculatam concipi atque formari sine iniquatione peccati : quàm ipsam labefactari eluvione culpæ originalis ? Protinùs respondebit naturâ duce & solo rationis lumine ad id inductus : longe fuisse congruentius, tantam ac tam præclaram mulierem, ab omni sorde peccati in ipso vitæ ingressu ac introitu impollutam enitescere. est igitur illud sine controversia ac hæsitatione piè ab omnibus asseverandum.

Vice simatertia ratio. Nulli diffidendum est aut inficiandum, qui de nostræ Fidei sacramentis cum Catholica pietate vult verba facere & rectè sentire : Beatissimam Virginem MARIAM ad purissimam eva-

fisse innocentiam, & summam inter mortales gratiam esse adeptam. Quomodo enim gratiâ plena esse prædicaretur ab Angelo: si aliquid assignaveris gratiæ munus aut charismatum, quod ei defuerit? At si dederis ipsam Beatam Virginem, contaminatam esse vel minimâ temporis duratione, aut instantaneâ si malueris morulâ: summæ illi innocentia adimis perfectionem & titulum: esset enim procul dubio innocentior si illâ careret originis labe. Maximam itidem hâc tuâ assertionem illi sustollis gratiam, haberet namque majorem & copiosiore: si & in ipso sui conceptûs momento admittatur divinâ gratiâ fuisse perfusa, quæ illam culpæ maculam excluderet. Fatearis igitur necesse est, eximiam Virginem corruptelæ peccati omninò fuisse in conceptione nesciam: ut mera innocentia & omnimoda gratiæ exuberantia, eidem legitime attribuantur.

*Objectionis
solutio.*

Neque audiendi sunt adversæ sententiæ affectatores: dicentes id in commendationem non modicam beatæ Virginis obvenire, atque ad magnum eidem decus & incrementum laudis eedere, quòd ipsa ex tam humili conditione & statu peccati (qualis est noster in conceptione) evecta sit in tantam dignitatem, & gratiarum exuberantiam: quod Dei Mater delecta fuerit, & quoniam aliquando subjacuit peccato: exinde eam promptiorem reddi & paratiorem ad condescendendum precibus peccatorum.

Quoniam peccati inquinatio non astruit humilitatem naturæ convenientem: sicut conceptio ex semine, aut nuptiali congressu, quin potius insinuat deordinationem naturæ, deformitatem, & prolapsionem à primæva sua rectitudine, quâ magis deprimeretur gloriosa Virgo: quàm extolleretur, & hanc ob rem labe ab origine ducta, si illi attribueretur: prorsùs derogaret ejus dignitati. Dic age, utrùm horum majori effers laude: an eum qui nunquam adversâ fractus validitudine viribus pollet & robore corporis, an illum qui priùs gravi laboraverit morbo, à quo convaluerit, & nunc robustus est? Quid obsecro prior imbecillitas valet, ad extollendam præsentem corporis virtutem? nichilo magis præcedens peccatum: ad commendandam sequentem vitæ probitatem. Neque candidissima Virgo indiget experientiâ præteriti in se peccati: ut pronior reddatur ad miserendum nostri, sed omninò divinæ bonitatis æmula: ex innata sibi & cœlitus indulta miserationis affectione inflectitur ad misericordiam humano generi impartiendam. An existimas (oro) solem priùs offusum tenebris fuisse: ut deinde uberius luminis beneficium mundo infunderet?

Aut ignem quondam frigore torpidum : quo postea vim suam caliditatem acrius nobis communicaret? Ipse sanè Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, ab omni peccantia quàm maximè alienus : indulget nobis peccatorum veniam, & munera gràtiarum pro suæ bonitatis magnitudine, quâ solâ movetur ad condonationem nostrorum peccatorum. Haud dissimiliter hæc præstantissima Virgo, omninò deiformis & misericors : non quoddam periculum fecerit aliquando infirmitatis & impotentiae peccati, illiusvè contagia in se senserit, sed ob solam benignitatem suam & viscera miserationum quæ nunquam peccatoribus claudit : prompta est semper ad misericordiae munus nobis à Deo impetrandum. Benedicta sit semper larga ipsius miseratio : & ab omnibus glorificetur in sempiterna sæcula. Amen.

Ex quadruplici combinatione contrahendi, aut non contrahendi peccatum, & nobiliore redemptionis ratione : ostendi propositum.

CAPUT XII.

Vicesimaquarta ratio. Datis duobus terminis, uno affirmativo, altero negativo, combinationem inter se per affirmationis & negationis variationem admittentibus, si in hujusmodi combinatione dantur extrema omnino inter se opposita : datur plerumque & medium, utriusque aliquid participans. Sed contrahere peccatum & non contrahere, sunt hujusmodi extrema, quæ si jungantur verbo possibilitatem explicanti, combinationem quadrifariam se evariantem efficiunt : affirmationis & negationis alteratione distinctam, utpotè.

1. Posse contrahere hujusmodi peccatum, & contrahere.
2. Posse contrahere, & non contrahere supradictum vicium.
3. Non posse contrahere, & tamen contrahere ipsum.
4. Non posse contrahere id malum, & non contrahere.

Ergo cum hujuscè combinationis assignetur extrema contraria : scilicet primum & quartum, est enim dare aliquid, quod potest contrahere tale peccati genus, scilicet originale : & reipsa contrahit, ut homo ex concupiscentia carnis genitus, & minimè præservatus, est item dare aliquid, quod neque potest illud malum contrahere : neque con-

trahit, ut Deus, ut Angelus. Debet certè inter illa duo extrema, affirmatione & negatione inter se omninò pugnancia, interstes esse medium: quod itidem in rebus ipsis sortiatur locum, & affirmationè habeat negationi permixtam. At verò illud non dederis tertium membrum jam explicatum, nempe ex ipsa enunciatione: prior ejus particula secundæ repugnat. Quomodo enim dederis aliquid quod non possit contrahere peccatù originale, & tamen contrahat ipsum? cum negata potentia neget actum: & actus positus necessariò ponat potentiam. Reliquum est igitur secundum membrum: quod duobus illis extremis interiacet, & locum sibi vendicet in rerum universitate scilicèt quod aliquid dari possit quod potest contrahere peccatù originale: & tamen non contrahit, qualis est Beatiss. Virgo MARIA, inter Deum & homines media: & cum utrisque convenientiam partim servans, cum hominibus quidem secundùm carnis legem natis: quod contrahere potuerit illud peccati inquinamentum, sicut & ipsi, & haud dubiè contraxisset: nisi præoccupasset eam cœlestis benedictio. Cum Deo vero conspirans: quod illam peccati maculam non contraxerit, non quidem naturâ, ut Deus: sed solâ gratiâ. Est igitur ipsa: illius culpæ pœnitus exors.

*Objectionis
dilatatio.*

Neque rectè refellunt id argumentandi genus adversarij: adducentes exemplum suo judicio simile, quod quamvis aliquid possit creare & creet: ut Deus, & aliquid non possit creare neque creet quicquam: ut homo, non idcirco tamen oportere dari quicquam: quod possit creare & non creet. Nam hujus exempli affirmatio & negatio eam habent repugnantiam: quod non possunt adjuncto verbo possibilitatem explicante, aut etiam illo ablato, eidem naturæ pro diversis individuis convenire, aut pro diverso tempore. Ut quoniam de Deo enuncias posse creare itidem & creare: de nulla divinarum personarum rectè dixeris, quod non possit creare neque creet. Et quoniam de homine verè enuncias, quod non possit creare neque creet, de nullo unquâ homine, aptè dixeris, quod possit creare aut creet, quandoquidem in his, actus actui non minùs repugnat, quàm potentia potentia, etiam in diversis ejusdem naturæ singularibus. Non autem ita res se habet in proposito nostræ rationis exemplo, quoniam inter homines, sunt qui possunt contrahere: ut qui ex voluntate carnis nascuntur, & sunt qui id non possunt: ut Adam, Eva, Christus. Sunt itidem qui contrahunt illud mali contagium: ut qui secundùm communem nuptiarum legem gignuntur, sunt etiam qui non contrahunt: ut primi parentes & Dominus noster. Itaque simile rei propositæ exemplum debuerunt potius attendere.

*Creare, ap-
titudinem
dicit.*

1. Est qui potest peccare, & peccat, ut homo mundanus.
2. Est qui potest peccare & non peccat, ut homo justus.
3. Non est qui non possit peccare, & tamen peccat, quoniam id repugnat.
4. Est qui non potest peccare, & non peccat, ut Deus, & Angeli.

Et ita in ambulatione, cursu, vigilatione, dormitione, & cæteris id genus: facile consimilia poteris efformare exempla.

Vicesimaquinta ratio. Opere precium fuit & decens, Sacratissimam Christi Matrem digniori & præstantiori modo redimi, quàm cæteros homines: sicut & singulariter illi supra reliquos data sunt & sublimiore quidem gradu munera gratiarum. Præstantior autem est redemptionis, liberationis, & sanctificationis ratio, cum quis præservatur ab imminente malo nè illud incidat: quàm si postquam illud incidit, eripiatur & liberetur ab eodem, quemadmodum præstantiori ratione redimitur, qui ab alio præoccupatur ne subijciatur servituti: quàm qui jam servuus factus, illo servitutis jugo eximitur. Et melius conservatur, qui à lapsu in lutum futuro eripitur ne cadat: quàm qui postquam ceciderit, sublevatur. Demum magis à medico curatur, qui ne morbum incurrat, dato antidoto præmunitur: quàm alter qui post adversam valetudinem rursùm pristinæ saluti instauratur. At cæteri omnes homines redempti sunt à Christo: quòd post captivitatem & servitatem peccati, erepti sunt de potestate tenebrarum & translati in regnum lucis perpetuæ. Par itaque fuit & rationi consonum, uni suæ Matri adhiberi præstantiorem redemptionis modum quo præveniretur à Deo nè incideret in peccatū, captivitatem, & potestatem tenebrarum.

Verùm ne causetur quisquam (ut plerique faciunt adversarij) redemptionem fieri non posse: nisi à peccato jam contracto aut perpetrato, cujus tamen oppositum: exempla superius adducta convincunt, *Objectionis solutio.*
 audiatur sanctus Bernardus: perhibens Angelicos spiritus esse redemptos, qui tamen nunquam peccatum admiserunt. Ita enim vicesimo secundo Sermone super cantica dicit. Apostolus ad Corinthios scribens, de Christo ait. *Ipse enim factus est nobis à Deo: sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio.* Denique qui factus est (inquit) nobis: sapientia & redemptio à Deo, & non ait, qui factus est sapientia, justitia & redemptio, simpliciter: sed qui factus est (inquit) nobis. *1. Corin. 1.*
 Quia quod erat Angelis ante incarnationem: factus est nobis per incarnationem. At angelis (inquires) quonam modo redemptio facta sit: non video. Neque enim authoritas Scripturarum uspiam assentire videtur:

videtur : aliquando eos aut peccato extitisse captivos , aut morti obnoxios , ut necessarium haberent redemptorem , exceptis dumtaxat illis , qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes : redimi deinceps non meruerunt. Si igitur juxta auctoritatem Scripturarum , angeli nunquam redempti sunt : quo pacto dicis Christum eis fuisse redemptionem ? Audi breviter , qui erexit hominem lapsum : dedit stanti angelo ne laberetur , sicut hominem qui de captivitate eruens : sic angelum à captivitate defendens. Et hâc ratione fuit utrique redemptio : solvens illum , & servans istum. Sic ergo quod erat tantum angelis : factus est & nobis , sapientia videlicet , justitia , sanctificatio , & redemptio. Liqueat igitur Christum hæc quatuor factum esse propter homines : qui prius hæc quatuor tantummodo angelis erat.

*Cavillatio-
ms dilutio.*

Et quamvis hanc angelorum redemptionem & sacratæ Virginis : nonnichil discriminis possit inveniri , ut quod Angelorum spirituum redemptio fuit à peccato actuali : ne in illud ruerent , Beatæ verò Virginis redemptio , ab originali noxa : ne eam contraheret , cui angeli nequaquam esse possunt obnoxij. In præsentia tamen sufficit illa amborum , in universali redemptionis ratione convenientia : quod sicut Angeli sunt redempti , quia fuerunt conservati à ruina in peccatum imminens : quo alij ejusdem naturæ consortes corruerunt , ita & Virgo ipsa Beata , quia præventa est divinâ virtute ne sordidaretur originali maculâ ut cæteri homines , cum quibus idem habuit Conceptionis initium : rectè dicatur redempta. Cum itaque patefactum sit superius : congruum fuisse & æquum , Virginem hanc singularem hoc pacto redimi à Christo , & Deus quod magis congruit , & sapientiæ suæ rationi consonat atque bonitati : efficit atque præstat : haud dubium esse debet cuicumque , ipsam Dei Matrem hoc modo singulari supradicto esse redemptam : quare & ab originali labe præservatam.

*Ex Sanctorum Patrum auctoritatibus: abunde
comprobari puritatem Conceptionis san-
ctissimæ Virginis.*

CAPUT XIII.

AT ne solis videamur fulciri scripturæ testimoniis (quamvis illa vel sola debeant satis efficacia videri: ad astruendam sacratissimæ Virginis in conceptione puritatem) aut rationibus naturali lumine mentis subnixis: afferenda nunc sunt in medium & sanctorum Patrum non minus vitæ sanctitate quam doctrinæ splendore insignium dicta: quæ nostro suffragantur proposito.

Sit itaque hæc vicesima sexta ratio. Gravissimi Patres, Ecclesiarum columnæ, nostræ fidei propugnacula, virtute & litteris præstantes, quorum maxima apud omnes valet auctoritas: suis scriptis astruxerunt sacrosanctam Virginem MARIAM esse immunem originalis delicti, non est igitur illud ambigendum.

Imprimis liquidem sacer Hieronymus: in beatæ Virginis MARIÆ Hierony-
mus. præconium dicit. Quidquid in MARIA gestum est: totum puritas, totum veritas, totumque gratia fuit. In ipsa autem Virgine, peracta est sui conceptio: & prima ad ortum productio. Fuit igitur in illa conceptione puritas & gratia: quæ omnem præclusit peccato ingrediendi ad eam aditum. Rursùm idem. Cæteris virginibus præstatur gratia per partes: MARIÆ verò totam se infudit gratiæ plenitudo. Quæ autem fieri possit: ut cum tanta gratiæ affluentia, locum habeat originalis culpa? quemadmodum neque cum immensa luce sunt tenebræ: neque cum ferventissimo calore frigus, neque cum summa dulcedine simul adest amaritudo. Prætereà idem quoque ait. Nichil est splendoris, nichil est candoris, nichil est luminis: quod non resplendeat in Virgine gloriosa. Puritas autem in conceptione & omnimoda à peccato immunitas, eximius est splendor: illustriorem reddens & sereniorum conceptum eorum, qui tum illo lumine perfunduntur. Non defuit igitur hic nitor & fulgor conceptui gloriosæ Virginis: sed eam tunc reddidit præfulgidam. Denique idem. Canitur in canticis de MARIÆ. *Hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuæ paradysus.* Hortus Cant. 4.
delitia-

deliciarum: in quo confita sunt univërfa florum genera, & odora-
menta virtutum, sicque conclusus: ut nesciat violari sive corrumpi
ullis insidiis, fraudibusve diaboli Fons item signatus: sigillo totius
Trinitatis. Si itaque conclusus fuit hortus: quomodo illi dæmon tuum
infudit virus, aut quibus rimis aditum ad ipsum invenit inferna ta-
bes? Si fons signatus: quâ viâ potuit sathanas rupto Dei sigillo suum
illi characterem imprimere, aut peccati notam inurere?

Augustinus

Audi nunc & Augustinum. Quis dicere poterit (inquit) sine pec-
cato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit:
nisi illa Virgo prudentissima, animatum templum Dei excelsi? quam
Deus sic elegit & præelegit ante mundi constitutionem: ut sancta &
immaculata Mater Dei, & filia esset reservata: incorrupta ab omni
labe peccati. Vides cum omnem labem à gloriosa Dei Matre Augu-
stinus excludit: ipsum & originale quoque ab ea semovere. Idem
quoque alio loco ait. Undè sordes in MARIA: quæ nec in concipi-
endo, libidinem: nec in pariendo passa est dolorem? Undè sordes
in domo: in qua nullus habitator terræ accessit? Solus ad eam ejus
fabricator & Dominus venit. Rursùm idem. O Mater Domini sicut
in prima foemina abundavit delictum: ita & in te superabundavit
omnis plenitudo gratiæ, & idè super omnes ignara delicti. Quod si
super omnes & viros & mulieres (excepto semper filio eius super-
benedictò: Deo & homine) fuit ignara delicti: nescivit igitur ma-
culam originalem, cum qua non fiat omnis plenitudo gratiæ. Insuper
idem. Caritas fecit ut non solum MARIA non peccaret, sed nec pec-
catum cogitare potuit: & super cunctos reservata ab omni labe pec-
cati fuit. Nonne & hæc, omnis labis appellatione: originalem com-
prehendit Augustinus maculam? à qua reservatam Virginem sacro-
sanctam attestatur. Demùm idem in libro de natura & gratia, contra
Pelagium agens negantem originale peccatum: ait. Exceptâ Virgine
MARIA: de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur:
nullam volo prorsus habere quæstionem. Indè ehim scimus, quod ei
plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum:
quæ illum concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse
peccatum. Hæc ergo Virgine exceptâ: si omnes illos sanctos & san-
ctas quos Pelagius enumeravit congregare possemus, & interroga-
re utrum essent sine peccato: quid eos fuisse responsuros putamus?
Utrum quod ipse Pelagius asserit: an quod Ioannes dicit? Rogo vos,
quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis: si de hoc in-
terrogati

interrogati fuissent, unâ voce clamassent, *Si dixerimus quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus; & veritas in nobis non est.* Quoniam igitur Augustinus cum de peccatis agitur, de semper sancta Virgine non vult habere quæstionem: insinuat eam ab omni poenitentis peccato & genere peccati liberam atque alienam.

His accedit & Ambrosius dicens, hæc est virga: in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit. Virgam quidem appellatam esse beatam Virginem: illud Esaiæ manifestat oraculum. *Egre dietur virga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus Domini.* Ab hac autem virga cum nodus originalis abesse perhibetur: culpæ originalis in beata Virgine corruptela fuisse negatur.

Audiat & sanctus Hildefonfus Archiepiscopus Toletanus præcipuus amator deiparæ Virginis, & ab ipsa certis mutui amoris argumentis dum adhuc viveret honoratus. Beata (inquit) Virgo MARIA nisi in ipso conceptu sanctificata fuisset: minimè eius conceptio colenda foret. Sed quia autoritate sanctorum Patrum, dignè (ut vestra novit charitas) veneratur: constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam non solum Evæ maledictio soluta est: verum etiam benedictio omnibus condonata, nullis ergo quando nata est delictis subjacuit: nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit. Verùm cum hic aut apud alios, sacram Virginem in utero materno sanctificatam legis: non intelligas ipsam sanctificatam, id est à contracta prius labe purgatam post conceptum: quomodo nonnulli Sanctorum Sanctificati traduntur, sed sanctificatam, id est mundam & puram in ipso conceptus momento formatam atque productam, ut nunquam in ea locum habuerit peccati immunditia: sanctificante ipsam Deo, & sanctam incoinquinatamque suâ præviâ benedictione præservante, hæc etenim sanctificatio longè dignior quam altera, singulariter unicam Dei Matrem decuit: ut superius in octavâ rationis deductione etiam ostensum est.

Astipulatur huic & sanctus Hilarius Pictavenfis, dicens. O Virgo benedicta super omnes scæminas: quæ Angelos vincis puritate, quæ omnes sanctos superas pietate. Atque in Angelis nulla unquam inventa est cujusquam peccati labe, ipsa igitur quæ angelis est purior, hoc testimonio asseritur ab omni prorsus peccato aliena, quare originalem non habuit tabem: quæ reddidisset eam aliquando impuram, & infra Angelorum puritatem longè sublidentem.

Cyprianus.

Consonat iisdem beatus Cyprianus dicens. O Virgo iusta & omni iustitiâ plenissima : ejus conceptio ; singularis. At quomodo singularis fuisset Matris Dei conceptio : si more aliorum hominum originalem contraxisset in conceptu maculam ? An ideò quia ex infœcundis diutiùs parentibus , & angelo de cœlo prænunciante ejus ortum est progenita ? Sed nonne idem beato Ioanni Baptistæ, Isaac & plerisque aliis instrumenti veteris patribus est indultum : quod ex sterilibus orti sunt matribus, & ipsorum conceptio divino oraculo prædicta ? Cæterùm singularis est hujusce Virginis Immaculatæ Conceptio, ob id solùm quia præter cæterorum morem ab originalis noxæ contagio fuit immunis.

Origenes.

Neque dissidet ab hac sententia Origenes dicens. Beata Virgo MARIA neque serpentis persuasione fuit decepta : nec ejus venenosis afflatibus infecta. Venenosi autem serpentis antiqui afflatus, sunt originalis culpæ inquinamenta : quibus totam Adæ posteritatem infecit. Non fuit igitur benedicta Virgo : hoc dæmonis afflatu, hæc originis lue contaminata.

Bernardus.

Astruit idem beatus Bernardus cum ait. Caro Virginis ex Adam sumpta : maculas Adæ non admisit. At inter Adæ maculas, illa omnium perniciosissima est & maximè contagiosa : quam tota sustinuit ejus posteritas. Non fuit igitur illi maculæ in beata Virgine locus.

*Ricardus
de sancto
Victore.*

Comprobat etiam idem Ricardus de sancto Victore : cum inquit. Non decuit ut caro Mariæ, qualicumque foret obnoxia culpæ. Nam Dei sapientiâ indignum credimus, ut quam ad lucem gentium destinavit : prævitatis tenebris sineret involui. Nec erit ingratus matri suæ : qui patri, matrique honorem præcepit exhiberi. Ecce qualemcunque culpam sive originalem, sive actualem : audis sacrosanctæ virgini indecentem esse, & minimè ascribendam.

Anselmus.

Demùm beatus Anselmus Cantuariensis Antistes in libro de exordio humanæ salutis ait. Deus castaneæ confert : ut inter spinas, & à spinis remota alatur & formetur, non potuit igitur hoc facere filius matri suæ ? planè potuit & voluit. quod si voluit : & fecit. Ubi manifestè asserit, quòd quamvis à sanctis parentibus nuptiali lege sit deducta ad ortum : nulla tamen carnis contraxit ab eis contagia. Idem quoque in Epistola scribit. Non puto verum esse amatorem Virginis : qui celebrare respuit festum suæ conceptionis. At quis suadeat celebrandam esse beatæ Virginis conceptionem : nisi illi affuerit divino indultu sanctitas, puritas & mundities ? Non enim celebrandus est dies

dies festus : nisi de re sancta , & cœlesti munere honorata. Censet igitur (ut & omnes sentire debemus) ipse devotus & eximius sacræ Virginis cultor : ipsam omnino expertem fuisse originalis peccati. Quod & ex aliis ejusdem verbis in libro de conceptu virginali dilucidè cognoscitur : quibus ait. Decebat ut illius hominis (scilicet Christi) conceptio , de matre purissima fieret. Nempe decens erat ut eâ puritate , quâ major sub Deo nequit intelligi , virgo illa niteret : cui Deus Pater unicum filium (quem de corde suo æqualem sibi genitum , tanquam seipsum diligebat) ita dare disponebat : ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis filius. Hujusmodi autem puritas : omnem abhorret & secludit labem cujuscumque peccati. Si enim originalem in sancta Dei matre ponis fuisse noxam : jam non illam ipsi attribuis puritatem , quâ major sub Deo nequeat intelligi. Siquidem major est puritas innocentia : & maculâ originali non offuscata , quæ tamen sub Deo est : nam in creaturis solum per gratiam , in Deo verò per naturam. Rursùm idem in libro de conceptu beatæ MARIE Virginis ait. Si Hieremias qui lugentibus erat Propheeta futurus , in vulva est sanctificatus : & Ioannes in spiritu & virtute Helia venturus , in utero matris Spiritu sancto repletus ; quis audeat dicere singulare totius sæculi propiciatorium , & filij Dei unicum reclinatorium : mox in suæ conceptionis exordio , Spiritus sancti gratiâ destitutum ? Ubi autem Spiritus sancti adest gratia : extorris & exul est omnis culpa. Postremò idem in libro de conceptu virginali ait. Nichil tibi domina est æquale , nichil comparabile. Omne enim quod est : aut supra te est , aut infra te. Quod est supra te : solus Deus est. Quod infra te est : omne quod Deus non est. Si igitur super omnes creaturas dignitate collocatur : quomodo temerata est veterno , veterique culpa ? quæ & Angelis ipsam redderet puritate inferiorem : & primorum parentum ortu. Possunt & permultæ aliæ sanctorum Patrum sententiæ , asserentes omnimodam puritatem conceptionis sacrosanctæ Virginis , à studiosis lectoribus adduci : quas (ne copia fastidium ingerat) consultò omittimus , quandoquidem cuique versantiorum libros facillè occurrent.

Concilij Basiliensis auctoritate & decreto: pro-
 bari puritatem Conceptionis beatissimæ
 Virginis MARIÆ.

CAPUT XIV.

Vicesima septima ratio. Sacrosancta synodus Basiliensis post diuturnam & exactam hujus infœlicis problematis (quod multa in Ecclesia Dei suscitavit scandala: ob hominum pervicaciam, & pertinacem nimis suæ positionis observationem) atque quæstionis discussionem, fuerit ne sacrosancta Virgo in sui conceptione originalis maculæ immunis: tandem decrevit publicâ sanctione, auctoritateque gravissimâ, illi potius esse accedendum sententiæ: quæ omnimodam virginalis conceptionis astruit puritatem. Est igitur huic judicio Ecclesiæ, huic decreto concilij generalis, quod augustissima gravissimorum Patrum tunc sanxit auctoritas: sine aliqua hæsitacione standum atque assentiendum. Verùm ut ipsius sacræ concionis Patrum clarius innotescat hæc de re sententia atque constitutio: decretum illud publicum, quod tunc promulgavit, servatâ eadem verborum formâ, subnectimus.

Sanctio concilij Basiliensis.

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam representans: ad perpetuam rei memoriam. Elucidantibus divinæ gratiæ mysteria, mercedem gloriosam repromisit æterna Dei Patris sapientia: dum ait, qui elucidant me; vitam æternam habebunt. Quod etiam de gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris sapientiam, Dei filium in utero per tulit ac mundo peperit: sacrosancta legit Ecclesia. Nam, quicquid de dignitate & sublimitate Virginis Matris educitur in lucem: hoc non dubium est ad laudem & honorem filij sui pertinere. Et qui honorificant gratiam & sanctitatem Matris: honorificant & elucidant nomen filij eius, qui ipsam sanctificavit & replevit gratiâ. Undè si in cæteris rebus elucidatio veritatis (quæ à Domino Deo est) præclara merita parturit: in ea re specialiter fructus uberrimos afferre speranda est, quæ sanctificationem & dedicationem templi illius concernit: Prover. 9. in quo ante sæcula, antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordina-

vit prima & aeterna veritas. Idque maxime congruit: ut pax habeatur in quaestionibus sanctitatem eius concernentibus, per quam pax diffusa est in terris. Haecenus vero difficultas quaestio in diversis partibus & coram hac sancta Synodo: super conceptione ipsius gloriosae Virginis MARIÆ Maris Dei, & exordio sanctificationis eius, facta est, quibusdam dicentibus: ipsam Virginem & eius animam per aliquo tempus aut instans temporis, subjacuisse actualiter originali culpa. Aliis autem e converso dicentibus: à principio creationis suae, Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse: per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans & praeservans, sublimioris sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam ipse Alissimus, & ipsam fabricaret filius Dei Patris: ut esset mater eius in terris. Nos vero diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quae jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac sancta Synodo allegata sunt, aliisque plurimis super hac re visis & maturâ consideratione pensatis: doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei genitricem MARIAM, praeveniente & operante divini muneris gratiâ singulae, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam: tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, rationi, & sacrae Scripturae, ab omnibus Catholicis approbandam: fore tenendam & amplectendam diffinimus & declaramus, nullique de cetero licitum esse: in contrarium praedicare seu docere. Renovantes praeterea institutionem de celebranda sancta eius conceptione, quae tam per Romanam quam alias Ecclesias sexto idus decembris antiquâ & laudabili consuetudine celebratur: statuimus & ordinamus eandem celebritatem praefatâ die in omnibus Ecclesiis, monasteriis & conventibus Christiana religionis, sub nomine conceptionis, festivis laudibus colendam esse. Cunctisque fidelibus, verè poenitentibus & confessis: eâ die missarum solemnium, centum, primis autem vel secundis vespers: totidem, sermone verò verbi divini de eadem festivitate assistentibus: centum quinquaginta dies, concessione perpetuâ omnibus temporibus duraturâ: de iniunctis sibi poenitentis hac sancta Synodus clargitur. Datum in sessione nostra publica, in majore Ecclesia Basiliensi solemniter celebratâ: decimoquinto calendas Octobris, Anno à natiuitate Domini millesimo, quadringentesimo, tricesimo nono.

Psalm. 88.

Verùm inquires (ut obiiciunt adversarij) synodum illam Basiliensem nequaquam approbari ab omnibus Ecclesiis, praesertim à Romana: propter suscitatum in ipsa scisma, inter Eugenium quartum & Felicem, ibidem in summum Pontificem rejecto Eugenio electum. Quam ob causam, quae in dicto concilio sancita sunt & constituta:

Objectionis solutio.

conten-

contendes parum habereroboris, & minus efficacia ad quicquam ritè comprobandum.

Respondemus, quid de cæteris suprädictæ concionis decretis sentiendum sit, approbanda ne sint an improbanda: nichil nostra interesse, neque nostro discutendum illud esse scrutinio: ut quod ad rem præsentem non attineat. Illam verò sanctionè de Immaculata Deiparæ Virginis conceptione; nequaquam improbari ab Ecclesia Romana aut alia quavis: sed alacriter & promptè susceptam, quod nostræ sufficit approbandæ intentioni. Hujus autem rei argumento est: quod secundum usum Romanæ Ecclesiæ, totum Officium Ecclesiasticum novum luculenter est compositum, ex sententiis & figuris veteris testamenti & sanctorum Patrum dictis, eleganter & copiosè contextum: non solum in ipso sanctæ conceptionis die, sed & per totas ejusdem solemnitatis octavas celebriter decantandum. Itaque si improbaret Ecclesia Romana hanc sanctionem Basiliensem, si non cupidè & libenter eam amplexa fuisset: minimè integrum de festo sacræ conceptionis admisisset in suo usu Officium, neque suprâ aliarum Ecclesiarum morem & præter cæterarum ritum: octavas solemniter celebrandas de eadem sacrosanctæ Virginis conceptione instituisset.

Quòd ex divina revelatione & miraculis: Conceptionis festum præceptum est celebrari.

CAPUT XV.

Vicesimo octava ratio. Traduntur à fide dignis Authoribus divinitus ostensæ revelationes & miracula, quibus beata Virgo MARIA perhibuit gratum sibi obsequium præstitum iri: si festum conceptionis ejus, & sub illo quidem nomine, sexto Idus Decembris celebratur. Fuit igitur immaculata & omninò originalis culpæ nescia, ejus sacra conceptio, aliàs non indiceretur ab ipsa Virgine, Matre veritatis & puritatis: celebranda. Quid enim sava illa in mari Anglicano tempestas omnibus mortem prius intentans, sed apparente Angelo cælesti & denunciante celebrandam conceptionem virgineam, protinus sedata: aliud prædicat, nisi à cælo primum revelatam hanc celebrationem? Testis hujus admirandæ rei locupletissimus & gravissimus, est beatus

est beatus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: Beatæ Virginis *MARIÆ* colendæ deditissimus. Quid item regis Hungarorum germanus, à nuptiis carnalibus ad vitæ cœlibatum atque castimoniam revocatus, & sacratissimæ Virginis conceptionem quotannis celebrandam prædicare iussus, aliud quæso insinuat: nisi divino primum oraculo denunciata hominibus hanc celebritatem? Quid denique in pelago Gallicano sacerdos ob impuritatem vitæ à dæmonibus aquis obrutus, & sacratæ Virginis *MARIÆ* præsidio postea eorum manibus ereptus atque vitæ restitutus, iussus in suscepti beneficii compensationem à sacra Virgine singulis annis celebrare & celebrandam denunciare immaculatam ipsius conceptionem, nobis designat: nisi ejusdem beatæ Virginis beneplacito atque revelatione divinâ, indictam esse hanc solemnitatem? Ecce triplex in eandem concurrens sententiam miraculum, & sacrum Virginis oraculum: ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. At verò nemo hæc tanquam futilia rideat, nemo tanquam vana contemnat, nemo tanquam frivola deliramenta parvipendat, ut nonnulli faciunt adversariorum: in hæc omnia, deditâ operâ, struentes calumniam, & cavillationem meditantes. Ne dum tanquam humana inventa hæc & inania subsannet: Deum & beatam offendat Virginem, aut provocet ad indignationem, à quibus: hæc ipsa derivata sunt & propagata. *Qui enim hæc spernit: ut scribit beatus Paulus, non hominem spernit sed Deum.*

Cæterum insistent alij qui adversatam tutantur positionem: conceptionem sanctæ Virginis, sub conceptionis ratione nequaquam esse celebrandam, quòd hæc originali contagio fuerit maculata, sed sub ratione sanctificationis: quòd Paulò post conjunctionem animæ ad corpus virginali in utero materno, sit expurgata à contracto originali peccato, ob cujus in utero sanctificationis gratiam & beneficium: censent quidem exhibendam Deo & beatæ Virgini solemnem venerationem. Sed quoniam (aiunt) incertus est dies factæ in utero sanctificationis Virginis *MARIÆ*, & certus est dies conceptionis ejus secundum carnem: Ecclesia diem conceptionis celebrandum suscipit, ratione dumtaxat subsequenti & posteriùs factæ sanctificationis. Alij deterius aberrantes, conceptionis solemnitatem celebrandam abnuunt: & sanctificationis festum (ut nomini res etiam respondeat, & nomen rei) dumtaxat celebrant, celebrandumque divulgant: suâ humanâ ad inventionem, nomen conceptionis cœlitus delatum in sanctificationis nomen commutantes, ut hoc sanctificationis nomine, suum

Anselmus

Deute. 19.

1. Thessa. 4

Objectiones
solutio.

Regant virus occultentque venenum : persuadeantque hominibus, beatam Virginem in utero materno prius peccato maculatam, postea verò mundatam purgatamque fuisse.

*Conceptum
Virginis secundum
carnem :
sine macula
fuisse.*

Sed quàm sint isti à veritate & pietate fidei alieni : paucis nunc aperiendum est, atque contrà sentiendum, non solum unionem sanctæ animæ Virginis MARIÆ ad sacrum ipsius corpus in utero materno jam formatum fuisse sine aliqua contractione culpæ : verùm etiam conceptionem ipsius sacratissimæ Virginis secundum carnem, per nuptialem sanctorum parentum suorum congressum factam, fuisse sine macula aut sordè peccati inusta corpori : undè postea anima inficeretur in ipsa sui ad carnem conjunctione, & hanc ipsam esse conceptionem gloriosæ Virginis, utpotè secundum corpus : quam quotannis celebrat Ecclesia Catholica sexto Idus Decembris. Quod vel ex ipsa temporis ratione liquidò constat. Nempe ab ipsò conceptionis die ad diem usque proximè sequentem nativitatis ejusdem gloriosæ Virginis : novem mensium est intervallum, quod quidem statum & determinatum ponitur ut plurimum esse tempus humani fœtus : utero materno gestandi. At verò post conceptionem corporis peractam : octoginta diebus aut circiter, dicitur formari corpus filiæ in utero matris, digeri in partes, & organis atque lineamentis distingui, ut disponatur aptum suscipiendæ animæ : ac octogesimo demùm die, animam corpori fœminæ jam aptato conjungi, in masculo verò : die quadragesimo post conceptum carnem, ajunt animam corpori infundi. Proindè in Levitico jubetur mulier, quæ suscepto semine peperit masculum, quadragesimo post partum die purificandâ adire templum, quæ verò fœminam in lucem ædedit : die primum octogesimo præcipitur purgationis suæ ritum peractura, templum accedere. Si igitur nomine conceptionis gloriosæ Virginis, accipias conjunctionem animæ ipsius ad corpus, in utero matris jam trium mensium intervallo formatum : illa in tertio anni mense (quem martium appellant) esset celebranda, aut circa finem secundi mensis quem dicunt februarium, octogesimo scilicet die ab octavo die decembris : quâ facta est (ut supposuimus) conceptio ejusdem beatæ Virginis secundum carnem. Aut si contendis sexto Kalendas Decembris esse peractam unionem animæ ad corpus sacrosanctæ Virginis : & illam vocari conceptionem quam quotannis celebrat Ecclesia : cùm hujusmodi coadunatio animæ ad corpus fœminæ fiat secundum consuetam naturæ legem (ut ex medicorum sententia supponimus hoc loco) octogesimo die post factam

Levit. 14.

factam carnis conceptionem: consequens esset gloriosam beatæ Virginis Matrem Annam gestasse ipsam beatam Virginem in suo utero fermè duodecim menses: cum à tempore unionis animæ ad corpus, ad tempus usque partûs ejus, octavum scilicet Septembris diem, intercessissent novem menses integri: & antecessissent post corporis conceptum ad tempus usque informationis animæ, ferè tres menses. Utrumque autem horum, absurdum est: & à ritu Ecclesiæ, naturæve lege alienum. Sentiendum est igitur, octavum Decembris diem, tempus fuisse conceptionis sanctissimæ Virginis secundum carnem: quo in utero materno sacrum illius corpus efformari cœptum est, sic enim Ecclesiastica consuetudo solitæ legi naturæ aptè respondebit; & celebrabitur conceptionis solemnitas eo tempore quo peracta est. Fatendum est insuper: hanc gloriosæ Virginis conceptionem secundum corpus solum, fuisse immunem ab omni labe carnis, per quam in-existentm carni in cæteris, cum sit animæ ad corpus conjunctio contrahitur in anima peccatum originale, per sublatam verò & minime immanentem, immò nec unquam inhærentem virgineæ carni (id operante divinâ benedictione: illam conceptionem præveniente) hanc tãbem morbidam & lucem concupiscentiæ: animam gloriosæ Virginis sacratissimam, mundo & immaculato corpori fuisse conjunctam, sine aliquo peccati contagio, nam submotum erat divino munere illud à corpore: quod in cæteris solet animam in ipso conjunctionis ad corpus momento labefactare. Si enim mundum pigmentum & unguentum preciosum mundo infuderis & sincero vasculo: undè quæso habebit unguentum illud infectionis occasionem? Ita in præsanctificato & nunquam maculato corpore gloriosæ Virginis, à Deo collocata anima: nullam habuit contrahendæ maculæ occasionem. Porro satius est, & dignitati Virginis atque Filij Dei (qui ex ea carnem suscepit) congruentius, hoc pacto asserere, non solum sacram Virginis animam, sed & corpus gloriosum nunquam habuisse in se scditatem aut labem contagiosam, sed semper mundum & purum permansisse, à Deo præpurificatum & ab omni eluvione conservatum: ut ex mundissima carne virginea filius Dei carnem sumeret, & in purissimo tabernaculo divina majestas ineffabiliter habitaret. Proindè Ecclesia Catholica rectè octavo die Decembris celebrat non tam humanâ quam divinâ ordinatione conceptionem secundum carnem, sacratissimæ Virginis *MARIÆ*: gratias agens Deo bonorum omnium Jargitori, quòd benedictam Virginem illam tunc ad ortum deduxerit

secundum corporis exordium, ex qua Christus omnium redemptor erat nasciturus, quod etiam virgineam illam carnem in primo suo exortu ab omni eluie contagiosa custodierit immaculatam: ex qua nostrae conditionis substantiam, Dei filius erat suscepturus: ut ex omnino immaculata immaculatus, & ex semper sancta sanctus prodiret.

*Objectionis
Solutio.*

Verum obfistunt alij solam carnem animae expertem non esse capacem, susceptivamve gratiae divinae aut sanctificationis: cum proprium sit mentis humanae, divinae lucis fulgorem in se recipere, & exinde colligere contendunt, non id verum esse quod modo dictum est: ipsam scilicet beatae Virginis carnem in sui conceptione animam carentem, divinae praeveniente gratia immunem fuisse contagiosae sordis peccati.

Quibus respondendum est, primum & praecipue, munus gratiae ad animam pertinere: cujus est decus, ornamentum & pulchritudo, illius tamen in corpore quaedam jaci posse fundamenta, & quodam divino indultu quamdam in corpore praevidiam dispositionem fieri: per quam anima conservetur syncerior, & percipiendo gratiae muneri reddatur magis idonea, ut quaedam inchoatio suscipiendae in anima gratiae: videatur praeparata in ipso corpore. Concedunt enim ipsi & quidem rationabiliter, ex conceptione carnis secundum legem concupiscentiae, ubi divina non praecurrit benedictio: relinqui in ipsa carne sceditatem & labem, propter quam anima postmodum illi conjuncta inficitur originali vicio, haud secus atque si immundo vase syncerum infuderis unguentum: contrahet hujusmodi pigmentum sordem à vase cui imponitur. Cur igitur non libenter concedent, praeparatoriam in carne à Deo munditiam reponi posse: per sublationem hujusmodi carnalis contagionis, quae quidem praevia & praedispositrice munditia: anima cum primum corpori conjungitur, munda & pura conservetur. Si potest infirmitas ex maledictione enascens inficere carnem, & in animam, hujusmodi pollutionem transfundere: cur non poterit divina benedictio omniesficax & omnibenefica, carni munditiam & omnimodam impendere puritatem, submoto contagij veterno: quae reddatur idonea ad suscipiendam in se animam omnino mundam? Videmus enim odorem inesse pigmentis & aromatibus: ipsa tamen vasa ante ablui posse & detergi, quibus imponenda sunt ne sordescant, hanc autem vasorum abluitionem multum afferre adjuvamenti: ad conservandum nativum unguentorum odorem in sua synceritate.

Ex ipsius summi Pontificis decreto, & concessa remissione peccatorum celebrantibus id festum: ostendi propositum.

CAPUT XVI.

Vicesimanona ratio. Nostrâ ætate Sixtus quartus summus Pontifex SIXTUS non modicam indulisit Apostolicâ autoritate peccatorum relaxationem & veniam omnibus: ad sacratissimæ Virginis MARIE laudem, angelicæ salutationi hanc subnectentibus continuò particulam. *Et benedicta sit Anna mater tua: de qua sine macula, tua processit caro virginea.* Ut hoc pacto inter orandum contexatur nostra ad Virginem ipsam singularem deprecatio. *Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS CHRISTUS.* *Et benedicta sit Anna mater tua: de qua sine macula, tua processit caro Virginea. Amen.* Quæ sanè adjectiua oratiuncula: manifestum intemeratæ conceptionis gloriosæ Virginis præbet testimonium. Si enim de gloriosa matre Virginis nostræ Anna, sine macula processit caro virginea: quomodo in ipsa immaculata carne virginis inuenies maculam? Quomodo item in ipsius anima impollutæ carni conjuncta, offendes labem? quoniam pacto denique in tota ipsa virgine, cujus & corpus semper mundum & anima munda fuit: depræhendes peccati originalis inquinamenta? cum mundum conjunctum mundo: nil nisi mundum possit constare & constituere. Tale enim est compositum: qualia sunt ex quibus ipsum componitur. Quocirca rectè michi dixisse visus est quidam Sanctorum: quisquis is fuerit, quod sicut primus Adam fuit in agro Damasceno de terra virginea & immaculata formatus: sic secundus Adam videlicet Christus, fuit de carne virginea & immaculata conceptus. Verùm id ipsum in prima hujus libri ratione diffusè explicatum est & deductum.

Quinimò ut dilucidius evadat, sedem Apostolicam approbasse solemnitatem intemeratæ conceptionis Deo sacratæ Virginis, ob immunitatem peccati ac puritatem ejusdem: subjungitur hoc loco, ipsa sanctio & constitutio supradicti Sixti quarti, quâ publicæ distinuit, quod quicumque missam & officium conceptionis MARIE Virginis

ginis in ipso solemnitate die & per octavas audierint: consequuntur eandem peccatorum relaxationes, veniamque & remissionem quales constitutæ sunt ab Urbano quarto summo Pontifice: pro iis qui celebraverint festum dignissimi Sacramenti Eucharistiæ. Est autem illa Sixti sanctio hujusmodi.

Decretum Sixti quarti: approbans celebritatem Conceptionis Beatæ Virginis.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei: ad perpetuam rei memoriam. Cùm præcellsa meritorum insignia (quibus Regina cælorum Virgo Dei genitrix gloriosa, sedibus prælata æthereis: sideribus quasi stella matutina prærutilat) devotæ considerationis indagine perscrutamur, & intra pectoris arcana revolvimus: quod ipsa utpotè via misericordiæ, mater gratiæ & pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium (qui delictorum onere gravantur) sedula oratrix, & pervigil ad regem quem genuit intercedit: dignum quin potius debitum reputamus: universos Christi fideles ut omnipotenti Deo (cuius providentia, eiusdem Virginis humilitatem ab æterno respiciens: pro reconcilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia: jam sui unigeniti habitaculum, sancti Spiritus præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret: immaculata Virgo nichilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatæ Virginis miræ conceptione gratias & laudes referant, & institutas propterea in Dei Ecclesia missas & alia divina officia dicant & illis intersint: indulgentius & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant eiusdem Virginis meritis & intercessione divinæ gratiæ aptiores. Hæc igitur consideratione inducti: eiusdem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confissi: auctoritate Apostolicâ, hæc in perpetuum valiturâ constitutione statuimus & ordinamus: quod omnes & singuli Christi fideles utriusque sexûs, qui missam ac officium conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ, juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filij, magistri Leonardi de Nogarolis, clerici Veronensis, notarij nostri, & quæ desuper à nobis emanavit missæ & officij hujusmodi institutionem: in die festivitatis conceptionis eiusdem Virginis Mariæ & per octavas ejus devotè celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis intererunt, quoties id fecerint, eandem profus indulgentiam & peccatorum remissionem consequantur: quam juxta sælicis recordationis Urbani quarti in concilio Viennensi approbatam ordinationem, ac Martini quinti, & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi:

illi: qui missam & horas canonicas in festo corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI à primis vesperis & per illius octavas juxta Romanæ Ecclesiæ constitutionem celebrant, dicunt: aut missæ officio & horis hujusmodi interfunt, præsentibus ac perpetuis temporibus valituram. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incarnationis dominicæ Millesimo, quadringentesimo, septuagesimo sexto: tertio Kalendas Martij, pontificatus nostri anno sexto.

Cæterum insultant nobis hoc loco adversarij, objicientes novi officij de conceptione gloriosæ Virginis receptione, usu, & lectione: *Objectionis dilutio.* nos agere contra revelationem Hælsino abbati (ut suprâdictum est) factam, in qua Angelus præcepit totum officium quod cantatur in Ecclesia, ipso die nativitatis sacrosanctæ Virginis: celebrari debere etiam in die conceptionis ejusdem, mutato dumtaxat nomine nativitatis in nomen conceptionis, nos autem (inquit) contrarium illius agimus: eum prætermisso nativitatis virginalis officio, novum admittimus.

Sed non intelligunt qui ita cavillantur: Angelum id præcepisse pro eo tempore observandum, quo nondum proprium & peculiare conceptionis beatæ Virginis officium esset contextum, non autem prohibuisse: novum postea ac speciale illius solemnitatis officium Ecclesiasticum componi, aut in usum recipi, præsertim ubi id summi Pontificis (pœnes quem consistit hujusce rei constituendæ aut approbandæ autoritas) sententiâ atque determinatione fit. Quodcumque autem novum de solemnitate conceptionis virginalis officium propria fidelium devotione in Ecclesiis legitur: id approbante Apostolicâ sede atque consentiente receptum est. Perinde atque si tibi domus meæ aut agri aut equi communem usum permitto, quamdiu propriâ cares domo, agro aut equo: non tamen idcirco tibi prohibeo propriæ domus, aut equi, aut agri (ubi aderit facultas) ad tuum usum comparationem aut acquisitionem.

Insuper ut ampliùs elucescat eorum qui pertinaci studio adversam tutantur positionem, ab Apostolica sede improbatio atque condemnatio: subjungendam duximus & alteram ejusdem Sixti sanctionem publicam, edifferentem quod excommunicationem & anathematis sententiam ipso facto incurunt annunciatores verbi Dei ad populum afferentes beatam Virginem MARIAM in peccato originali fuisse conceptam, etiam & illi: qui dicunt festum conceptionis ejus celebrantes graviter peccare. Quæ quidem constitutio: hoc verborum schemate contextitur.

Decretum Sixti quarti contra improbantes puritatem conceptionis virginalis.

Sixtus Episcopus servus servorum Dei : ad perpetuam rei memoriam. Grave nimis gerimus ac molestum : cum sinistra nobis de quibusdam Ecclesiasticis personis referuntur. Sed in eorum qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati excessibus predicando commissis : eo gravius provocamur , quo illi periculosius remanent incorrepti , cum facile deleri nequeant : qui multorum cordibus sic publicè predicando , diffusius & damnabilibus imprimuntur errores. Sanè cum sancta Romana Ecclesia de immeritate , semperque Virginis MARÆ conceptione publicè festum solemniter celebret , & speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit : nonnulli (ut accepimus) diversorum Ordinum Predicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diversas civitates & terras affirmare hæcenus non erubuerunt , & quotidie predicare non cessant : omnes illos qui tenent aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei genitricem absque peccati originalis macula fuisse conceptam , mortaliter peccare , vel esse hæreticos , ejusdem immaculate conceptionis officium celebrantes , audientesque sermones illorum qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant : peccare graviter. Sed & præfatis predicationibus non contenti : confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt. Ex quorum assertionibus & predicationibus non levè scandala in mentibus fidelium exorta sunt : & majora merito exoriri formidamur indices. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus & perversis assertionibus ac scandalis , quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt , quantum nobis ex alto conceditur , obviare volentes : motu proprio , non ad alicujus nobis super hoc oblata petitionis instantiam , sed de nostra mera deliberatione & certa scientia , hujusmodi assertiones predicatorum eorundem , & aliorum quorumlibet qui affirmare præsumerent , eos qui crederent aut tenerent eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione preservatam fuisse : propterea alicujus hæresis labè pollutos esse vel mortaliter peccare , aut hujusmodi officium conceptionis celebrantes , seu hujusmodi sermones audientes , alicujus peccati reatum incurere : in potè falsas & erroneas , & à veritate pœnitus alienas , editosque libros prædictos id commentes , quo ad hoc authoritate Apostolicâ presentium reprobamus & damnamus. Ac motu , scientiâ & auctoritate prædictis statuimus & ordinamus : quod predicatorum verbi Dei & quicumque alij , cujuscunque status , gradus aut ordinis ac conditionis fuerint , qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum

sem aliàs quomodolibet affirmare, huiusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, ac dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquam de presentibus scientiam habuerint: excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice: nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere.

Item motu, & scientiâ & auctoritate similibus, simili pœna ac censura subijcientes eos qui ausi fuerint asserere: contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurere mortale, cum id nondum sit à Romana Ecclesia & Apostolicâ sede decisum. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscumque: quibus communitè vel divisiim à sede Apostolica indultum existat, quòd interdicti, excommunicari vel suspendi non possint per litteras Apostolicas: non facientes plenam ac expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ne de præmissis aliqui valeant ignorantiam allegare: volumus quòd locorum Ordinarij requisiti, presentes litteras in Ecclesijs consistentibus in eorum civitatibus & suarum diocesium locis insignibus: dum major ibi multitudo populi ad divina convenerit, in sermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Præterea quia difficile foret presentes litteras ad singula loca in quibus expediens fuerit deferre: etiam volumus & prædictâ auctoritate decernimus, quòd earundem litterarum transumpto, manu publici notarij confecto, & authentico alicujus prælati ecclesiastici sigillo munito, ubique steur: prout staretur eisdem originalibus litteris, si forent exhibite vel ostense. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis, & decreti infringere: vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit: indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum: Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo, octogesimo tertio, pridie nonas Septembris, pontificatus nostri anno decimo-tertio.

Verùm objicient adversarij, nos hæc sanctione Apostolicâ etiam Cavilli sepercilli atque constringi: ne oppositam tuentes partem dicamus hæreticos aut mortali idcirco peccato teneri.

Et id sanè liberè fatemur, quis enim nosipfos constituit iudices super fratres & proximos nostros: ut eos nostrâ auctoritate censeamus, aut hæreseos aut mortis æternæ crimen incurere? Id planè ex nostro non pendet iudicio, sed universalis solum Ecclesiæ: quæ nec-

dum id definiuit atque decidit (ut ait hic Sixtus) quoddam afferentes beatam Virginem originariâ labe in conceptu fuisse contaminatam : habendi sint hæretici , aut mortali peccato obnoxij , quamvis ipsa sedes Apostolica publicè definiverit (ut superiùs habitum est) beatam Virginem sine tali peccato fuisse conceptam. Viderint tamen ipsi , ne pertinaciam & perveraciam studium adjungentes suæ positioni observandæ , illud apud Deum tacentibus hominibus incurrant : quod ad mutuam pacem & charitatem fraternam conservandam , non debet ab hominibus eis impingi. Non enim aliorum verba reddunt hominem hæreticum apud Deum , aut mortalis peccati reum : sed propriæ perversitas voluntatis. Porro cùm posterior hæc sanctio pontificia quæ modò adducta est , constituta fuerit anno salutis nostræ . 1483 . & noster antidicomarita , id est *MARIÆ* adversarius Vincentius de castro novo , librum suum (contra quem libramus tela , & aciem instruimus) emisit in publicum : anno Domini septuagesimo quinto supra millesimum & quadringentesimum , ut annotatione temporis quo prodiit in lucem prædictum illius opus : in calce ejusdem expressâ , liquiddò constat : perspicuum evadit prædictum librum Vincentianum , quem confutare hæc operâ nostrâ , ac improbare pro viribus an nitimur : Apostolicæ quoque sedis autoritate , & hæc secundâ Sixti quarti constitutione condemnatum esse ac reprobatum , quandoquidem in ipsa damnantur libri : super assertionibus contra puritatem conceptionis sacrosanctæ Virginis confecti , legique prohibentur , & operis illius emissio : antecessit hæc Apostolicam censuram , ut de illo quoque meritò credi possit ipse Sixtus querimoniam fecisse : & mentionem sub generali denunciatione , sermonemque habuisse. Neque id quidem injuria. Nempè prædictus author librum suum (quem impugnamus : non hominem ipsum , sed pestiferum ejus dogma infectantes) inscripsit de veritate conceptionis beatæ *MARIÆ* Virginis , quæ sanè inscriptio absurda omnino ac verò dissona ex eo esse deprehenditur : quod inibi ab eo determinata atque definita , ipsam scilicet sacram Virginem originariæ labis contagio in sui conceptione fuisse foedatam : usque adeo à veritate abhorrent , alienaque sunt , ut nichil sit veritati magis adversum aut repugnans. Attramen sub titulo , specie & nomine differendi de veritate conceptionis virginalis , idem Marianæ puritatis hostis ac temerator : latè suum tetrum virus evomuit , multorum occupavit ingenia , animos à pietate abduxit , suæque assertionis veneno complures Italiæ bibliothecas (uti accepi) labefactavit.

At ne latius id serpat malum, viresque acquirat eundo: hæc à nobis sumpta est litteraria militia & decertatio, ad synceræ veritatis defensionem. Undè in primo hoc libro rationibus adductis interdum subjunctæ cavillationes, & in secundo libro objectiones adversariorum ordine certo digestæ (quas ipsi rationibus suam astruentibus sententiam solent plerumque afferre) ex illo opere Vincentiano, quo commodius refutentur, potissimum sunt desumptæ, ut intelligant omnes nos in hac nostra disceptatione, adversariorum nomine: accipere Vincentium illum, & quosvis suæ sectæ aspiratores, qui quoniam veritati & religionis nostræ pietati adversantur: non possunt etiam nobis non esse adversarij.

Verùm inquires, cum jampridem damnata sit Apostolicæ censuræ severitate hæc adversarij assertio cum suo opere, quemadmodum nunc ostensum est: quid opus fuit hæc novâ confutatione illius, ejusdemque jamdiutius explosæ sententiæ & eliminatæ? Actum agere videris (dicit michi quispiam) & stulto supervacaneoque labore consumi atque occupari: quo id eniteris refellere, quod à majoribus nostris tantoperè rejectum est & exsibilatum.

Fateor equidem si cum primum condemnata est, etiam extincta fuisset & abrasa cordibus hominum hæc perniciofa assertio: nullam nobis tum relictam fuisse occasionem moliendi hoc Opus. Sed quoniam ea vesania multos postea invenit affectatores, multos habuit adhuc assertores, quantumvis publico summi Pontificis decreto damnata fuisset: opus fuit in hostes ex integro insurgentes nova bella parare, & cum ipsis rursùm tentantibus arma, manum conferere. Nempe post condemnationis illius tempora, sapius hydra Lerneæ caput extulit orco, & trifurca lingua, sibila dira dedit, succiso nonnunquam uno illius capite: gemina sucereverunt, dirum spargentia virus, & feræ flammæ eructantia. Itaque necessarium fuit novo remedio novis occurrere malis: & crebrius repullulanti pesti denuò obviare, haud secus atque frequentius in hortis regerminantes herbæ noxiæ: iterum atque iterum studiosius sunt eradicandæ.

Quòd ex Parisiensium Theologorum facultatis, & totius Ecclesie determinatione: Immaculatae Conceptionis Virginis etiam habetur testimonium.

CAPUT XVII.

TRicesima ratio. Puritas item conceptionis Beatissimæ Virginis MARIE severissima vindex & patrona est sacratissima Theologorum Parisiensium facultas: ejus (licet indignus) sum alumnus, quæ Basiliensis synodi decreto paulò antè expresso seipsam conformans, neminem in suum ascribit admittitque consortium: nisi prius juramento astrictus promiserit se eam assertionem defensurum semper & edoctrum, quòd immaculatissima fuerit sacrosanctæ Virginis conceptio. Optimum sanè & commendatu dignissimum institutum, quod sacrarum litterarum studiosos juerejurando, sacramentoque fidei obstringit ad illud observandum documentum: quod vel nullo intercedente juramento, quisque ad amplificandam Dei gloriam & prædicandam Deiparæ Virginis reverentiam promptissimo animo deberet asruere. Illud autem juramentum tam obstrictè nunquam exigeret illa præclara gravissimorum virorum contio: nisi compertum haberet & perspectum, illam sententiam veritati esse consentaneam, divinoque honori & beatæ Virginis congruentissimam. Non est igitur illud amplius in dubium revocandum.

Cavillationis solutio.

Sed insistunt adversarij nostri, priscais temporibus eruditissimos sacrarum litterarum professores ejusdem academix Parisiensis: & lectione & scripto oppositam nostræ positioni determinasse partem, & asseruisse beatam Virginem in conceptione maculam originalem contraxisse. Qui cum sint tempore antiquiores, nec non doctrinâ & virtute (ut aiunt) recentioribus præstantiores: eorum potius accedendum est sententiæ, propter augustiorem autoritatem antiquitatis, quàm aliorum, superioribus annis à priscais illis Patribus in oppositam partem digressorum.

Quibus adhibenda est responsio. Antiquos illos professionis theologicæ Patres secundùm vulgatiorem sui temporis sententiam locutos fuisse:

fuisse : cum nondum res ipsa esset ad unguem (ut postea fuit) discussa , & necdum universalis Ecclesiæ determinatione definita , & idcirco ipsos veniã dignos censerì debere . At cum hac tempestate hæc materia examissim fuerit enucleata , accesserint & cœlitus ostensæ revelationes , & concilij generalis definitoria sententia : proculdubio potius est standum iudicio Ecclesiæ , quod antiqui illi Patres si latum audivissent & constitutum : reverenter fuissent amplexi , neque ad eò obnixè fuissent suæ defendendæ sententiæ addicti : quin cognitæ & dilucidius explicatæ veritati manus dedissent victas . Idcirco honore digno colendi sunt & in præcio habendi Patres antiqui : qui saltem posteris dederunt occasionem exactius pervestigandi præsens negocium , & Deo adjutore veritatem diffiniendi . At non eodem sunt in loco reponendi : qui nostrâ ætate contra determinationem assertoriam Concilij , contra universalis Ecclesiæ & præsertim Romanæ (quæ cæterarum est caput & princeps) definitionem : audent oppositum puritati conceptionis intemeratæ Virginis agitare dogma , tutari , divulgare ac in publicum proferre . Viderint ipsi , ne tam defensandæ veritatis quàm suæ positionis constantius æquo sustinendæ studio : videantur ad eò in eam partem affecti , neve Ecclesiam contemnentem Catholicam : Deo repugnare censeantur , & in sacram Virginem fera arma movere . Non enim excusationem habent aut sui temporis , aut nondum satis discussæ veritatis : ut habuerunt Authores antiqui . Iluxit iam pridem & oblata est eis sincera veritas : illius fulgor eorum oculis est objectus , sed obvelatis palpebris luci percipiendæ obnitentes atque reluctantes : videntur potius suas tutari partes velle , quàm veritatem agnitam complecti . Det ipsis sensum Deus (si qui adhuc eo laborent vicio) ut relipiscant ab hac pertinacia : & ad sanio rem mentem susceptâ veritate reducantur .

Tricesimaprima & ultima ratio . Demùm quod omnium est potissimum , universalis Christianorum Ecclesia diem festum conceptionis sacratissimæ Virginis solemniter & publicè celebrat : suoque ritu legitimo indicit idem festum quotannis ab omni populo honorificè celebrandum . In quo quidem colendo die festo & ejus celebratione indicenda : non censenda est ipsa tota Ecclesia errare , neque per devia vagari . Non enim sineret Spiritus sanctus , quo totum Ecclesiæ corpus vegetatur , regitur & gubernatur : ipsam in universum à recto tramite exorbitare , neque ipse dulcissimus Ecclesiæ sponsus : qui promisit Apostolis & ipsorum affectatoribus : *Ecce ego vobiscum*

Matth. 28. Sum omnibus diebus : usque ad consummationem seculi. Quinimò secundum usum Romanæ Ecclesiæ (quæ cæterarum omnium primaria & mater est) habentur (ut paulò antè diximus) & observantur octavæ solemnes festi conceptionis sanctissimæ Virginis MARIÆ, quod quidem minimè foret agendum : si originalem sacrata virgo sustinisset infectionem. Quod si pensulatiùs rem ipsam attendimus : invenimus hujus solemnitatis celebrationem, potissimùm ex pia fidelium devotione inductam esse, & magnis adauctam incrementis. Primum enim apud nullos aut paucos agebatur hujusmodi solemnitas : multis tunc dissuadentibus aut improbantibus eius celebrationem. Attamen non obstante hæc reclamazione : latius se paulatim extendit hæc commendabilis hominum in benedictam semper Virginem affectio, & adèd invaluit, increbuitque apud omnes mundi plagas, in quibus invocatur veri Dei nomen : ut nulla ferè sit gens, nulla natio, Christi nomine insignita, quæ hunc diem festum digno non celebret honore. Sed undè hic quæso totius mundi consensus in hanc celebrandam solemnitatem est inductus : nisi à Spiritu sancto, monente divino & tacito illapsu hominum corda ad eam amplectendam, colendam & honorandam ? Enimverò in iis quæ sacra Scriptura subtricit, aut non pœnitèns exprimit, edocuit Spiritus Domini potiùs illud sentiendum : quod ipsi Scripturæ, divino honori, & pietati fidei conformius est atque consonantius, quale est id ipsum quod proponimus : ex tacito hominum consensu & maiori animorum ad id asserendum propensione atque inclinatione, magnam sumens fidem, credulitatem & veri similitudinem. Nos igitur filij, matrem nostram, Ecclesiam scilicèt sanctam sectantes : annitatur prædicare, commendare atque extollere puritatem conceptionis gloriosæ Virginis, quam per orbem terrarum tota confitetur Ecclesia, ut ejus precibus & patrocinio apud Deum : à peccatorum colluvione purgati, mereamur perpetuum illius in cœlis consortium. Amen.

*Primi libri de puritate conceptionis gloriosæ
Virginis MARIÆ*

Finis.

JUDOCI CLICHTOVEI
 Neoportuensis, De Immaculata
 Conceptione Virginis
 MARIAE. Liber II.

*Ob tolerantiã passionum corporalium, aut remissionem
 peccatorum hominibus necessariam: non rectè
 poni in Virgine MARIA peccatum
 Originale.*

CAPUT I.

Superiore Libro utcumque comprobata est intentio nostra, & ad-
 ductis corroborata rationibus, in eam tendentibus sententiam
 fulciendam: quòd sacratissima Virgo MARIA in conceptione
 non contraxit labem originalem. Reliquum est pro nostra pollicitatione
 aliorum qui oppositam defendunt partem, rationes refellere, impro-
 bare, & dissolvere, ut post vibrata ex nostris castris tela in hostes: etiam
 hostilia in nos contorta jacula retundantur, exindèque eluceat evi-
 dentior & patentior veritas.

Itaque prima adversariorum in nos objectio, cui tanquam validæ
 rationi innituntur: est hujusmodi. Non sinit Dei justitia (quæ cui-
 que secundum opera distribuit retributionis mercedem) pœnam ali-
 cui inferri sine præcedente culpa. Sed beata Virgo cum hanc in ter-
 ris vitam ageret, pertulit varias præsentis vitæ afflictiones: utpotè
 æstum, frigus, famem, sitim, paupertatem, animi tristitiam, gravemque
 dolorem, quæ omnia homini sunt inflicta in pœnam contracti origi-
 nalis peccati. Contraxerat igitur ipsa in suo exortu illius peccati la-
 bem: cujus tam multiplices sensit pœnas, aliàs non justè cum illa
 egiſſet Deus.

Responsio. Hujusmodi dura & acerba hujus vitæ incommoda, quæ
 jam enumerata sunt: pertulit quidem beata Virgo, non ut illi neces-
 sitate

sitate quâdam inflictâ in pœnam originalis mali : quo numquam la-
 boravit, sed ad quamdam Christi assequendam imitationem, & con-
 sequendam (ut ita dixerim) Christi-formitatem. Perspexit enim ipsa
 sanctissima Virgo, filium suum (qui Deus erat & homo) pauperiem
 pati, fame & siti interdum cruciari, æstu resolvi, frigore torqueri :
 non ob proprium peccatum sed nostram salutem, quânto magis vo-
 luit ipsa, hujusmodi excitata exemplo, spontè & promptè eadem per-
 ferre : quo filio suo propinquius assimilaretur, evaderetque confor-
 mior, ut inde etiam justis uberiorem relinqueret consolationem, has
 præsentis vitæ familiares & domesticas calamitates, erumnas pauper-
 tatis, nuditatis & frigoris, æquo animo perferendas esse : ad exercen-
 dam virtutem, ad fructum patientiæ consequendum, ad repromissio-
 nem æternæ beatitudinis obtinendam, cùm perspexerint & Christum
 Dominum & sacratam ejus Matrem : easdem præsentis vitæ mole-
 stias promptè & alacriter sustinuisse. Siquidem id militi multùm ad-
 ijeit animi ad obeunda belli pericula, ad invadendos hostes, & caput
 suum periculis obijciendum : si conspexerit regem suum aut ducem
 exercitûs inter primos ferri in hostem, animosè cum illo manum
 conferere, omniaque belli mûnia intrepidè atque impigrè exercere.
 Non itaque ex obligatione peccati Adæ aut condemnatione in hu-
 manam posteritatem irrogata : perpessa est sacrata Virgo supradictas
 hujus transitorix brevisque vitæ incommoditates. Si enim id constan-
 ter adversarij contenderent, eam ob causam factum esse : consimili
 pœnitûs ratione & argumentationis schemate cogerentur fateri, &
 Christum originali culpæ fuisse obnoxium : quia hæc eadem cùm
 nobiscum diversaretur in terris, pati dignatus est. Sed dignissima Dei
 Mater horum spontaneâ toleratione : quam proximè potuit, Christi-
 formis evadere studuit : in qua sanè Christi-formitate consistit humanæ
 perfectionis summa. *Perfectus enim erit omnis : si sit sicut magister eius,*
 quemadmodum dicit sermo evangelicus, qui & aliàs sæpius ad Dei in
 virtutibus : & bonis opibus imitationem : nos exhortatur. *Estote*
 (inquit) *miseriordes : sicut & Pater vester misericors est.* Et Paulus ad Ephesios
 scribens : *Estote (ait) imitatores Christi.* Quocirca istarum præ-
 sentis vitæ afflictionum perpessionem à gloriosa Dei Matre : non tra-
 here debemus in argumentum iniquationis suæ conceptionis, quin-
 potiùs in majorem ipsius commendationem, cumulatiorè que laudis
 materiam vertere : quòd ipsa quæ tantâ enituit puritate, tanto effulset
 dignitatis splendore & sublimitate perfectionis, non dedignata est hæc
 nostri

Quare bea-
 ta Virgo
 pertulit e-
 rumnas
 huius vitæ

Lucæ. 6.

Ibidem.

Ephes. 5.

nostri generis infirma proferre: quo relinqueret nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus.

Secunda objectio. Omni homini necessaria est remissio peccatorum per Christum: qui tollit peccata mundi, cum dicat Augustinus, *Augustinus* quod omnis homo ex concupiscentia generatus: regenerari generaliter habet, ut sibi peccatum remittatur, est igitur & illa (inquiunt) beatæ Virgini necessaria. Nullus autem indiget peccatorum remissione: nisi peccatum habeat aut habuerit, quod remittatur, sicut nullus lotionem indiget: nisi contraxerit sordem quæ abluatur. Fuit igitur in beata Virgine: peccatum aliquod remittendum. Illud autem (ut concedunt omnes) non fuit actuale: aut propriâ voluntate contractum. Ponenda est igitur in ipsa fuisse macula originalis: cujus affecta est remissionem.

Responsio. Quæ primo loco adducitur proposito: intelligenda solum est de iis qui peccatum contraxerunt, ut hic sit ejus sensus, omni homini peccati labe inquinato: necessaria est peccatorum remissio. Sed quoniam pauci admodum in tota hominum universitate compertiuntur: qui peccatum non admisierint (excipiuntur enim ab hac peccantia, solum Dominus noster IESUS CHRISTUS: & benedicta ejus Mater MARIA) idcirco ab authoribus multitudo hominum qui remissione indigent: universaliter & generatim enunciatur, secundum illud loquendi genus & schema, quo quod penè cuncti fecerunt: omnes fecisse dicuntur, ut apud Marcum de beato Ioanne *Marci. 17.* Baptista legimus: quod egrediebatur ad eum omnis ludææ regio, & Hierosolymitæ universi, cum tamen perspicuum sit, nonnullos ex ludæa & Hierosolymis: non fuisse ad eum egressos, ut Phariseos illos & legisperitos, de quibus dicit Lucas: quod concilium Dei spreverunt in semetipsos: non Baptisati à Ioanne. Cum itaque in beata *Luca 7.* Virgine nullum fuerit peccatum quo offendi potuerit Deus, aut ipsa ad pœnam obligari: dilucidum est eam nequaquam sub universali propositione data comprehendere, ut neque Christum ejus filium, neque eam peccatorum indiguisset remissione: sed illius loco, habuisse quiddam præstantius à Deo, scilicet præsertionem ab omni genere peccati, & puritatem nullâ iniquitatis labe maculatam, ad quam quidem habendam & conservandam: divino indigebat præsidio, & necessaria illi erat cælestis gratiæ opitulatio. Quemadmodum oculo prius in tenebris detento: necessaria est tenebrarum per luminis beneficium depulsio, ei verò qui nunquam tenebris est offusus, sed lucido

ſoli jugiter intento: non eſt applicanda eliminatio tenebrarum, ſed neceſſaria illi potiùs eſt perpetua lucis infuſio, & per corporis lucidi præſentiam conſervatio. Sic qui ſordibus priùs eſt oblitus: indiget quidem lotionè purgatoriâ, qui verò omninò mundus eſt: quid aquam expoſcet ad purgationem, cum nichil habeat purgandum.

Quòd propagatio beata Virginis ex maritali conſortio, & mors eius corporalis: non arguunt in ea maculam originis.

C A P U T II.

Tertia adverſariorum objectio. Quæcumque proles ex nuptiali conjugum gignitur congressu & per legem concupiſcentiæ: contrahit peccatum originale. Atqui beata Virgo MARIA concepta eſt ex conjugali ſuorum parentum commercio: igitur fuit in ipſa conceptione, illi labi obnoxia. Majorem probant per Auguſtinum dicentem libro quarto contra Iulianum. Ego beati Ambroſij expreſſam ſententiam tibi oppoſui, quâ dicit Chriſtum non aliter expertem eſſe potuiſſe delicti: niſi expers fuiſſet illius conceptionis, quam commixtio viri & mulieris operatur.

Auguſtinus

Non omnè prolem ex nuptijs conceptam peccato ſubjici.

Reſponſio. Prima propositio aſſumpta locum habet & veritatem: quando huiusmodi prolis conceptio non prævenitur per divinam benedictionem, ne quicquam inquinatum in eam incurrat, quemadmodum uſu venit ferè in omnium hominum exortu. Si verò præoccupatur conceptio prolis & anticipatur à benedictione Dei, etiam antequàm ſoboles concipiatur: non habet ibi regnum ſuum caro peccati, neque labes originis illum inſicit exortum. Nempè infirmitas iſta carnis & primæva lues: habet ſuam radicem ex maledictione inſictâ Adæ, ergo ex oppoſito, ſanitas & puritas carnis immunitasque à peccato: proveniet ex benedictione Dei, præcipuâ & ſingulari gratiâ concurrente ad conceptum. Si igitur maledictio irrogata primis parentibus efficit, ut quicumque per propaginem carnis ex ipſis naſcuntur, contrahant infirmitatem illam carnis, & carnem peccati: potiori jure benedictio Dei præveniens conceptum, inducet carni ſanitatem & integritatem. Eſt enim efficacior Dei benedictio ad tollendum peccatum: quàm maledictio ad inferendum. Beata autem Virgo

MARIA

MARIA : filia fuit benedictionis, & terra à Deo benedicta, neque sub-
 jecta illi sententiæ divinæ ad Adam : *Maledicta terra in opere tuo*,
 quemadmodum in primi libri decimaquarta ratione amplius est osten-
 sum. Quamvis igitur ex immaculato sanctorum parentum suorum
 thoro connubiali concedatur ipsa esse progenita : non tamen con-
 traxit carnem peccati neque infirmitatem aliquam, quam fomitem
 vocant, quia à Deo antequam conciperetur : præventa est in bene-
 dictionibus dulcedinis. Porro quod in hujus objectionis dilutione
 nunc adductum est : haud difficilè potest ex Sanctorum Patrum sen-
 tentia sic persuaderi. Nam secundum Augustinum in libro de nup-
 tiis & concupiscentia : contingit congressum matrimonialem interdum
 sine omni culpa tam mortali quam veniali exerceri : potissimum
 ubi rectâ ratione determinatus est & definitus in iis qui castum ser-
 vant thorum ad prolis propagationem, ubi locum non habet effrenis
 impetus in libidinem : sed ratio servans moderationem. At sacrosanctæ
 Virginis MARIE parentes Ioachim & Anna : justi erant apud Deum &
 eorum vita apud homines irreprehensibilis, quemadmodum scribit bea-
 tus Hieronymus in libello de ortu & nativitate B. MARIE Virginis,
 & jam viginti annos sine prole conjugium castum observarant. Ergo
 ad concipiendam hanc sanctam sobolem, utrique eorum coelitus ab
 Angelo denunciata : credendi sunt cum conjugali castitate, & sine
 effrenata (quæ culpam inferat gignentibus) libidine se disposuisse,
 ad consequendum scilicet conjugij fructum divinitus promissum :
 nou autem ob aliam quamvis causam, quæ posset ipsis ingerere no-
 xam. Concurrente igitur divinæ benedictionis gratiâ ad prolis concipi-
 endæ puritatem : quid incredibile est ex tam sanctis parentibus
 adjutrice Dei præservatione conceptam esse sanctam prolem, sine
 labe peccati originalis ? Rursùm beatus Augustinus in libro de fide ad
 Petrum dicit : quod peccatum in parvulos non transmittit propago
 sed libido parentum, nec fecunditas humanæ naturæ facit homines
 cum peccato nasci : sed fecunditas libidinis, quam homines habent ex
 illius primi justissima condemnatione peccati. Ergo ex opposito ra-
 tionem deducendo, ubi sola est propago & non libido parentum :
 non transmittitur originale peccatum. At in parentibus sanctis sacre
 Virginis, pium est credere propaginem fuisse & non libidinem, sal-
 tem imputabilem ad culpam : propter gratiam Dei specialiter præve-
 nientem, propter sanctitatem vitæ ipsorum, & promissionem prolis
 divino oraculo ipsis antequam conciperetur factam. Igitur non

Augustinus

Hierony-
mus.

Augustinus

transmittebatur in prolem ipsam (cùm conciperetur) noxa originalis: præcipuè obstaculum illi præstante divinâ præventionem.

Genes. 3. Quarta adversariorum objectio. Mors corporalis inducta est humano generi in pœnam peccati originalis, cum inter cæteras maledictiones dictum est Adæ pro se & tota sua posteritate. *Donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Atqui sacrosancta Virgo MARIA mortem subiit temporalem: ut canit Ecclesia, igitur & labem incurrit originis. Alioqui injustus fuisset Deus: pœnam irrogans Virgini MARIE sine culpa.

Quare beata Virgo mortem subiit. Responsio. In iis qui ex obligatione Adæ moriuntur & condemnatione humani generis in primis parentibus: mors ut pœna est consequens originalis culpæ noxam, non autem in iis qui indebitam subeunt mortem: ad aliorum redemptionem, aut piam Christi imitationem. Siquidem mortuus est Christus, qui omnium consensu peccatum originis non habuit: sed ad nostram vivificationem atque salutem. Sic & beata Virgo MARIA mortua est, non quidem ex obligatione Adæ aut condemnatione: sed ad sacram Christi imitationem atque conformitatem, ut in obeunda morte esset Christi-formis: & ex mortuis suscitato conresurgeret, quemadmodum eo ipso quòd in passionibus hujus vitæ tolerandis, dolore, anxietate, fame, frigore, eidem assimilata est: nunc consolatione participat, dicente de nobis Apostolo: *Quod si sustinebimus, & coregnabimus.* Quare non restet ex morte corporali dignissimæ Virginis: conficiunt ipsam habuisse primævam labem & morbum originis.

2. Timo: 2.

Potest & altera supradictæ objectioni adhiberi dissolutio, mortuam esse sacrosanctam Virginem non in pœnam veteris peccati ex origine contracti: sed ex propria naturæ humanæ conditione. Cùm enim corpus hominis componatur ex elementis mutuam in se actionem continuè habentibus: natum est suaptè natura tandem dissolvi. Et si perstitissent primi parentes in sua innocentia: fuisset eorum corpus immortale, non quidem naturâ sed gratiâ, & propter esum ligni vitæ, aliosque cibos salutare: qui conservassent ipsorum corpora in illæsa integritate atque incolumitate. Atqui beata Virgo MARIA cum diversaretur in terra: non vescabatur hujusmodi cibis quibus in paradiso voluptatis enutriti fuissent primi parentes; sed communibus nobis: & inducentibus alterationem corpori nutrito. Quid mirum igitur quod mortua fuerit, non ex peccati condemnatione sed ex naturæ conditione? Quemadmodum multorum non contemnendæ authoritatis

ritatis Patrum est sententia, Christum Dominum nostrum si mortem violenter à Iudæis irrogatam passus non fuisset ad nostram redemptionem: naturali tandem morte ex hac vita fuisse migraturum, non ex obligatione peccati quâ teneretur: sed ex naturæ conditione ex contrariis compositæ, & tandem interitum persensuræ. Unumquodque enim naturâ resolvitur in ea: ex quibus componitur. Fuit itaque in beata Virgine hæc unica moriendi causa: scilicet naturæ conditio non præservatæ per divinam gratiam ab occasu, sicut fuissent primi parentes in suæ innocentie integritate, quod satis innuit Ecclesia Catholica: in ejusdem gloriosa assumptione ita Deum exorans. Subveniat Domine plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus: in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Quemadmodum & de Domino nostro sentit Nicolaus Lyrensis: exponens illud verbum Apostoli ad Hebræos nono cap. *Sic & Christus semel oblatus est.* Semel inquit oblatus est in cruce: non ex conditione peccati originalis, quod non contraxit sed ex conditione mortalis naturæ: quam voluntariè assumpsit, ubi asserit Christum ex conditione humanæ naturæ: fuisse mortalem. In nobis verò duplex est moriendi causa: naturæ scilicet eeditio, & obligatio peccati in conceptu contracti, quare longè districtiùs & amplius sumus corporali morti obnoxij: quàm fuerit sacrosancta Virgo.

*Ex eo quòd Christus omnium hominum fuit redemptor
& mediator: non concludi originale peccatum
in Virgine MARIA.*

CAPUT III.

Quinta adversariorum objectio. Christus omnium hominum redemptor est: quemadmodum scribit Apostolus ad Timotheum. *1. Timo. 2. Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Non fit autem redemptio: nisi à malo præterito in quod incidit is qui redimitur. Cum itaque beata Virgo MARIA sit redempta à Domino: habuit labem aliquam peccati à qua redimeretur, aliàs non necessaria fuisset illi redemptio.

Responsio, quemadmodum ex vicesima quinta ratione primi libri constat:

constat: duplex est redemptionis ratio, una est: à malo quod quis priùs incurrit liberatio, secundum quam, quicumque in servitute peccati & captivitate dæmonis fuerunt: redempti sunt à Christo, qui *redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius*. Altera verò est: à malo imminente ne quis in illud incidat præservatio, secundum quam Christus redemit beatam Virginem: quia custodivit eam in conceptu mundam, ne fordidaretur peccato. Ut autem aliquis hoc secundo genere redimatur: non oportet in eo antecessisse maculam peccati aut aliud quidvis mali, à quo fiat redemptio. Enimverò Christus Patrem orans in psalmo dicit. *Redemisti me Domine Deus veritatis*. Redemisti inquam: id est ab omni peccato immunem me præservasti. In compluribus etiam aliis psalmore locis: Christus cælestem Patrem vocat suum adiutorem & suum redemptorem, & tamen omnium confessione, nulla fuit in Christo peccati macula: à qua debuerit redimi. Insuper Propheta commemorans divina beneficia in se collata, & exindè animam suam incitans ad benedicendum Deo: dicit. *Qui redimit de interitu vitam tuam*. Quòd ut veritatem habeat, an necessarium est vitam interiisse & deindè revocatam esse per resurrectionem: ut dicatur redempta ab interitu? sufficit ne quæso: vitam ipsam à Deo, ne interiret, esse præservatam. Certè si quempiam morti propinquum Deus reducat ad pristinam sanitatem: redemit ab interitu vitam ejus. Ita si regem infensum & instructo exercitu proficiscentem ad alicujus urbis obsidionem, amicus regis placaret suis precibus, impetraretque gratiam civibus urbis ne obsiderentur aut exciderentur: is veriùs redemit urbem ab excidio aut ab hostibus, quàm qui captam jam urbem & occupatam ab hostili exercitu erueret de manu hostium, restitueretque pristinæ libertati. Manifestum est igitur & Christum fuisse sacræ Virginis redemptorem, haud minùs atque nostrum, & tamen in ipsa nequaquam ideirò debuisse esse aliquid culpæ: à qua Authore Christo redimi diceretur.

Sexta objectio. Christus omnium hominum mediator est: quemadmodum dicit Scriptura paulò antè adducta. *Vnus est mediator Dei & hominum: homo Christus Iesus*. Quare & beatæ Virginis mediator esse admittendus est. Atqui non est mediator nisi inter eos: qui per peccatum aut reatum peccati distabant priùs à Deo, & per ipsum tanquam medium reducti sunt ad Deum. Fuit igitur in beata Virgine originalis noxa, reatusque per quem à Deo erat elongata, & per mediatorem Christum ad Deum adducta.

Responſio. Non eâdem ratione ſpeciali: Chriſtus eſt mediator noſter, & ſacroſanctæ Virginis. Noſter enim mediator eſt: quia elongatos à Deo Patre nobis meritò inſenſo revocavit in gratiam Patris, adduxit ad eum, & ut pontifex Poſtulat aſſiduè pro nobis. Et hæc mediatoris ratio exigit elongationem per peccati interſtitium: inter eos quorum eſt mediator & ipſum Deum, Sacroſanctæ verò Virginis mediator eſt: quia ipſam dignitatem naturæ inferiorem & humanam ſolùm naturam habentem, ipſe Deus & homo ſubvexit ad Deum Patrem ſolâ Deitate ſublimem: tanquam medium, utriuſque extremi aliquid ſortitum; inferiùs extremum hominem ſolum, provehens ad extremum ſuperiùs & ſolum Deum. Conteſtatur enim ipſe in Evangelio. *Nemo venit ad Patrem: niſi per me.* Et idcirco ſe viam appellare dignatus eſt. Sanè hæc mediatoris ratio, non exigit extremi inferioris à ſuperiori diſtantiam per peccatum: ſed dumtaxat per naturæ diverſitatem & diſcrepantiam. Quòd ſi humanis uti libet exemplis: ſi quis infimæ ſortis vir regem, quem nunquam offendit, vult accedere, quippiam ab eo poſtulatorus: quia non pateret illi aditus ad regiam majeſtatem, ſine intermedio, quærit aliquem ex proceribus regni, familiarem regi & amicum, faciliemque habentem acceſſum ad regiam majeſtatem, cujus ductu perveniat ad conſpectum regis: atque impetret quod animo conſtituit expoſcere, tunc aulicus ille & domeſticus regis: mediator eſt inter ipſum tenuis fortunæ virum & regem, extrema ipſa quodam nexu conjungens, & regis gratiam alteri concilians, & tamen nullo crimine offenſus eſt rex ab illo obſcuri nominis viro: qui ad ipſum per intermedium habuit acceſſum. Sic & Moyſes mediator fuit inter populum Iſraëliticum & Deum, non ſolum ratione illorum qui gravibus peccatis Deum ad iracundiam provocaverant: ut vituli conſtatilis adoratione, concupiſcentiâ carniſum, obmurmuratione, fornicatione, & cæteris, & idcirco indigebant patrocinio Moyſi ac deprecatione: ad Deum placandum. Verùm etiam ratione aliorum mediator fuit Moyſes: qui hiſcè ſcleribus Deum non offenderant, quales fuerunt Iſue, Caleph, & nonnulli alij: quibus per legiſlationem, etiam mediatoris officium exhibuit. Itaque nobis peccato obnoxiiſ duplici ratione mediator fuit Chriſtus: utpotè ob reductionem ad Deum per placationem iræ ejus, atque propter naturæ ad nos & Deum conformitatem, quâ imum ad ſummum revocatum eſt, per medium utrique extremo naturâ conforme: homo ſcilicet ad Deum, per Chriſtum Deum & hominem. Sacraſſimæ autem

*Quomodo
Chriſtus eſt
mediator
beatæ Vir-
ginis.*

Ioan. 14.

Exodi. 32.

Virginii

Ioan. 1.

Virgini MARIE Matri suæ, solum hoc secundo modo fuit mediator: per reductionem scilicet imi ad summum, ipsius medij interstitio: atque ipsius gratiæ, à summo in imum per medium diffusionem. Nam & dignissima Virgo MARIA: amplissima gratiarum munera à Deo Patre per Christum accepit. De plenitudine enim eius nos omnes accepimus: gratiam pro gratia, quemadmodum ait Ioannes, & gratia & veritas per Iesum Christum facta est, profluxitque ab ipso ut capite in sacram Virginem: tanquam insigne corporis mystici membrum. Non tamen protinus concesserim: Christum perfectius fuisse nostrum mediatorem, quàm beatæ Virginis, nam prima mediationis ratio sonat imperfectionem eorum qui hoc modo indigent mediatore. Et reverà argumentum maioris est perfectionis & præstantiæ in superbenedicta Virgine: quòd huiuscè primi generis mediatore opus illi non fuerit.

Ex eo quòd Christus pro gloriosa Virgine mortuus sit, ipsiusque iustificator dicatur, non autem reconciliator: non sumi recte argumentum, Conceptionem eius maculatam fuisse.

CAPUT IV.

2. Corin. 5.

Roma. 6.

Septima adversariorum objectio. Christus pro totius humani generis salute mortuus est, quemadmodum scribit Apostolus ad Corinthios: Quòd Christus pro omnibus mortuus est. Igitur & pro sacratissima Virgine MARIA itidem mortuus est, cum ipsa: omnium appellatione contineatur. Atqui non est mortuus Christus nisi pro peccatoribus & mortuis spiritu: ut eos ad vitam revocaret. Scribit enim Apostolus ad Romanos. Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus: Christus pro nobis mortuus est. Fuit igitur in sacrosancta Virgine peccati originalis labes: à qua per Christi mortem vivificaretur.

Responsio. Admissâ propositione primâ, non est secundo loco assumpta omniquaque tribuenda: quoniam non complectitur omnimodam præciosæ mortis Christi rationem, neque insinuat aptè alio modo pro nobis mortuum Christum, & pro Bf. Virgine. Siquidem mortuus est pro nobis Christus: ut nos ipsos æternæ morti per peccatum addictos

addictos suâ morte revocaret ad vitam, mortemque nostram moriendo destrueret: ut oraculo Prophetico prænunciatum fuerat. *Ero mors tua ô mors.* At non eâ ratione, pro sacrata Virgine mortuus est: quandoquidem in ipsa ne minimo quidem temporis momento unquam fuerit mors peccati, sed ut ipsam Sacramentorum novi testamenti (quod ex morte Christi ratum factum est & firmum) participem redderet & consortem. Siquidem scribit Apostolus ad Hebræos. *Vbi testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet: dum vivit qui testatus est.* Itaque si pro sua benedicta Matre mortuus non fuisset Christus: nequaquam ipsa pertinuisset ad novi testamenti gratiam, neque illi fuisset inserta, aut Sacramentorum ipsius participationem sortita. Testatur enim Paulus ad Romanos. *Quicumque baptisati sumus in Christo Iesu: in morte ipsius baptisati sumus, consepulti enim sumus in illo, per baptismum in mortem.* Hujusmodi itaque Baptismalis lauachri exors fuisset sacra Virgo: & augustissimæ communionis sanctorum mysteriorum corporis & sanguinis Domini prorsus expers, cæterorumque novæ legis Sacramentorum, ut Christo inseramur conducentium, nisi etiam pro ipsa mortuus esset Christus, quandoquidem omnia novæ legis Sacramenta, à vivifica Christi morte suam præcipuam sumperunt efficaciam: & pleraque eorum, ad commemorationem ejusdem præciosæ mortis sunt instituta. *Quotiescunque enim (ut scribit Paulus ad Corinthios) manducabitis panem hunc & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Ne igitur Beatissima Virgo semper esset sub umbra veteris legis atque testamenti, sed clarâ luce novi perfunderetur & Evangelicæ legis coruscatione: mortuus est etiam pro ea Christus, quandoquidem solum per suam mortem potuerit (ut dictum est) novum confirmari testamentum: & effusione sanguinis ejus corroborari.

Sed instabis. Si beata Virgo MARIA nullam habuit peccati labem: quid opus illi erat aut Baptismi lauachro, aut susceptione Sacramenti Eucharistiæ, aut reliquis in peccati remedium institutis?

Verum prompta est responsio, nobis qui gravi peccatorum morbo laboramus: necessaria esse novi testamenti Sacramenta ad abstersionem peccatorum. At non eandem ob causam beatæ Virgini: sed ut arctius Deo uniretur atque insereretur. Non enim solum peccatorum labem abradunt Sacramenta: sed & strictius conjungunt nos Deo, illiusque nobis præstant communionem atque intimum consortium;

Osee. 1.

Hebræ. 9.

Roma. 6.

Quare pro
beata Vir-
gine mor-
tuus est
Christus.

1. Corin. 11

Objectionis
dissolutio.

quod secundum : beata Virgo per sacramentorum novæ legis participationem est consecuta. Siquidem & Christus baptisatus est , & in-contaminatorum corporis & sanguinis sui mysteriorum (ut omnes ferè sentiunt) factus est particeps , & pœnitentiam egit : ut nostram consecraret pœnitentiam , & peccata confessus est non sua sed nostra : ut ad peccatorum confessionem suo sanctificatam exemplo nos induceret , & tamen nulla in eo fuit peccati eluvies : abstergenda per hanc sanctam sacramentorum participationem.

Octava objectio. Omnes homines in sanguine Christi justificati dicuntur & reconciliati : nisi per eos steterit , tantum beneficium negligentes aut contemnescentes. Scribit enim Apostolus ad Romanos , quod omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei : justificati gratis per gratiam Iesu Christi. Fuit igitur & beata Virgo : in sanguine Christi iustificata atque reconciliata , sed justificatio præsupponit antecedentem injustitiam ipsius justificandi : à qua liberetur , & reconciliatio cum Deo : insinuat præcedentes fuisse inimicitias inter eum qui reconciliatur , & ipsum Deum offensum per peccatum. Fuit igitur priùs in beata Virgine aliqua labe peccati : à qua justificaretur , & propter quam egeret reconciliatione.

Roma. 3.

Quomodo
beata Vir-
go dicitur
iustificata.

Responsio. Si iustificatus dicatur ille , qui post contractam aut commissam injustitiam purgatur ab illa & fit justus : nequaquam dandum est , beatam Virginem MARIAM esse justificatam , quoniam nunquam in ipsa : injustitia aut iniquitas locum habuit. Si verò iustificatus dicitur , qui à principio justus est creatus : & ne prolaberetur in injustitiam , gratuito Dei dono est præservatus : haud absurdum est admittere , beatam Virginem fuisse in ipso sui conceptus exordio justificatam , sicut & sanctificatam , verùm hæc justificatio non arguit præfuisse peccatum in eo qui hoc pacto justificatur : quin potius omnem excludit culpam , cum ponat justificationem prævenisse culpam. Non fuit igitur sacròsancta Virgo per sanguinem Christi abluta ab injustitia , sicut nos : sed multò præstantius Dei donum accepit , scilicet perpetuam justificationem per injustitiæ carentiam atque absentiam , justitiæque assiduam in seipsa rectitudinem. Nec quemquam moveat universalis illa propositio ex Paulo adducta : omnes homines peccato subijciens , quoniam ut priùs dictum est , & posterius itidem amplius dicitur : illæ propositiones universales similis generis , accipiendæ sunt de non exemptis speciali Dei privilegio , sed communi condemnationis humanæ legi subjectis , & ergò non complectuntur

in suo

in suo ambitu sacrosanctam Virginem : à Deo ab hac obligatione Adæ & lege peccati peculiariter ac singulariter exceptam.

Quòd autem secundo loco conficere nititur præsens objectio, reconciliatam esse beatam Virginem Deo : nequaquam est tribuendum. Nam reconciliatio (si propriam ejus rationem attendimus) est post Dei offensionem per peccatum : in gratiam ipsius jam placati, reditus atque reversio, quare præexigit præcedentem Dei offensionem in eo ipso qui reconciliatur : & deinde per reconciliantem, in gratiam ipsius revocatio atque reductio. Atqui in sacrosancta Virgine MARIA nunquam fuit peccatum : quo offenderetur Deus, quare neque post prævaricationem : ipsius in Dei gratiam reductio, non fuit igitur ipsa unquam Deo reconciliata. Quod sanè ad ejus non pertinet ignominiam atque depressionem : sed ingentiorum gloriam prædicandam atque clariorem commendationem, quod ita fuerit Deo semper amica & gratiâ conjuncta : ut nunquam reconciliatione indiguerit. Si enim duos dederis ejusdem patris filios, unum qui per transgressionem præcepti paterni offendit benignum & optimum patrem : postea tamen amicorum patrocínio in patris gratiam est denuò receptus. Alterum verò, qui nunquam mandata patris est prævaricatus : sed semper illi obtemperans atque amore conjunctissimus. An id vicio dabis huic secundo filio : quod patri reconciliatus non sit, sed semper ab eo dilectus ? Censebisne hunc secundum jure præferendum primo : quâ reconciliatione indiguit, ut rediret in gratiam patris ? Reconciliatio igitur, imperfectionem potiùs quamdam notat : ob præcedentem offensionem. Quam sanè imperfectionem ab ea Virgine gloriosa quæ perfectissima est tollentes : dicimus quòd ipsa non est reconciliata Deo, sed perpetuò in gratia conservata, nam id secundum, longè dignius est quam primum. Neque Christus fuit ipsius reconciliator : sed perpetuus in gratia atque justitia conservator, à qua nunquam passus est eam excidere. Ipsi igitur ob tantam gratiæ in sanctissima Virgine munificentiam : sit honor, benedictio, & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

Quod beata Virgo non dicenda est Deo reconciliata.

Ex eo quòd Christus dicitur reparator, liberator & Salvator humani generis: non colligi maculam in Conceptione Virginis.

CAPUT V.

NONa adversariorum objectio. Christus assumpsit humanam carnem ad reparationem & liberationem omnium hominum, cum dicat Leo Papa in sermone de nativitate Domini: Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut neminem à reatu liberum reperit: ita pro omnibus liberandis venit. Et beatus Ioannes in prima sua Epistola dicit. *Quòd Christus est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum: sed etiam pro totius mundi.* Venit igitur Christus in hunc mundum: ad reparationem etiam & liberationem sanctissimæ Virginis MARIÆ. At reparatio dicitur lapsum præcedentem, & liberatio servitutem peccati à qua quis liberetur. Igitur in sacra Virgine fuit prolapsio in peccatum: à quo reparata est & liberata.

Responsio. Non apta fit in hac ratione assumptio secundæ propositionis ex prima. Nam prima propositio assumpta, intelligenda est de ijs hominibus solùm: qui prolapsi sunt in malum, propter quod tollendum indigent reparatione, & ijs itidem: qui subiecti sunt servituti peccati, à qua debeant liberari. In secunda autem propositione sumitur beata Virgo: tanquam contenta sub primæ propositionis universalitate & generali ambitu, sicut & nos, cum tamen speciali Dei gratiâ sit exclusa ab indigentia reparationis & liberationis à peccato commisso. Quocirca ingenuè confitendum est, quòd Christus non assumpsit humanam carnem ad reparationem & liberationem B. Virginis: sicut neque ad sui ipsius reparationem, aut liberationem à malo.

Sed subnectes illicò. Non profuit ergo sacratæ Virgini incarnatio Filij Dei: quandoquidem per eam neque reparata est neque liberata.

Immo summopere & plurimùm profuit eidem: ad ipsius superexaltationem & glorificationem. Namque tota natura humana mirificè glorificata est in hoc: quòd unita est Filio Dei in unitate hypostaseos atque personæ, cujus quidem glorificationis facta est etiam particeps beatissima Virgo: in qua completum est illud admirandæ unionis Dei cum homine mysterium. Sentiunt planè nonnulli authores gravissimi, quòd si Adam non fuisset prolapsus ab integritate suæ innocentiz:

adhuc

Leo Papa

1. Ioan. 2.

Objectionis
Solutio.

adhuc Dei filius humanam assumpsisset carnem, non quidem ad reparationem humani generis: cum in eo non fuisset prævaricatio, sed ad ipsius glorificationem & superexaltationem: complendumque numerum universi. In quo cum invenirentur plures personæ in una natura: ut in super-summa Trinitate, una persona in una natura: ut in uno Angelo, plures naturæ in pluribus personis: ut in homine & Angelo, adijceretur & quartum hujus combinationis membrum: quo connecterentur plures naturæ integræ in una persona, quod quidem in ineffabili incarnationis sacramento consummatum est. Verum ita ne futurum fuisset ut asserunt, an secus, nihil in præsentia refert: dummodò duas fateamur esse causas assumptæ à Christo humanitatis. Una quidem: ut genus humanum redimeret à damnatione & jugo peccati. Et hæc solùm locum habuit in iis: qui sub peccati servitute detinebantur captivi. Altera verò: ut per ineloquibilem illam unionem suæ Divinitatis cum nostræ fragilitatis substantia, rotam nostram naturam superexaltaret & glorificaret: eo insignitam honore, ut suo Creatori fuerit conjuncta. Et hæc in omnibus hominibus locum habet, itidem & in sacratissima Virgine: mirum in modum per hujusmodi unionem nobilitata. Prior autem causa: illi tam dignæ Virgini & Matri Dei non debet ascribi, quod quidem non in detrimentum laudis ejus cedit: sed abundantiorē commendationem. Majori siquidem extollitur præconio sacrosancta Virgo quòd asseritur nunquam fuisse obnoxia prævaricationi aut prolapsui, & ergò reparata nequaquam fuisse: quam si tradatur extitisse indiga reparationis atque liberationis à sentina peccati. Quod si perconteris, fuit ne igitur Christus reparator sanctæ Virginis? Illicò subjiciam, eum non fuisse illius reparatorem: sed glorificatorem & superexaltatorem. Si rursùm sciscitari pergas: utrum Christus fuerit beatæ Virginis liberator? responsionem subtexam eum non fuisse liberatorem Virginis à malo præterito, in quòd ante liberationem inciderit: nam talis mali omninò fuit immunis, sed liberator suæ Matris fuit Christus à futuro malo, quod sanè incurrisset ipsa: nisi eam prævenisset liberatio præservans ne in peccati ex origine serpentis contagium incideret. Enimverò qui hoc pacto liberat præservans à malo ne perferatur: bono jure etiam liberator dicitur, secundum scripturæ consuetudinem. Namque cum cœlestem Patrem oramus ut liberet nos à malo: non minùs à venturo malo postulamus erui ut à nobis avertatur, quàm à præterito aut præsentī ut à nobis auferatur. Et Christus in Psalmis sepe-

*Ad quid
incarnatio
Filij Dei
pro fuit
beata Vir-
gini.*

*Quomodo
Christus
fuit libera-
tor beatæ
Virginis.*

Matth. 6.

Psal. 17.

numero Patrem suum cœlestem vocat liberatorem : quod ab ingruentibus malis ne ipsum infestarent benigniter ereptus fuerit , ut Psalmo decimo septimo. *Dominus firmamentum meum & refugium meum : & liberator meus.* Et eodem loco : *liberator meus de inimicis meis iracundis.* Et tamen clarum est in eo non fuisse peccatum : à quo, Patris beneficio sit liberatus.

Lucæ. 7.

Decima objectio. Christus Dominus noster omnium hominum dicitur Salvator: quinimmò & beatæ Virginis, eum dicat in suo cantico. *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Proprium autem est Salvatoris: post damnationem à peccato inductam afferre salutem, quemadmodum dicit Matthæus capite primo. *Pariet autem filium : & vocabis nomen eius JESUM, ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Habuit igitur beata Virgo aliquod peccati inquinamentum : à quo posset salva fieri, alioqui supervacaneus & superfluus ei fuisset Salvator.

Matth. 1.

Responso. Duplex est salvatoris ratio. Una ejus qui prolapsos in damnationem & peccatum reducit ad salutem : & à malo quod jam perpetiuntur eruit. Et hoc pacto : Dominus noster omnium hominum (exceptâ sanctissimâ Virgine) Salvator est, omnes enim in malum & barathrum damnationis corruerant. Sux verò semper sanctæ Matris non fuit secundum hanc rationem Salvator: nam ipsa nunquam in malum prolapsa est. Secunda salvatoris ratio est ejus : qui quempiam ne in damnationem & præcipitium peccati incidat, præveniens sustentat & conservat. Secundum quam rationem : Christus fuit beatæ Virginis Salvator, & digniori quidem perfectiorique genere : quam si primo modo foret Salvator. Perfectiùs enim salvat & præstantius, qui hominem ne in puteum præceps ruat præservat : quam qui jam prolapsus in foveam benigniter eripit. Et certè ipsa semper beata Virgo: in nomine filij sui benedicto in sæcula, salvata est, ut verum de ipsa sit :

Quomodo
Christus
fuit beatæ
Virginis
salvator.

quod in actis Apostolorum dicit beatus Petrus. *Quod non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, quàm nomen JESU semper benedictum : in quo oporteat nos salvos fieri.* Non tamen ex eo rectè colligas: beatam Virginem debuisse priùs esse peccato obnoxiam. Siquidem Dominus noster verus Deus & homo : sæpius in Psalmis Patrem cœlestem vocat suum Salvatorem, ut Psalmo 26. *Neque despicias me Deus salutaris meus.* Idem enim designat Salutaris : atque salvator. Rursùm Psalmo 29. *Salvastis me à descendantibus in lacum.* Liquidum est tamen, ipsum omninò fuisse peccati immunem. Non igitur ut quis dicatur salvator : eum

Actuum. 4.

cujus est, à peccato præterito debet salvare.

Psal. 26.

Psal. 29.

Ex hoc quòd beata Virgo fuit regenerata per Baptis-
mum, & Christus medicus: non concludi maculam
Virginalis Conceptionis.

CAPUT VI.

UNdecima adversariorum objectio. Regeneratio per Baptismum Christi: omnibus est ad salutem consequendam necessaria. *Ioan. 3.* Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto: non potest regnum Dei intrare. Huiusmodi autem regeneratio per aquam & Spiritum: fit in deletionem peccati originalis. Fuit igitur hæc noxia labes in beata Virgine: quæ per Baptismi lavachrum postea fuerit quantum ad reatum abluta.

Responsio. Secundo loco assumpta propositio, non totam explicat & omnimodam causam institutionis sancti lavachri Baptismalis: sed illam dumtaxat, quæ locum habet in contactis illa peccati ex origine deducti labe. Nempè Christus Dominus, renascentiæ & regenerationis spiritualis primitiæ: ex aqua & Spiritu sancto apparente super eum in specie columbæ regenitus est, & tamen peccati originalis noxam in se neutiquàm habuit. Sicut igitur ipse in Spiritu sancto renatus est: ut sanctificaret nobis abluçionem baptismi, exemplumque daret ipsius promptè suscipiendi, sic sanè & beata Virgo humilitatis & modestiæ plenissima, lavachrum Baptismi Christi non recusavit: ut se totam ad ipsius imitationem conferret. Animadvertit enim ipsum qui Deus est & homo, *qui de cælo venit & super omnes est: non Matth. 3.* respuisse Baptismi susceptionem ad aperiendum nobis salutis aditum, & ad implendam (ut decebat) omnem iustitiam, quantum magis nec ipsa ut sui dilecti filij fieret æmula atque consecratrix, ut in præciosa eius morte baptisaretur, illumque strictius indueret, denique ut nobis exemplo cederet promptè baptismalem in Christo abluçionem suscipiendi: abnuebat tam digni sacramenti perceptionem. Quod licet scripto traditum non sit in sacris litteris: ex illis tamen facili persuasione potest deduci eo ipso quòd quàm maximè studuerit suo dilecto filio omnifariam assimilari. Quocircà ex huiusmodi renascentia beatae Virginis quâ adoptionem Filij Dei hoc sacramenti mysterio affecta est
& ex

& ex Deo nata: non legitime conficis ipsam habuisse originalis peccati contaminationem.

Matth. 9. Duodecima objectio. Christus Dominus noster omni homini ad salutem est necessarius: quia non est in aliquo alio salus. Fuit igitur & sacrosanctæ Virgini MARIE etiam ut salva fieret, necessarius. *At non est opus valentibus medico sed malè habentibus: & non venit Dominus vocare justos, sed peccatores ad penitentiam.* Igitur & beata Virgo malè se habuit propter morbum contracti peccati: à quo ope medici indigeret liberari.

Ad quod Christus beata Virgini fuit medicus necessarius Responsio. Fuit utique Christus ut medicus, sacratissimæ Virgini MARIE necessarius: non tamen eadem penitus ratione quàm cæteris, Nempè reliquis hominibus fuit necessarius: ut salutari medicamento morbum peccati quò graviter laborabant propulsaret, ut purgationem daret & remedium: quo molestiam morbi spiritualis imis jam medullis infusi & oberrantis expelleret. B. verò Virgini fuit necessarius: ut ipsam ne unquam in morbum incideret, dato gratiæ copiosioris antidoto præservaret. Etenim medici officium est, nō solum morbum jam ingravescentem per potionēs & salutaria remedia tollere: verum etiam antequam morbus occipet hominem, per salubrem alimoniam, moderatum exercitium, & cætera id genus suæ artis officia, ne superveniat morbus, præcavere. Et qui per hujusmodi præservationem, incolumitatem hominis custodit integram: non minus officio medici fungitur, quàm qui perditam instaurat atque reducit. Quod autem secundo loco ad comprobationem adducitur verbum evangelicum in ipsa objectio: non infirmat nostrum propositum. Illo siquidem contestatur Dominus se non venisse in hunc mundum, ut vocaret justos ad penitentiam: sed solum peccatores, ad agendos Deo dignos pro suis erratis penitentia: fructus. Cur enim vocandi essent justi ad penitentiam: qui illa non indigent? aut quia justi sunt: sponte suâ & absque vocantis ad monitione illam alacriter agunt? Venit tamen ipse Salvator mundi vocare justos: ut in eum crederent à Deo Patre missum ad mundi salutem, ut novæ legis amplecterentur Sacramenta & doctrinam, posthabitis antiquæ legis umbris & figurarum involucribus, ut denique lucem ipsam divinam sequerentur: beneficâ illustratione mundo illuc centem, quem admodum discipulos vocavit: in ipso etiam vocandi articulo & antè, rectos. Itaque sicut justos, ita & sacratissimam Virginem ex qua ortus est sol justitiæ: venit vocare Christus, non quidem ad penitentiam: sed novæ legis credenda & colenda mysteria. Ex quo nunquam

nunquam conficias, ipsam beatam Virginem peccati quicquam contraxisse : ad cujus pœnitentiam vocaretur.

Ex gratitudine beata Virginis in Deum, & apertâ illi per Christum portâ cœli : non concludi eius in Conceptione maculam.

CAPUT VII.

Decimatertia adversariorum objectio. Debent omnes homines ne arguantur ingratitude, id acceptum referre Filio Dei : quòd eorum peccata deleverit, & ob hoc susceptum beneficium : magnas illi gratias agere, qui tollit peccata mundi. Igitur & sacrata Virgo MARIA, ne videatur ingrata Deo aut acceptorum bonorum immemor : astringitur etiã ad hoc gratiarum actionis officium. Sed non potest illud verè Deo exolvere : nisi peccatum saltem ab origine contractum habuerit. Igitur illi peccato fuit obnoxia, aut si seipsam dicit sine peccato esse : ingrata videbitur Deo.

Responsio. Qui post gravem morbum sollicitâ medici operâ convalescit : debet suo medico gratias, quod per ipsum pristinae salutis est redditus. Qui verò ne unquam ægrotaret, à medico est conservatus : debet illi gratias, quòd in sanitate semper fuit illius ope conservatus, neque mendax ipse est neque ingratus : si se nunquam morbo laborasse dixerit, & id ipsum non sibi sed medico tribuat, recognoscatque se tantum sanitatis integræ beneficium : gratiã medici consecutum, haud aliter qui se priùs peccato obnoxium sensit, sed nunc ope divinã ab illo liberatum : non mediocres debet suo liberatori gratias, quòd curatus est. Qui verò cognoscit divino præsidio se ab omni peccato præservatum : id acceptum referre debet suo præservatori, & eidem gratias agere de hoc raro singularique beneficio, quo nulli unquam peccato subjacuit. Et si is dicat se esse, semperque fuisse sine peccato, id sibiipsum non ascribens sed Deo custodi atque adjutori : neque mendax ille censeri debet, neque ingratus suo benefactori. Ita-
De quibus
beata Vir-
go gratias
egit Deo.

LUCIA I.

inceps conservaverit, & uberrimis insuper beneficiis dotaverit, utpote quod electa sit Mater Dei, quod Virgo manens concepit & peperit sine dolore suum & omnium Salvatorem. Quorum sanè beneficiorum recordatione & perpetue memoriâ: eructavit hoc dulcissimum canticum. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Et Paulò post. *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Ecce copiosam habet materiam gloriosa Virgo collaudandi Dominum: & gratias agendi de collatis in se beneficiis. Neque oportet ut eam Domino gratam facias, atque acceptorum bonorum memorem: quòd Deum laudet de deletione atque ablutione præteritorum peccatorum, cum longè præstantius argumentum habeat Deum de majoribus acceptis bonis magnificandi atque prædicandi. Sicut neque Dominum nostrum rectè dixeris fuisse ingratum Deo Patri: quòd gratias ipsi non egerit de suorum (quæ nulla fuerunt) peccatorum deletione aut abstersione, quandoquidem de amplioribus & veris beneficiis debitas illi gratias egit.

Augustinus

Decimaquarta objectio. Christus per suum præciosum sanguinem in passione largiter effusum: omnibus aperuit januam regni cœlestis, cum dicat Augustinus: quod sanguis Christi referavit nobis januam vitæ æternæ, quare & gloriosæ Virgini eandem patefecit portam: & per consequens ipsa porta cœlestis ante Christi Passionem fuit eidem sacræ Virgini clausa. Sed non ocludebatur cuiquam in cœlum introitus: nisi propter originalis peccati reatum, cum dicat Glossa super tertio capite Epistolæ ad Romanos, quòd totalis clausura regni cœlestis est originale peccatum: quod omnes ex Adam seminaliter propagati trahunt. Igitur habuit beata Virgo reatum labis ex origine contractæ: propter quem regno cœlorum erat exclusa. Et hujus (inquiunt) rei argumentum est: quòd si beata Dei Mater migrasset ex hoc mundo ante filij sui Passionem: ejus sancta anima fuisset recepta in sinum Abrahamæ cum aliis Patribus antiquis, quò recipiebantur quicumque originale contraxissent labem, & non paruisset animæ ipsius: janua regni cœlestis. Signum est igitur (aiunt) ipsam habuisse reatum peccati originalis: per quem præclusus illi fuisset cœli ingressus.

Responsio. Admissis omnibus iis quæ primo proponuntur loco: negandum est quò secundo assumitur, quoniam oclusionis portæ cœlestis causa non fuit reatus peccati originalis: in iis qui in Domino moriebantur. Nempè in ipsis originale peccatum jam pridem erat dimissum:

missum : aut per circumcisionem aut sacrificium institutum , igitur non potuit illud jam sublatum : cuiquam morienti ocludere cœli introitum. Cum enim deletur culpa : deletur & illud spirituale damnum quod infert culpa, aliàs abolitâ culpâ adhuc maneret poena post mortem illi culpæ debita, quod divinæ æquitati & justitiæ nequaquam est consentaneum. Sed huiusmodi obserationis regni causa fuit universale peccatum Adæ : quod omnes ejus posteros reddidit exules cœlo, donec per universalem hostiam & Redemptorem mundi foret satisfactum pro huiusmodi primævâ prævaricatione, solutumque nostræ redemptionis precium. Quod igitur ante exhibitam Christi Passionem oclusa fuerit sacrosanctæ Virgini cœlestis porta : non est ascribendum labi ipsius originali, quæ nulla fuit, sed temporis conditioni : quia needum amotum erat per sanguinem Christi tanquam elavem paradisi illud repagulum atque obstaculum, quo primus parens suâ damnosâ transgressione obduxerat atque obdiderat fores cœlestes. Idcirco ante reparationem huiusmodi lapsus per Christi mortem, quantumcunque iusti ex hac vita migrarunt : descenderunt ad inferos & illa sanctorum Patrum receptacula, expectantes tempus oblationis hostiæ salutaris : quâ amoveretur illud pessulum & vetes, cœli introitum ocludentes. Quocirca si beata Virgo MARIA transisset ex hoc mundo ante Christi Passionem (quod tamen divinæ circa eam dispensationi repugnasset : quæ iusti Simeonis vaticinio *Luce. 2.* prænunciârat gladium doloris, ipsius mœstissimæ Matris animam pertransituro) & in placidum Abrahamæ sinum cum beato Ioanne Baptista & cæteris iustis sacra ejus anima traducta, in certa spe propinqua refectionis regni cœlestis ibidem quievisset : non id factum extitisset ob noxæ originalis reatum in ea contractum, & ocludentem illi aditum cœli, sed quia needum referata erat porta cœlestis : per primos oclusa parentes toti suæ posteritati, donec immolaretur innocens ille agnus qui tollit peccata mundi, qui suo præcioso sanguine recluderet cœli aditum. Propter quam oclusionem universalem, etiam illa quæ non erat subjecta condemnationi aut maledicto protoplastorum : debuisset præstolari in tranquillo piorum loco per solutionem precij pro genere humano, & apertionem cœlestis regni. Quidquam magis id pietati fidei & rationi consonum videtur, quod si sacratissima Virgo obdormisset in Domino ante dilecti filij sui Passionem : Deus sanctam illius animam reposuisset in loco illo, voluptatis spiritualis refertissimo, in quo Adam & Eva diversati sunt tempo-

Quo fuisse
traducta
anima Ma-
ria: si ante
filium suū
obisset.

re suæ innocentia & ante lapsum, neque in locum illum inferiorem
justorum eam descendere permisisset: ut quæ non erat sub obliga-
tione Adæ sicut cæteri, neque obstricta chirographo peccati. Est er-
go pro sua puritate & innocentia, honoratior & nobilior illi quàm
cæteris debitus fuisset locus: in quo permansisset usque ad filij sui re-
surrectionem, & cum eo resurrectionis gloriosæ particeps: immorta-
litate atque incorruptibilitate dotata, rediisset ad vitam interminam.
Cum enim ipsa semper sancta Virgo non minori enituerit innocen-
tiæ candore quàm primæ parentes, quinimmodò majore gratiâ refulserit:
quid absurdum si consimilis ejus spiritui designatus fuisset locus ad
tempus, qui innocentia erat habitatio & domicilium? Censent item
sacri authores, Sanctissimos Patres sinu Abrahæ post descensum ad
inferna à Christo eductos: ab hora suæ gloriosæ resurrectionis ad
triumphalem usque ascensionem ejusdem, in Paradiso illo voluptatis
à Deo fuisse collocatos, quoad simul cum Christo ad cœlos ascende-
runt. Quid igitur vetuisset sacratissimam Virginem sanctis illis omni-
bus longè eminentiorem: eodem in loco divinæ contemplationis
fuisse repositam, ad tempus usque resurrectionis?

Objectionis
solutio.

Sed objicies rursùm. Quamvis sancta illius anima à corpore soluta,
fuisset in paradiso terrestri (ut dictum est) ad tempus collocata: ejus
tamen corpus (quod non fuisset rursùm à morte suscitandum ante
Christi resurrectionem) interea fuisset terrâ obrutum & redactum in
cinerem, quod fuisset argumentum contractæ noxæ originalis, & con-
demnationis primorum parentum: quâ dictum est. *Pulvis es, & in
pulverem reverteris.*

Gene. 3.

Verùm qui hæc objicies: inopem & invalidam censere videris divi-
nam omnipotentiam, aut providentiam ejus minùs sedulam, tanquam
non potuisset corpus sacratissimum gloriosæ Dei Parentis etiam terrâ
conditum præservasse integrum à corruptione usque ad suæ resurre-
ctionis horam: qui eam antequàm conciperetur præservavit à labe
peccati, & cum filium Dei conciperet atque pareret: integritatem
virginalem in sacro ipsius corpore conservavit. Nonne vides, cum sta-
to atque determinato tempore diutius post filij sui reditum in cœ-
lum, beata Virgo migravit ex hoc mundo: non passus est Deus san-
ctum suum templum videre corruptionem, sacratissimum scilicet suæ
Matris corpus resolvi in pulverem: sed animæ rursùm unitum revo-
cavit ad vitam cœlestem, ut posterius futura est amplior illius decla-
ratio. Cur igitur non potuisset ipse Deus sacrosanctum Virginis
gloriosæ

gloriosa corpus præservasse intactum à resolutione in cinerem & vermes : quoad cum filio suo à morte resurgeret ? Sed quid nos de clausa beatæ Virgini janua cœli (ut objectant alij) sermonem diutiùs protrahimus ? cum de eadem benedicta Virgine Catholica concinat Ecclesia. *Paradisi porta per Evam cunctis clausa est : & per beatam Virginem iterùm patefacta est.* Si est porta regni cœlestis patefacta per Virginem MARIAM : quomodo filia fuit iræ aut maledictionis ? quomodo ex Eva contraxit carnem peccati : aut ejus obligatione fuit obstricta ? Nonne si prævaricatio occlusit portam cœli : innocentia illam rursùm aperuit ? Fuit igitur beatissima Virgo, per quam modo quodam præparatorio patefacta est janua cœli (quia ex ea veram nostræ carnis substantiam sumpsit Dei Filius : qui hujusmodi patefactionem consummavit, inchoatamque complevit) prorsùs innocens : & ab omni culpa originali omninò immunis.

Quamvis asseratur puritas Conceptionis Virginalis : non tamen æquatur Mater suo filio in laude, dignitate & excellentia.

CAPUT VIII.

DEcimaquinta adversariorum objectio. Non est homo æquandus dignitate, puritate atque perfectione filio Dei, ut nostræ carnis induit substantiam, cum dicat psalmus. *Quis in nubibus æquabitur Domino : similis erit Deo in filiis Dei ?* & alio loco Deus per Prophetam clamat : *Gloriam meam alteri non dabo.* At si beata Virgo MARIA ponatur in conceptione fuisse immunis à peccato originali : asseretur fuisse æqualis dignitate, puritate & innocentia Christo filio suo, eritque ejus conceptio tam digna, admiranda & glorificanda : sicut conceptio filij, quæ tamen meritò cæteris omnibus conceptibus ob singularem ejus præcellentiam anteferenda venit. Non est igitur beata Virgo expers originalis contagij : ut in eo ipso saltem infra filium suum (ut par est) collocetur.

Responsio. Quamvis sacrosancta Virgo MARIA concedatur concepta sine peccati originalis iniquatione, sicut & Christus Dominus noster : magnum tamen est inter utriusque conceptionem dignitatis discrimen.

1. Corin. 15 discrimen. Sicut alia est claritas solis & alia lunæ: suum mutuantis lumen à sole, & stella à stella differt in claritate: & tamen unaquæque earum est clara.

Quomodo
differunt
puritas
conceptionis
Christi
& Maria.

Primò siquidem discrepat unius in conceptione puritas ab altera, quòd Dominus noster immunis fuit labefactionis originalis naturæ, quoniam non erat aptus natus illud contrahere: eùm non esset ex concupiscentia genitus neque virili consortio. Beata autem Virgo MARIA hujusmodi peccati immunitatem habuit solâ gratiâ: quâ præservata est insigniter, ne ex matrimoniali thoro genita illud sustineret. Et ergò beata Virgo debuit id filio suo (ut & fecit) acceptum referre quatenus Deus est, quòd eam in suo conceptu immaculatam servaverit, pendebatque illa immaculata origo à Deo auctore: sicut lumen lunæ à sole.

Secundò. Quia Christus ratione suæ conceptionis admirandæ neque modum habuit contrahendi inquinamentum originis (neque illius reatum: eò quòd non fuerit ex carnis concupiscentia genitus. Sacra autem Virgo modum quidem contrahendi contaminationem hujuscè peccati habuit: quòd ex conjugali congressu ortum habuerit, quo in cæteris illa contrahitur lues peccati, non tamen reatum habuit & maculam: quòd à Deo, præveniente benedictione, sit præservata. Quocircà immunitas Christi à peccato, longè superior est, sublimior & syncerior: quàm sacrosanctæ ejus Matris. Nam quamvis in neutro eorum fuerit illa macula: in Christo tamen defuit res & occasio rei. In beata autem Virgine absuit quidem res ipsa & labe supradictæ: non tamen occasio contrahendi mali, at hæc ne inferret noxam: à Deo est præpedita. Fuit itaque Christi in conceptione puritas à contrahendo illo contagio elongatior & distantior: quàm candidissimæ ejus Matris.

Tertiò. Quia Christus de Spiritu Sancto conceptus est: & ex Matre semper Virgine natus. Beata autem Virgo MARIA ex immaculato conjugum thoro humano more concepta est, & ex sancta matrona præclaraque muliere Anna, ut cæteri infantes, in lucem ædita.

Quartò. Quia in ipso conceptionis Christi momento, divinitas humanæ naturæ ineffabili modo in sacre Virginis utero est unita: ut conceperit dignissima Virgo non hominem solùm, sed & Deum & hominem. Id autem eùm beata conciperetur Virgo, nequaquam factum esse confitendum est, nam in ipsa (ut & nobis) sola fuit humanæ naturæ substantia.

Quinto. Quia in primo conceptionis ipsius Christi articulo : Sacratissimum ejus corpus omnino organo completè formatum est, & figurà digestum, atque suis ex partibus integrè compactum, & simul sanctissima ejus anima : corpori sic aptato protinùs unita, ut secundum Hieremiæ oraculum : tunc mulier circumdederit virum. Sacra *Hiere. 31.* autem Virginis **MARIÆ** corpus, in utero materno : consuetà temporis successione paulatim efformatum est, & demùm illà completà consecutà formationem sancta anima more aliorum unita. Invenientur facillè & alia utriusque datarum conceptionum discernicula atque discrimina : à studiosis haud magno negotio colligenda. Ex quibus sole clarius evadit, asserentes sacrosantam Virginem sine carne peccati conceptam esse : nequaquam æquare conceptionem ejus conceptui filij sui, sed ipsam longo intervallo huic subijcere atque postponere. Neque eadem dignitas, gloria, & præstabilitas attribuitur conceptui matris & filij : sed asseritur filij conceptus multò esse mirabilior & præstantior.

Quod si instes, saltem singularis gloria Matris Domini tollitur : scilicet concepisse prolem sine peccati originalis contactu, & alteri etiam communicatur, utpotè beatæ Annæ. Nam secundum hanc asseritionem : & sancta Anna concepit sacram Virginem sine peccati contagio. *Objectionis dilatio.*

Responsio in promptu est. Sicut singularis excellentia Christi non est esse conceptum sine carne peccati : nam & id beatæ competit Virgini, sed esse conceptum sine peccato de Spiritu sancto : & in Matre Virgine. Nullus enim alius inter filios hominum sic unquam conceptus est : neque concipietur. Ita præcipua & peculiaris excellentia intemeratæ Virginis non est : quod sine peccati originalis sordè prolem conceperit, quandoquidem ex confesso illud etiam sanctæ Annæ tribuitur, sed quòd Virgo permanens : de Spiritu sancto Deum simul & hominem castissimis concepit visceribus. In hoc namque super cœlesti mysterio : nec primam similem visa est nec habere sequentem. Et ita si integra semper & tota assignetur unius & alterius dignitas : facillè conspicietur Christum omnibus hominibus longè supereminere, & sacratissimam Virginem **MARIAM** Annam Matrem suam multò præcellere.

Undè inter tres supradictos : Annam gloriosæ Virginis matrem, *Christus,* ipsam sacram Virginem, & Christum : quædam invenitur proportio *Maria,* & comparationis habitudo, in hoc quod est concipere aut concipi *Anna.*
fine

sine peccati originalis corruptela. Nempè gloriosa Virginis Mater Anna, non fuit concepta sine hujusmodi labe: concepit tamen MARIAM Virginem sine contagio illius peccati. De reliqua verò ejus sancta prole, id non asserimus: neque eadem ratio ad illud ponendum nos adigit. Beata autem Virgo MARIA & concepta est sine labe originis: & filium itidem suum benedictum in sæcula concepit sine tali inquinamento. Dominus autem noster, sine hujusmodi macula conceptus est solum. Non autem concepit: quoniam id suæ naturæ conditio non admittit. Vides igitur Annam inferiùs tenere extremum, & unum dumtaxat habere privilegium: quoniam concepit sine peccato, non autem concepta est. Cernis item sacram Virginem: medium inter datos proportionales terminos obtinere locum, quoniam concepta est sine peccato, & etiam concepit: duabus insignita prærogativis. Denique conspicias Dominum nostrum, supremum sortiri comparisonis locum: quoniam sine peccato conceptus est, non autem concepit. Et quemadmodum in tribus istis proportionalibus extremis, supremum medio præstantius est: ita & medium infimo.

*Objectionis
amotio.*

Sed mox instabis. Infimo loco collocatum extremum, minus est medio, quoniam unum dumtaxat habet donum singulare: medium autem duo. Ergò consimili ratione & supremo vertice situm extremum erit minus medio: quia unum tantummodo habet privilegium, medium autem duo.

Verùm non similis utrobique convincit aut militat ratio. Nam si supremum extremum natum esset illa duo in se suscipere, utpotè concipi à matre, itidem & concipere prolem, quemadmodum & illa duo inveniuntur in infimo: rata esset & valida ratiocinatio. At quoniam illorum alterum solum, utputa concipi: ipsi supremo extremo potest ex naturæ humanæ conditione convenire, non debet in altero membro scilicet concipere sobolem sine peccato: ipsius ad medium fieri collatio. Neque hoc: supremi extremi derogat dignitati, nam ipsum aliam habet excellentiam: utputa quod de Spiritu sancto conceptus est in Matre Virgine, quod item verus est Deus & verus homo, quo postremo ipsum medium impropotionaliter transcendit.

Augustinus Decimalexta adversariorum objectio. A sacris authoribus solus Christus dicitur esse sine peccato. Dicit enim Augustinus super Iohannem. *Idèd Christus singulariter dicitur innocens: quia solus fuit sine peccato, solus sine macula, non ejus maculae absterse sunt: sed ejus macula nulla fuit.* Si igitur & beatæ Virgini ille attribuitur dignitatis

nitatis titulus, quia etiam sine quacumque fuerit peccati macula deducta ad ortum: singularis Christi dignitas illa, scilicet impeccantia, alteri ascribetur ut puta ejus matri, quod cedit in extenuationem singularis magnificentiae ejus, quinimmo protinus consequens erit: non solum Christum esse sine peccato.

Responso. Cum sacri authores eas enunciant propositiones, quibus solum Christum secludunt à peccati labe: illa particula exclusionis non sacratam ejus Matrem secludit: sed ceteros post eam. Cum enim secundum Aristotelem in Ethicis filius sit pars patris separata, sitque ut pater se junctus: ipse Christus qui totam sumpsit naturæ nostræ substantiam ex sacratissima Virgine (cum tamen alij partem solum corporalis substantiæ à Patre sumunt, & partem à matre) rectè dicetur pars suæ benedictæ Matris, sed separata & se juncta: solum humanitatis ipsius rationem attendendo. Et si ceteri filij Iacob de Ioseph fratre suo (cum quo communem dumtaxat habuerunt patrem) dixerunt: *Frater noster & caro nostra est*; Nonne valentiori jure potuit *Gene. 37.* castissima Mater de singulari suo & unico filio Domino nostro verè dixisse: *Os meum & caro mea est*? Cum igitur caro filij excipitur à peccati ignominia: cur non simul itidem propter consubstantialitatem filij cum matre & identitatem substantiæ, ipsa mater (de qua sumpta est immaculata filij caro) intelligatur eximi ab eodem inproperio? Itaque cum singulariter Christus dicitur innocens, & solum sine peccato: non intelligas ibidem excludi Matrem Christi, sed potius includi, tanquam eandem cum Christo carnem sortitam.

Sed mox instabis. Consimili ratione cum dicimus solum Christum de Spiritu Sancto conceptum, solum Christum ex virgine natum, solum item Christum pro nobis mortem passum: non intelligere debemus seclusam ab hisce locutionibus Dei Matrem, sed inclusam. Quare confiteri cogemur: & beatam Virginem de Spiritu Sancto conceptam, ex Virgine Matre natam, & pro nobis mortem perpassam, quo nichil ineptius aut absurdus.

Verum respondemus: non eandem in his propositionibus postremo adductis, & superioribus rationem militare. Nam ubi explicantur in elocutionibus nostris proprietates personales & individuae, quibus unum singulare ab alio quovis ejusdem naturæ individuo secernitur: particula exclusionis adjecta excludit ab ea proprietate quodvis ejusdem substantiæ individuum. Esse autem conceptum de Spiritu Sancto, esse natum de Virgine, esse passum mortem pro nobis: hu-

jusmodi sunt individuales Christi proprietates, & ergò cum particu-
 la exclusionis sumptæ: secludunt beatam Virginem & cæteros om-
 nes homines. Sed cum enunciatur proprietates communes, quæ om-
 nibus aut pluribus ejusdem speciei singularibus congruunt, ut esse in-
 nocentem, esse sine peccato, esse immaculatum: particula exclusiva
 illis adjecta non excludit alia ejusdem naturæ singularia ab hujusmodi
 conditionibus, naturam rectam consequentibus: maximè habentia
 præcipuam quamdam habitudinem, ad unum illud singulare cui pri-
 mò attribuuntur. Quemadmodum in divinis enunciandis proprie-
 tatibus, cum dicimus solum Patrem gignentem, solum Filium Dei à
 Patre genitum, & solum Spiritum sanctum ab utroque proceden-
 tem: excluduntur ab una quavis enunciatione duæ reliquæ divi-
 næ personæ non expressæ, quòd hypostaticæ & personales ibi as-
 signentur proprietates: quibus singulariter ab invicem divinæ hy-
 postases dirimuntur. Verùm, cum in cantico angelico ad Filium Dei
 venerabunda dicit Ecclesia: *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Do-*
minus, tu solus Altissimus, IESU CHRISTE, & cum in Evangelio
 nemo dicitur scire diem judicij nisi Pater solus: non secluduntur
 per hanc exclusionis notam ab illis proprietatibus expressis cæteræ
 personæ ibidem non nominatæ, quin potius includuntur & intel-
 liguntur sub ea quæ nominatim est posita, non minus enim Pater
 sanctus, Dominus, & Altissimus, quàm filius. Etiam Spiritus san-
 ctus: & sanctus est, & Dominus, & Altissimus, perindè atque fi-
 lius, denique non minus Filius Dei & Spiritus sanctus diem judi-
 cij noscunt, quàm pater: quoniam ipsorum unica est divina notio.
 Et hujus ratio ad manum atque in promptu est: quoniam esse san-
 ctum, esse Dominum, esse Altissimum, noscere diem judicij,
 proprietates sunt naturales & substantiales: indifferenter, commu-
 niter, & identicè omnibus personis divinis convenientes.

Matth. 24.

Ex eo quòd Beata Virgo oraverit sua dimitti debita: non effici ipsam fuisse ulli peccato obnoxiam.

CAPUT IX.

Decimaseptima adversariorum objectio. Beata Virgo ut fervens *Matth. 6.* spiritu & animo tota in Deum intenta, sæpius Patrem cœlestem orasse creditur: sicut Christus docuit Apostolos suos orare. *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.* Quare & id more cæterorum subjunxisse inter orandum: *Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* At id postremum rectè & verè dicere non potuit: nisi peccati obligationem in se haberet, quæ debitorum nomine designaretur, habuit igitur & ipsa in se aliquam peccati labem: quam sic orans petivit à Deo dimitti atque deleri.

Responso. Purissima Virgo MARIA pro suis propriis delictis dimittendis nunquam oravit: nam nullam unquam habuit iniquitatem, sed illius loco continuas Deo gratias egit de præservatrice ejus gratia: quæ immunem eam servavit ab omni malo. Pro alienis autem *Quorum beata virgo oravit debita dimitti.* peccatis abolendis frequentius oravit, inflammata charitate & dilectione proximi: quâ aliorum salutem flagrantissimo desideravit animo, & assiduus precibus veniam pro eorum peccatis postulavit. Itaque cum oravit *Quorum beata virgo oravit debita dimitti.* piensissima Virgo, & *dimitte nobis debita nostra:* proximorum suorum (qui spirituali fraternitate illi erant conjuncti: & corporis ipsius mystici simul cum ea membrum) peccata deleri exoravit, quinimò ex ardentissimo charitatis igne aliorum peccata tanquam sua existimavit: condolens membrorum Christi infirmitati, & illud beati Pauli dictum in se complens. *Si quid patitur unum membrum: compatiuntur & cætera membra,* & cum eodem Apostolo dicens: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Si enim plerisque Sanctorum tam *I Corin. 12.* sinceram charitatem affuisse legimus, ut aliorum peccata perindè atque sua defleverint, & sollicitè pro ipsorum salute Deum exoraverint: *2 Corin. 11.* an credemus illam cordis Deo agitati flammam sanctissimum Virginitatis pectus non succendisse, quâ & pias pro aliorum erratis profuderit lachrymas & preces? quandoquidem illi infusa est tota gratiæ plenitudo

nitudo. Et certè quemadmodum nunc in cœlis coronata, & sublimi in throno gloriæ regnans, sedula est apud Deum pro peccatoribus Oratrix: ita & cum hâc vitam ageret, sollicitè pro ipsorum salute & veniâ peccatorum impetrandâ Deum postulavit. Sed age, nonne Christus eandem, quam discipulos edocuit orationem, ad Deum Patrem sæpenumero fudit? qui quæ alios docuit: eadem & fecit. Cum igitur protulit illam orationis particulam, *Et dimitte nobis debita nostra*: an sua ipsius debita petivit dimitti, quæ prorsus nulla fuere? anne potiùs aliorum, scilicet membrorum suorum? quorum delicta ex sincero dilectionis affectu sæpiùs in Psalmis sua appellavit: nonstram sibi personam accommodans, ut cum ait: *Longè à salute mea: verba delictorum meorum.* Et rursum: *quoniam tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.* Et iterùm, *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Ubi nostra ipsorum peccata sua appellat, ex nimio fervore dilectionis, & pro illis tanquam suis confessionem & pœnitentiam agit: ut doceat nos suo exemplo etiam pro nostris libenter pœnitentiam suscipere. Haud aliter & beata Virgo peccantiæ omninò immunis, filiique sui in omnibus æmula ac imitatrix, non pro suis; sed solùm aliorum debitis dimittendis preces fudit. At verò nos qui in iniquitatibus concepti sumus, & quotidie in multis offendimus: & pro nostris & aliorum relaxandis peccatis Deo supplicare debemus. Ad quod significandum, oratio illa maximè omnium salutaris & Deo Patri acceptissima, quam nos filius Dei sacro ore suo edocuit: pronomina habet orantes designantia, tum primigenia, tum derivata: pluralem designantia multorumque demonstrationem. Non enim oramus: Pater mi qui es in cœlis, sed Pater noster, neque itidem dicimus: dimitte michi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, quo doceamur (ut facer ait Cyprianus) communem pro toto fidelium cœtu nos orationem effundere debere: neque solùm pro peccatis propriis, sed etiam aliorum solvendis Deum exposcere. Ita enim in sermone sexto (qui est de oratione Dominica) inquit. Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister, singularim noluit & privatim precem fieri: ut quis cum precatur, pro se tantum precetur. non enim dicimus: Pater meus qui in cœlis es, nec panem meum da michi hodie, nec dimitti sibi tantum unusquisque debita postulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque à malo liberetur: pro se solo rogat. Publica est nobis & communis oratio, & quando oramus: non pro uno, sed pro populo toto oramus: quia totus populus unum sumus.

Deus pacis & concordia: magister qui docuit veritatem, sic orare unum pro omnibus voluit: quomodo in uno omnes ipse portavit.

Decimoctava objectio. Una hæc est Sanctorum Patrum sententia: omnes homines, excepto Christo, peccati originalis debito esse obnoxios, cum dicat beatus Augustinus in fine secundi libri contra Iulianum: Omnes divinorum eloquiorum clarissimi pertractatores in hanc catholicam veritatem conveniunt: ut peccato illius primi hominis omnes homines nasci credantur obnoxij. Undè ab hac generali sententia nemo excipitur: nisi solus ille, quem sine lege peccati repugnante legi mentis, Virgo concepit. Igitur & beata Virgo MARIAM ejusdem peccati debito fuit in principio astricta. Augustinus
Cap. 4.

Responsio. Quemadmodum superius dictum est, propositiones universales à sacris authoribus positæ, enunciantes omnes homines peccato originis esse deformatos: accipiendæ sunt de hominibus secundum communem legem ad ortum deductis, neque applicandæ ad Dominum nostrum, ut rectè fatentur omnes, neque ad sacratissimam ejus Matrem, quod opto fateantur omnes. Nam ipsa singulari privilegio ab hac hominum peccati tæbe contractorum universalitate est excepta: ut quæ nunquam Adæ maledicto fuerit subacta. Proinde qui has enunciationes generalitatem sonantes, applicare contendunt ad sacrosanctam Virginem: haud secus pseudographiam falsamque descriptionem committunt, atque geometra: hoc proloquium, lineas omnes ab eodem puncto in idem punctum protractas, esse æquales: accipiendum dumtaxat de lineis rectis, accommodans perperam ad lineas obliquas & curvas. Quod beata Virgo à communi hominum generalitate est excepta.

Sed dicant obsecro; nonne Scriptura sæpius generatim pronunciat: omnes homines peccato voluntatis & actuali esse obnoxios, nullumque omnino mortalium peccati etiam spontè admitti esse expertem? Si dixerimus (inquit Ioannes) quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et beatus Iacobus: In multis offendimus omnes. Rursùm Salomon in dedicatione magnifici templi à se extructi orans, dicit. Non enim est homo: qui non peccet. Et Ecclesiasticus. Non est homo iustus in terra: qui faciat bonum & non peccet. Denique Salomon in Proverbiis. Quis potest dicere: mundum est cor meum, & purus sum ego à peccato? Attamen ab istis propositionibus universalem præferentibus sensum, excipiunt adversarij nostri & rectè sacrosanctam Virginem MARIAM: quam fatentur ab omni peccato actuali, veniali scilicet & mortali, semper fuisse immunem. Cur non etiam simili

jure eam eximunt enunciationibus universalibus aut sacrorum eloquiorum aut Sanctorum Patrum: designantibus omnes labi originis esse addictos? par enim eademque militat ratio, & per id quod in illis faciunt: docentur manifestè quid in his facere debeant.

*In sacrosancta Virgine MARIA nunquam fuisse fomitem peccati: neque potentialem neque actua-
lem, neque ligatum neque solutum.*

CAPUT X.

Decimanona adversariorum objectio. In quocunque fuit fomes peccati & concupiscentia carnis: in eodem fuit peccatum originale, cum effectus esse nequeat sine causa sua: & fomes sit ut reliquæ quædam ipsius contagij ex origine contracti. At in sacrosancta Virgine MARIA fuit fomes peccati: nam secundum Bedam, Nicolaum Lyrensem, Hugonem de sancto Victore, & ceteros Spiritus Sanctus supervenit in eam, cum esset Filium Dei conceptura, secundum verbum Angeli: ut eam à fomite peccati purgaret atque munderet. Igitur ante supervenientem in ipsam Spiritum sanctum tempore conceptionis Filij Dei: fuit in ipsa fomes, igne spiritus expurgandus.

Responsio. Inficiandum est omnino, in sacratissima Virgine fuisse fomitem carnis, aut solutum, liberum, effrenemque: & rebellionem carnis in spiritum excitantem, aut sopitum, ligatumque (ut ipsorum utar verbis) atque ita frenatum: ut impuras carnis motiones suscitare nunquam quiverit. Non enim amplius in ea fuit fomiti peccati locus: quam in primis nostris parentibus, & in Christo Domino nostro, quibus nunquam adhuc aliquis fomitem peccati impexit, quia non minus immunis à peccato originis fuit conceptus sacrosanctæ Virginis: quam horum trium quos adduximus, progressus ad ortum. Quare nec in eadem sacrosancta Virgine admittenda est unquam fuisse concupiscentia, infirmitasque carnis, neque pontentialis, ut est in parvulis lege communi conceptis ante annos pubertatis: cum necdum pullulant obscenæ commotiones in carne, latet tamen occultum virus quod postea se prodit: neque actualis, ut est in ijs qui
jam

jam pubertatis aetatem attingerunt : quibus ebulliunt atque insurgunt aculei carnis actu in spiritum. Neque putandum est, Spiritum Sanctum subvenisse in beatam Virginem Filio Dei oppignorandam : ut à fomite prius contracto eam emundaret (pace eorum dixerim, si qui sacrorum authorum id asseruerint : cum non dum esset ad amissum hujuscè rei perspecta aut explorata veritas) aut sanctificaret ad Filium Dei concipiendum, quæ enim semper sancta fuit : novâ sanctificatione, ut purgaretur, non indiguit. Sed supervenit in eam Spiritus Sanctus : ut virtutem concipiendi filium sine viri consortio, ipsi suprâ naturæ legem conferret, quod manifestum evadit ex præcedente sacræ Virginis ad Angelum interrogatione, quæ cum audisset cœlitus promitti sibi filium, conscia virginei sui pudoris Deo consecrati : quæ sivit ab Angelo. *Quomodo fiet istud : quoniam virum non cognosco ?* Cui respondit Angelus. *Spiritus sanctus supervenit in te : & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce verba angelica liquidò monstrant, propterea tunc superventurum in eam Spiritum Sanctum : ut quamvis nunquam virum sit cognitura, virtute tamen cœlestis Spiritus fiat gravidâ. Sed quonam pacto ante filij sui conceptum fuisset in ipsa fomies : quæ priusquam foret prægnans, ab Angelo salutata est plena gratiâ ? aut quânam ratione cum illa gratiæ plenitudine quæ omnem ab ea sustulit etiam minimum lapsum venialem : simul in ea fuit seminarium peccati aut carnis infirmitas ? Non repugnat tamen huic exuberantiæ gratiarum, novus in eam Spiritus Sancti adventus, ad novum & admirabile munus illi præstandum : ut scilicet mater fieret sine viri congressu, & Virgo Deum, hominemque conciperet. Sic & sancta præcursoris Domini mater Elizabeth, ante Salvatorem dignissimæ Virginis MARIE, Spiritus sancti habuit gratiam : ut quæ iusta fuerit & Deo digna. Attamen auditâ Virginis & Matris Dei salutatione, *repleta Spiritu sancto* tunc fuisse describitur : quod novum ei Spiritus Domini donum Propheticum tum infuderit, quo secretum incarnationis mysterium & angelica ad beatam Virginem habita verba, Domino revelante, cognovit. Et in sacris eloquiis viri Apostolici Spiritu sancto semper pleni, cum aliquid dicturi aut facturi essent arduum : tunc Spiritu Sancto repleti dicuntur, non quidem quod Spiritum Sanctum ante non habuerint : sed quia ad novum & magnum opus peragendum præsentem Spiritus efficaciam tum acceperint, quasi de novo advenientem ad illum effectum.

Quare spiritus sanctus supervenit in Virginem.

Lucæ, 1.

Lucæ, 1.

Actu. 4.

Actu. 7.

Actu. 13.

Quocirca ut dilucidè cognoscant omnes, quantum nostra quin-
immò

*Quæ de
Virginali
conceptione
sunt sen-
tienda.*

immò totius Ecclesiæ & veritatis distet sententia, à placitis eorum qui oppositas nobis partes hæctenùs tutati sunt: hæc paucis sunt annotanda. Primò quidem ponunt adversarij conceptionem sacræ Virginis secundum carnem solùm fuisse cum infirmitate carnis & eâ labem: quæ animam postea in conjunctione ad corpus deformare solet atque commaculare. Nos verò dicimus illam primam sacræ Virginis conceptionem secundum carnem, fuisse sine illa sorde & macula: quæ postea animam contaminare posset, quemadmodum in libri præcedentis vicesimo octava ratione diffusius est ostensum. Secundò dicunt alij in unione sanctæ animæ ad corpus ejus in utero materno completè efformatum ipsam animam tum contraxisse labem originalem, & aliquantâ morulâ hujusmodi luem contagiosam pertulisse. Nos verò asruimus: ex hujusmodi unione ad purum & semper sanctum corpus, nullam labem esse illatam animæ sanctæ Virginis, ut in loco supradiçto etiam est explicatum. Tertio ponunt alij paulò post unionem sanctæ animæ Virginis ad corpus ejus: ipsam gloriosam Virginem fuisse Dei gratiâ sanctificatam in utero materno. Per quam (ut dicunt) sanctificationem: mundata est à peccato originali priùs contracto, & fomes carnis ita repressus & cohibitus in ea: ut nunquam rebellionem contra spiritum excitare potuerit. Nos verò hujusmodi sanctificationem, quæ priorem aboleat noxam, in Virgine omninò negamus: itidem & fomitis illic latentis repressionem, potiore dignissimam Virginem sanctificatione honorantes: quæ sit ab omni macula cum corporis tum animæ per divinam præventionem conservatio, & magis quàm cæteri fomitem ab ipsa excludentes: quem ne repressum quidem aut coercitum, in illa unquam habuisse locum asseveramus. Siquidem liberior est & purior serenissima Virgo à fomite: quando astringitur nullo modo unquam pertulisse fomitem, quam si in ea posueris illum sopitum & constrictum, quasi sathanam alligatum non habentem nocendi vires. Quarto asserunt adversarij, in secunda sanctificatione beatæ Virginis, factâ (ut aiunt) quando erat conceptura Filium Dei: supervenientem in eam Spiritum Sanctum, omnem sustulisse fomitem etiam potentialem, & concupiscentiam carnis, & tantâ confirmasse virtute: ut nunquam deinceps peccare potuerit. Nos verò hanc secundam (ut ponunt) sanctificationem negamus: quæ fomitis sopiti reliquias sustulerit, aut concupiscentiæ extinxerit æstum, cum neque præcessisse in ea fomitem admittamus, neque exæstualle in ea concupiscentiam: ad quam restin-

*In beata
Virgine
numquam
fuisse fo-
mitem pec-
cati.*

guendam,

guendam, Spiritus sancti refrigerio fuerit opus. Semper enim sancta fuit & pura: etiam in primo suo exortu, & ab ipso deinceps permansit sancta: ut non fuerit opus hac novâ sanctificatione, quæ præcedentem illi fomitem impingat.

Porro quoniam ad astruendam purgationem beatæ MARIE Virginis à fomite peccati per adventum Spiritus sancti, cum esset conceptura Filium Dei, quam (ut dictum est) confingunt: adducere solent, qui illas tutantur partes, inter cætera pro se testimonium Ioannis Damasceni in secundo capite tertij libri de Fide Orthodoxa, id in præsentia annotare est operè precium: quòd secundum primam translationem, eo in loco ita habet supradicti authoris littera. Post assensum igitur semper Virginis, Spiritus sanctus supervenit super ipsam (secundum Domini sermonem, quem dixit Angelus) purgans ipsam: & virtutem susceptivam Verbi Dei tribuens, simul autem & generativam. Secunda verò ejusdem traductio: ita eandem exprimit sententiam. Unde post consensum sanctæ Virginis, spiritus sanctus descendit super eam (secundum verbum Domini quod dixerat Angelus) sanctificans eam, & receptibilem virtutem Verbi divini donans, simul & generativam. Sed utramque harum traductionum ab archetypo deerrasse crediderim, propter æquivocationem unius vocabuli: quod ille prior interpret, purgans, interpretatus est: hic vero posterior, sanctificans, & uterque ad Spiritum sanctum hoc & illud rettulit, cum in recentiore interpretatione superioribus annis in lucem ædita: eorum vocabulorum loco, interpret postremus posuerit, instruens: & ad Angelum hoc retulerit, non ad Spiritum sanctum, hoc modo. Post igitur consensum sanctæ Virginis, Spiritus sanctus supervenit in eam: juxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus instruens ipsam, & virtutem divinitatis Verbi susceptivam præbuit: simul autem & generativam. Videsne ex ipso orationis contextu in duabus primis traductionibus, adjectiva, purgans & sanctificans, ad Spiritum sanctum referri: sicut & sequentia, tribuens & donans? Quoniam nullum illorum Angeli est officium. In tertia verò translatione: adjectivum, instruens, illorum loco positum: referri ad Angelum, verbum autem præbuit, sicut & supervenit: ad Spiritum sanctum? Quarum sane traductionum tertiam fideliozem & veriozem crediderim: quòd Evangelicæ lectioni propinquius accèdat, cum dicit Angelum edocuisse atque instruxisse Virginem: quod & tradit Evangelium. Non autem ex Evangelij sententia unquam collegeris: quòd

Ioannes
Damascenus.

Lucæ 1.

Spiritus sanctus purgavit sacrosanctam Virginem : eum filium Dei esset conceptura, aut ipsam sanctificavit, sed id duntaxat : quod supervenit in eam, ut sine viri adiutorio conciperet. Caterum hoc eam ob rem adjectum hic voluimus : ut admoneamus lectores non leviter esse credendum sententiis omnibus Authorum aut distis, quæ in oppositam partem ab aliis adducuntur, quoniam plerumque ob viciata exemplaria aliter afferri possunt in testimonium : quam archetypus liber continet.

Quod assertio puritatis in conceptione beata Virginis : neque Sanctæ Scriptura neque fidei contradicit.

C A P U T X I.

Roma. 3.

Roma. 5.

Vicesima adversariorum objectio. Qui beatam Virginem MARIAM eximunt à peccati originalis contractione : Scripturæ sanctæ contradicunt, asserenti ad Romanos tertio cap. *Quod omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, & quinto ejusdem Epistolæ capite. *Quod per unum hominem peccatum intravit in mundum : in quo omnes peccaverunt.* Non est igitur hujusmodi assertio vero consentanea.

Responsio. Quemadmodum in decimæ octavæ objectionis dissolutione dictum est, hujusmodi propositiones universales in sacris eloquiis positæ, quæ omnes designant obnoxios peccato : intelligendæ sunt cum exceptione sacratæ Virginis, quod ipsa speciali privilegio exempta sit ab hac obligatione : & quâdam prærogativâ gratiæ præservata, nè conspurcata fieret aut polluta tali labe.

Carilli ex-
claso.

Verum sæpius datam hanc responsionem impugnant adversarij, oblatrantes nulli seipsum vel alium à lege communi exemptum asserenti, credendum esse : nisi privilegium illud ostendat & proferat in medium, illiusque fidem faciat. At hujusmodi exemptionis sacratæ Virginis privilegium neque sacra Scriptura (dicunt) facit fidem, neque Sanctorum Patrum autoritas, neque humana ratio, neque divina revelatio tanti quidem momenti ac ponderis ut illi merito sit habenda fides. Non est igitur hoc privilegium nulli (ut ferunt) innoxium solido fundamento : adducendum in assertionem puritatis Conceptionis beatæ Virginis.

Ceterum

Cæterùm qui hæc objectant eùm nullum contendunt esse robur aut auctoramentum huic quod astruimus privilegio: ipsi quatuor certâ serie nominant, à quibus ista exemptio corroboratur & solidatur. Si enim scrutantur scripturas in quibus putant se vitam æternam habere, & non deficiunt scrutantes scrutinio, sed diligentius examinant: inventiunt ipsi sacratissimæ Virgini sub typo Hester re- *Hester. 15.*
 ginæ à summo rege dictum esse: *non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quid hæc exemptione evidentius aut clarius adduci posset, aut quis eam jure calumnietur? Simile huic est quod de sacrata Virgine in Genesi legitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: & sementium* *Gene. 3.*
& semen illius. Et illud: *Multæ filia congregaverunt divitias: tu supergressa* *Prover. 31*
es universas. In cæteris quidem mulieribus: id locum habet. *Maledicta*
terra in opere tuo. De hæc verò singulari Virgine: *Benedixisti Domine ter-* *Gene. 3.*
ram tuam, & benedicta inter mulieres: Ab Angelo & sancta Elisabeth *Psal. 84.*
 prædicatur. Et nè in adducendis Scripturæ testimoniis sim operosior *Lucæ. 1.*
 aut prolixior: ex rationibus conplurculis superiore libro explicatis, occurrent facilè per multa ex sacris eloquiis deprompta: quæ hujuscè privilegij specialis fidem faciant. Insuper ex ejusdem præcedentis libri ratione vicesimâ sextâ apertè liquet: hujusmodi privilegium sacræ Virgini collatum, comprobari Sanctorum Patrum gravissimâ autoritate. Ex ratione verò decimasæptima & decimanona evadit perspicuum: humanâ etiam ratione tale privilegium fulciri. Denique ex præcedentis libri ratione vicesimâ octavâ dilucidum est: hujusmodi prærogativam Deo sacratæ Virgini collatam, divinâ revelatione esse suffultam, & ex tricesimâ prima ratione eandem universalis Ecclesiæ judicio esse corroboratam. Desinant igitur cavillari adversarij, illud gratuitum & peculiare munus exceptionis à contrahenda labe in conceptione, quod sacræ Virgini singulariter est præstitum: nullo nitu firmo fundamento, & tot munitum testimoniis: libenter nobiscum fateantur.

Vicesimâ prima adversariorum objectio. Qui sacratissimam Virginem MARIAM asserunt immunem fuisse à labe peccati: Catholicæ fidei resistunt, cum dicat Augustinus libro quinto contra Julianum: *Augustinus*
Omnes homines vulneratos esse peccato prothoplasti Apostolus probat, cum dicit: *Roman. 3.*
Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei. Dicendo omnes: nullum excipit, sed totum declaravit genus humanum, peccaverunt enim omnes: cum ex uno peccatore omnes nascuntur peccatores. Vos autem dum aliquem excipitis: resistitis fundatissimæ fidei. Numquid

hæc Apostoli verba, falsa sunt? Quis audeat hoc dicere: nisi divinorum eloquiorum apertissimus inimicus? Non est igitur hæc assentio quæ Fidei adversatur: consona veritati.

Responsio. Qui ab universali enunciatione Fidei, proprio iudicio, sententiâ atque arbitrio quemquam excipit, non innixus divinæ auctoritati, sed solum proprio sensui: is reverâ fundamentis Fidei resistit, temeritatis & arrogantia meritiò arguendus. Qui verò à communi lege eam excipit Virginem: quam multis miraculis Deus significavit exceptam, quam sancti Patres, humana ratio pietati religionis conformis, & totius Ecclesiæ excepit iudicium: non resistit Orthodoxæ Fidei, sed assentitur, & quam maximè suffragatur. Itaque qui B. Virginem dicunt in conceptu, labis contagiosæ fuisse exortem: non tam eam excipiunt à communi lege obligationis Adæ, quàm à Deo exceptam fuisse declarant. Et quid mirum? cùm nulla fermè inveniatur propositio tam universalis in quacumque legis positione: quin interdum patiatur exceptionem ex singulari privilegio legislatoris, aut aliâ quavis

Hebre. 9. honestâ causâ. Siquidem *omnibus hominibus statutum est* divinâ lege:

Psal. 88. *semel mori*, ut dicit Psalmus. *Quis est homo qui vivet: & non videbit mor-*

2 Reg. 14. *tem? & secundus liber Regum inquit. Omnes morimur, & quasi aqua*

in terram dilabimur. Et tamen sentiunt nonnulli, aliquos non intercedente morte corporis, ex hoc mundo ad immortalem vitam traductos, & eos qui in consummatione sæculi invenientur vivi: sine morte intermedia ad sortem immortalitatis transferendos. Nonne itidem de cunctis Dei operibus, in hoc pulcherrimo mundi opificio constitutis

Psal. 143. dicit Scriptura: *Quod statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, precep-*

Exo. 14. *tum posuit & non prateribit?* Et tamen cùm mare rubrum pervium præ-

Iosue. 3. *buit iter populo Dei, cùm Iordanis conversus est retrorsum, cùm iti-*

Iosue. 10. *dem ad preces Iosue inelyti ducis sol diutiùs suum distulit occasum,*

4. Reg. 20. *cùm regi Ezechiæ datum est signum reversionis ipsius solis per de-*

Danic. 3. *cem lineas, cùm denique fornacis Babylonicæ flamma absumens*

Chaldeos circumstantes: nullam intulit læsionem tribus pueris, non servata est naturæ lex rebus ipsis indita: sed summus rerum conditor, supra naturam eam suspendit legem, ad suam declarandam omnipotentiam. Rursùm. Nonne vestimenta, calciamentaque longo solent usu humano naturâ atteri atque consumi? Nam & ferreus assiduo

Deute. 29. *consumitur annulus usu. Attamen populi Israëlitiæ vestes & calcei per*

totum illud quadraginta annorum spacium, quo in deserto demorati sunt: nequaquam detrita sunt, aut vetustate absorpta. Si autem id

præstitit

præstitit beneficij Deus populo suo peculiari & electo, propter dignitatem & prærogativam ipsius ex quo Christus erat secundum carnem nasciturus: nonne ob honorem materni tituli & nominis, deicit & singularem illam Virginem (ex qua veram nostræ carnis substantiam erat sumpturus Dei Filius) à communi lege excipi, & ab omni macula in suo ortu præservari?

Certè si in aliis à Deo illi elargitis muneribus præcipuam ejus dignitatem attendis: & hanc quoque candidissimæ puritatis in exortu dotem illi non detrahes. Enimverò dicit de ea beatus Ambrosius. *Beata MARIA priusquam conciperetur vel nasceretur: erat prænunciata & designata miraculis, nata verò de progenie divinitus ordinata: privilegio virtutum insignis emicuit, Salvatorem condidit: à quo glorificata in cælis, nunquam terrigenis patrocinari desistit.* Ambrosius.

Sanè quòd multifariam prænunciata fuerit sacrata Virgo: liquet primùm ex Genesi, ubi à Deo mulier contritura serpentis caput, & inimicitias cum eo habitura perhibetur. Necnon ex Esaia: Virginem filium concepturam & parituram prænunciante, itidem & virgam egressuram de radice Jesse: unde flos erat nasciturus. Eandem quoque insinuat idem Propheta, terræ sitientis nomine: cùm Salvatoris nostri ortum vaticinans ait. *Et ascendet sicut virgultum coram eo: & sicut radix de terra sitienti.* Hieremias, itidem sanctus ex utero matris, hanc præclaram prænunciavit Virginem: cùm ait. *Novum faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum.* Neque prætermisit ipsam Ezechiel: sed portæ clausæ mysterio atque signaculo, eam post conceptum & partum semper Virginem futuram indicavit. Quod & Daniel identidem prophetico explicuit velamento: cùm lapidem excisum de monte sine manibus (qui statuam percussit atque comminuit) Babylonico regi commemoravit, nomine montis: præcellam sublimenque virtute beatam Dei Matrem designans, ex qua prodiit non humano, sed Spiritus Sancti opificio, lapis ille angularis, probatus, & preciosus: quem misit Dominus in fundamentis Sion. Gene. 3.
Esa. 7.
Esa. 11.
Esa. 53.
Hier. 31.
Ezech. 44.
Danie. 2.

Quomodo verò miraculis fuerit præsignata eadem clarissima Virgo: ostendit imprimis rubus ille flagrans igni, & tamen incombusus, Mosis viro Dei in visione ostensus: incontaminatam ipsius puritatem virginitatemque intactam prædemonstrans, ut sancta concinit Ecclesia. Virga item Aaron, quæ floruit sine terræ adminiculo: sæcundam ipsius declaravit virginali servatâ integritate dignitatem. Demùm vellus Gedeonis cœlesti rore madescens: eandem nobis de- Exo. 3.
Nume. 17.
Judic. 6.

clarat egregiam Virginem Spiritus Sancti virtute foetam, imbreque superno perfusam.

Neque id solum quod prædicavimus assecuta est eximia Dei Mater: quod antequam nasceretur, prænunciata Prophetiis oraculis & miraculis designata sit: sed & ante secula præcognitio Dei consilio (ut ait Damascenus) prædeterminata est. Elegit enim eam Deus ante mundi constitutionem: ut esset sancta & immaculata in conspectu ejus, futuraque Filij Dei Mater. Ut jure dicere potuerit id quod ex proverbii eidem ascribitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio: ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi: & ego jam concepta eram.* Rursum & illud merito dixerit de seipsa, sacratissima Virgo MARIA: quod scribitur in Ecclesiastico: *Ab initio & ante secula creata sum, &*

Damascenus.

Prover. 8.

Ecclesi. 24.

Ambrosius.

Gregorius.

Quanta sit
beata Vir-
ginis super
omnes mu-
lieres ex-
cellentia.

usque ad futurum seculum non desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Neque discrepat ab his insignibus (quæ exortum ejus longè præcesserunt) prænunciationibus atque prædeterminationibus: novus ejus in hanc lucem ingressus, parentibus effectis cœlesti oraculo denunciatus post longa & gravia sterilitatis opprobria, unà cum nominis ipsius quo nuncupanda foret expressione. Ut enim ait beatus Ambrosius in sermone Nativitatis ipsius Deiparæ Virginis: *beata MARIA non fortuitum aut solum placito, ut quidam putant: sed divina dispensatione nomen accepit.* Vides igitur nichil circa dignissimam Virginem gestum esse: quod non singulare fuerit, admirabile, & sublime. At quoniam in sententia Ambrosij paulò ante adducta, dicitur ipsa sacra Virgo privilegio virtutum insignis enituisse: & hoc quomodo perspicuum evadat, dilucidemus. Sanè quemadmodum beatus Gregorius ait in Prologo suorum moralium: *Sancti Patres veteris testamenti alij alijs vir-*

tutibus, & singuli singulis emicantes: fuerunt ut stella quædam nocturno tempore, subrutilo fulgore nitentes. Siquidem effulsit in ipso Abel innocentia, in Abraham obedientia, in David mansuetudo eximia, in Salomone sapientia, in Iob patientia: & ita in cæteris illius aetatis Patribus, quorum singuli virtute aliquà singulari resplenderunt. Verùm cum exorto die sol suos per mundum spargit radios: copiosiores habet lucis opes & ampliorem claritatis copiam, quam omnes ille sublustres stelle, quasi omnium in se fulgorem supereminenter & unice continens. Haud aliter Christus antiquorum Patrum virtutes omnes in se collectim complexus, cum finita veteris legis nocte novum mundo diem suo adventu intulit: multo lucidius virtutum omnium fulgore unus, quam omnes cæteri simul accepti emicuit. Præcesserant siquidem illi: ut diversi diversas representarent

representarent referrentque virtutes, quarum omnium decorem, ornatum, & cumulum Christus ut veritas in se erat habiturus: cui Deus dedit Spiritum non ad mensuram. Itaque sicut Christum ad viros, ita exigente id rectâ analogiæ ratione, beatam Virginem ad præclaras antiquæ legis mulieres conferendo; comperimus eas quæ præ cæteris memorabiles magis sunt & virtute præstantiores, singulas peculiari aliquâ virtutis eminentiâ floruisse. Siquidem in Sara enituit insignis ad virum suum observantia, & seris in annis fœcunditas. In Raab fidelitas in occultandis exploratoribus. In Judith vidualis continentia. In Hester liberandi sui populi zelus. Denique in Susanna conjugalis castitas, & aliæ in aliis mulieribus virtutes effulserunt. Verùm hæc nostra Virgo inter mulieres benedicta: omnium in se veteris testamenti mulierum virtutes una possidet, unicè colligit, collectimque continet, ut omnium cæterarum veritas, exemplar & archetypa: in se sola complexa quicquid perfectionis in aliis sparsim elucere conspicias, ut meritò hæc extra omnem mulierum aleam censenda sit: quæ omnibus cæteris dignitate, præcellentiâ & præstabilitate sit eminentior, neque ab re ad absolutam & consummatam ipsius commendationem repetendum hîc videatur: quod ex Hieronymo in superiore libro de ipsa dictum meminimus, utpotè quod cæteris per partes præstatur gratia: *Hieronymus.* *MARIÆ autem se totam insudit gratiæ plenitudo.* Sed quid tantoperè prædicandis sacrosanctæ Virginis laudibus immoramur ac insistimus? eam ob rem profectò, ut clariùs agnitâ ejus incredibili ac ineffabili excellentiâ: sibi omnes facillè persuadeant, atque in eam inducantur sententiam: inter tot & tanta dona cœlestia, & hanc (quam asserimus) in conceptu puritatem, eidem nequaquam defuisse: sed etiam à Deo indultam esse.

Beatam Virginem in Conceptione puram fuisse nec Christiana religioni nec Veritati adversari.

CAPUT XII.

Vicesimasecunda adversariorum objectio. Qui beatam Virginem *MARIAM* in conceptione dicunt fuisse puram à labe originali: Christiana religioni sunt infesti, cum dicat Augustinus libro sexto *Augustinus* contra

1, Corin. 15
 contra Iulianum. Omnes ad mortem per Adam: omnes ad vitam per Christum, quia sicut in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes vivificabuntur. Ex prima origine humani, nemo ad mortem: illi per Adam, nemo ad vitam: nisi per Christum. Vos autem cum non omnes sed multos, sive per Adam condemnatos, sive per Christum liberatos vultis intelligi: horrendam perversitatem Christianam religionem estis infesti. Non est igitur astruenda huiusmodi puritas in Conceptu B. Virginis.

Responsio. Assertio immunitatis a peccato in primo sacrae Virginis exortu, non modo non adversatur Christianam religionem: sed plurimum ipsi aspiculatur, acceditque pietati fidei & majori reverentiam Christi. Qui enim confitetur dignissimam Dei Matrem nunquam fuisse alicui subjectam peccato, magis eam honorat, & Filium Dei, qui ex ea carnem immaculatam sumpsit: quam is qui contendit ipsam aliquando subjacuisse contagio peccati. Et certe ipsa Christiana religio, pietas fidei, reverentia in Deum, pia affectio in sacra mysteria, perfecta in gloriosa Virgine: melius servatur, illam quam hanc astruendo sententiam. Ceterum beatus Augustinus in loco supradicto, & aliis contra Iulianum (qui ab adversariis copiose adducuntur: ad suam partis comprobationem) non loquitur in eos qui asseverant beatam Virginem fuisse conceptam sine contagio peccati: sed in haereticos, negantes generatim peccatum originale contrahi ab iis, qui communi naturae lege nascuntur. Assertuerunt enim Pelagius, Iulianus & ceteri eiusdem sectae dogmatistae: parvulos, cum primum concipiuntur, haudquaquam contrahere peccatum originale, quamvis etiam nullum circa eos factum fuerit divinae praeservationis privilegium; quae sane impietas: & veritati & sacrae Scripturae magistratae veritatis profusus repugnat: & ab Augustino copiose & luculenter confutatur. Verum cum rationes Augustini & dicta, quibus supradictorum haereticorum damnat & improbat insaniam, adducuntur ad ostendendum beatam Virginem fuisse contaminatam originali noxa: peperam applicantur, & contra ipsorum auctorum intentionem, ad extraneum propositum. Nempe loquuntur universaliter sancti Doctores (cum de hac contra impios differunt materia) de iis hominibus: qui non sunt divina benedictione in conceptu praeventi, & non de sacra semper Virgine: quae singulariter fuit exempta. Quare trahentes ipsorum verba ad beatam Virginem: non recte ea applicant, neque ratiocinantur.

Porro nonnulli astruere conati sunt: nullos parvulos, dum concipiuntur

piuntur infici inquinamento ex origine contracto, quod omnino (ut dictum est) Scripturæ & Ecclesiasticæ adversatur determinationi. Alij verò ex opposito asseruerunt, omnes homines ex carnali parentum consortio progenitos contrahere huiusmodi labem: cui & purissimam Virginem MARIAM posuerunt obnoxiam. Et hi quoque aberrant à veritate: quòd eam, quam Deus exemit, non excipiunt. Ecclesiastica verò determinatio, inter has duas positiones rejectitias mediam sanxit sententiam: beatam scilicet Virginem nequaquam illi subjacuisse tabi contagiosæ, cæteros autem omnes ex parentum propagatione æditos: illam contrahere deformitatem originis. Et hæc sententia veritati est consentanea: & ab omnibus veritatis amatoribus amplectenda, ut hoc pacto (quemadmodum sæpe aliàs) inter duos errores extremos tamquam Scyllam & Charybdim media sedem suam collocet veritas, cymbamque ducat securam periculi ad tutum veræ cognitionis portum.

Vicesimatertia objectio. Esse omninò sine peccato cuiusque generis: dignitas est & perfectio à sanctis soli Christo attributa. Dicit enim Augustinus super Psalmum 140. *Solus Christus est, in quo nullum inventum est peccatum: qui solus verissimè potuit dicere. Ecce venit princeps mundi huius: & in me non habet quicquam. In eo sanè nullam culpam, nullum reatum invenit: qui solus innocensem sanguinem fudit.* Idem super Psalmum 50. *Solus Christus inter homines verè dicere potuit. Si in me invenistis peccatum: dicite, quia in eo solo peccatum nullum fuit.* Rursùm Ioannes Chrysostr. *Admiranda est Christi singularis excellentia: ut nullus hominum veraciter dicere potuerit, quis ex vobis arguet me de peccato? nisi solus ille qui peccatum non habuit.* Si igitur beata Virgo seipsam sine peccato esse asseruisset: decepisset se (inquit) & decepta fuisset. Non est ergo illa singularis Christi dignitas sacræ Virgini ascribenda.

Responsio. Sancti Patres, soli inter homines Christo attribuentes impeccabilitatem: gloriosam ipsius matrem non secludunt ab hac peccati immunitate, quinpotiùs & ipsam sub eo propter conformitatem & identitatem substantiæ comprehendunt. Attamen digniore gradu & altiore convenit huiusmodi impeccantia Christo Domino nostro: quam ejus dignissimæ parenti. Illi enim quodam modo natura competit: quòd non sit ex parentum propagatione editus, undè peccatum primam sumit originem. Huic vero gratià id indultum: quòd nuptiali procreata thoro, à Deo, nè coinquinaretur est, præservata. Christus item propter unionem hypostaticeam divinitatis cum humanitate:

nitare : à se ut Deus est, hujusmodi habet incontaminatam puritatem, unitæ sibi nostræ substantiæ communicatam. Beata autem Virgo, ab alio sortita est singularem illam innocentiam : utpotè à Deo bonorum omnium largitore. Quod autem per se est tale, suapræque naturâ & à se : magis est tale eo, quod per alterum & adventitio munere est tale. Denique justitia & innocentia Christi est universalis, defluens ab eo ut capite in singula membra : ut universale deleter peccatum Adæ, quod in omnes posteros serpit. Beatæ autem Virginis justitia est particularis, & in uno corporis mystici membro : sine derivationis in cætera membra officio. Proindè *Christus nobis factus esse dicitur iustitia & sanctificatio* : non autem sic beata Virgo. Qui verò iustus est & alios justificat : perfectiore pollet justitiâ, quam is qui aliorum justificatricem non habet neque confert virtutem. Nullus ergo putet sacram Virginem falso errore deceptam fuisse, aut sui opinione vanè elusam : si seipsam sine peccato fuisse existimaverit aut dixerit. Nam id singulare Dei donum sibi ipsi non tribuit : sed ut erat humillima atque susceptorum bonorum memor, Deo illud omnino ascepit, à quo cum jugi & perenni gratiarum actione, cuncta bona se accepisse contestata est : cum ait. *Quia fecit michi magna qui potens est : & sanctam nomen eius.*

1. Corin. 1.

Lucæ. 7.

Ex authorum, qui maculatam asserunt beatæ Virginis conceptionem numerosa turba : non confici quod intendunt.

CAPUT XIII.

Vicesimaquarta adversariorum objectio. Non est usquequaque refellenda sententia : quam Patres antiqui doctrinâ & virtute præclari, autoritateque graves astruxerunt, *in antiquis enim (ut ait Iob) est sapientia : & in multo tempore prudentia.* Atqui sacrosanctam Virginem fuisse in conceptione maculatam originali labe : quam plurimi Patres antiqui, litterarum splendore, vitæque sanctitate conspicui, & auctoritatis non contemnendæ asseruerunt. Siquidem ducenti & quinquaginta Authores admodum celebres certâ serie digeruntur ab iis qui maculatam contendunt Virginis originem, & recensentur

Iob. 12.

consentur in catalogum: qui scripto reliquerunt illam de labefacta Virginis conceptione sententiam, & astruendam putarunt. Non est igitur reiicienda illa positio: tot & tantorum virorum munita testimoniis.

Responsio. Quemadmodum in tricesimæ rationis deductione, superiore libro dictum est: pro varia temporum conditione alio & alio modo ferendum est iudicium, & sua cuique temporum accommodanda sententia. Authores quidem illi quos afferunt adversarij: secuti sunt sententiam suo tempore vulgatiorem & magis tritam, cum necdum ad unguem agitata foret hæc inquisitio, neque universalis Ecclesiæ decreto definita. At postea temporis (quæ parens veritatis dicitur) successione, acutius discussa est illa disceptatio: & in oppositam partem cum à recentioribus authoribus, tum à totius Ecclesiæ autoritate determinata. Quare huic posteriori sententiæ standum potius est, & venia prisca ipsi scriptoribus facile danda: quod ipsius veritatis sinceritatem temporum injuriâ non omniquaque attigerint, quinimò & magna ipsis habenda gratia: quod suis elucubrationibus posteris præstiterint materiam, id negocij exactius discutiendi, occasionemque præbuerunt investigandæ postea diligentiori indagine veritatis, quemadmodum Aristoteles ait *agens etiam esse gratias Philosophis qui in rerum sensibilibus natura indaganda aberrarunt à recto, & falsas positiones pro veris astruxerunt: quoniam dederunt occasionem posterioribus pervestigandæ exactius & tandem deprabendendæ veritatis.* Enimverò consimili ratione non ausus est sacer Hieronymus assertorio definire iudicio: sacram Virginem MARIAM cum anima simul & corpore glorificato in cælum esse assumptam. Beatus verò Augustinus id postea & piè & verè astruxit in libello de assumptione beatæ MARIÆ, luculentisque rationibus eam approbavit sententiâ: quam sine hæsitacione tota sequitur Ecclesia Catholica. Sic ante tempora Hieronymi & Augustini, eaque adhuc tempestate quâ vitam agebant in terris: magna versabatur controversia de origine animæ rationalis, an ortum haberet ex traduce parentum, an omnes simul in mundi exordio fuerint à Deo creatæ, aut potius singillatim deducantur ad esse divinâ virtute: cum corpori humano in utero materno disposito sunt infundendæ. Nunc verò postremam illam sententiâ universalis sequitur Ecclesia: innitens illi dicto Psalmi, *Qui finxit singillatim* *corda eorum*, id est animas hominum. Sic & in aliis frequentius usu venit: antiquiores unam habuisse sententiâ, recentiores vero am-

Hieronymus.

Augustinus

Psalm. 32.

pliori factâ discussione opposiram, & tunc potius accedendum est definitioni recentiorum: qui antiquorum rationes perspexerunt non omninò militare pro veritate, & novas adinvenerunt prioribus aciores atque urgentiores. Antiqui verò non ita exploratas habuerunt rationes posteriorum: quas ubi cognovissent, fortassè mutassent sententiam. Proindè ab antiquis non ineptè dictum est: *veritatem esse filiam temporis*. Quoniam quæ à vetustioribus necdum satis comperta est veritas: temporis lapsu atque successione elucidatur, innotescit atque dinoscitur. Sanè quemadmodum attestatur venerabilis Beda: in expositione hujus Evangelij apud Lucam decimo cap. conscripti. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, per incrementa temporum: crevit divina cognitionis augmentum. Apparuit enim Deus Abraham, sed longè post Mosè visus: dicit. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: & nomen meum Adonai non indicari eis. Quibus verbis plùs aliquid de Deo Moses: quàm præcedentes Patres cognovisse ostenditur. Beatus enim David multis post seculi temporibus natus: manifestè clamat dicens, super senes intellexi, quod est aperè dicere. Præ cunctis qui ante me fuere Patriarchis & Prophetis subtilius aliquid de Dei majestate cognovi. Quid verò de sanctis iam dicatur Apostolis? quæ ab ipsa & per ipsam Dei sapientiam eruditi, cuncta quæ de celestibus & divinis humana poterat sufferre sapientia: plenissimè didicerunt.* Hæc Beda in supradicta homilia. Si igitur in veteri testamento per intervalla temporum amplior Dei cognitio à præcis Patribus est habitata: ut posteriores luculentius de Deo multa cognoverint quàm priores, cur non & in novo id factum esse fateri liceat? utpotè permulta à posterioribus exactiore indagine aut studij vigilantia, aut eumulatione Dei gratiâ esse præcepta: quæ priores antiquioresque latuerunt. Non enim Deus omnia simul hominibus uno revelat sæculo, aut eodem temporis curriculo: sed pro incomprehensibili suâ providentiâ, singula suis designat temporibus dispensanda. Itaque placuit ineffabili ejus bonitati hujuscæ rei quæ discutitur veritatem posterioribus novi testamenti sæculis atque temporibus magis elucidari, quàm prioribus, & laudanda est impensius admiranda ipsius gratia: quæ rei illius lucem humanis mentibus nunc demùm amplius quàm retroactis sæculis infudit. Quemadmodum mysterium illibatæ virginitatis suæ sacrosanctæ Matris, non statim omnibus passim divulgari voluit Christus, se ad tempus ex casto natum conjugio haberi passus est apud vulgatam hominum sententiam: quoad misso Spiritu Sancto, illius maternæ virginitatis prædicandæ tempus oportunum adesset.

Secundò,

Secundò, supradictæ objectioni adhibenda est responsio, puritatem conceptionis sacratissimæ Virginis etiam astrui à sanctis Doctoribus, eruditione & vitæ sanctitate præstantibus: quorum in Ecclesia plurimum valet autoritas, ut in præcedentis libri vicesimasextâ ratione monstratum est. Neque hoc quemquam moveat, quod non tantus fortasse est sacrorum Authorum numerus qui hæcè tutantur partes immaculatæ conceptionis Virginis: quantus eorum qui ab adversarijs citantur & adducuntur in testimonium suæ positionis, quoniam non in multitudine exercitus consistit victoriâ belli: sed robore militum & strenuitate, quinimò de cælo potius quàm ex hominibus fortitudo est. Non enim eos præterit: insignem divinæ legis propugnatorem Iudam Machabæum paucis militibus fretum, copiosas impij Antiochi vires contrivisse, aut fortem Sampsonem in maxilla asini mille stravisse allophylos, aut ipsum denique David in funda & lapide terribilem & giganteâ mole horrendum Goliath devicisse. Omnis enim ille Authorum numerus (quo chartas & membranas implent) beatam Virginem MARIAM in conceptu maculam contraxisse asseverantium, etsi etiam decuplò esset major atque cumulator: exiguum quiddam est & parum autoritatis habet ad sacrâ Scripturam, quæ manifestè asserit candidissimam Virginem ab omni penitus macula peccati in conceptione fuisse alienam. Cùm enim purissimam Domini nostri carnem ipsâ Scriptura ab omni eximit contagione criminis: quis nisi cæcutiens non videt, & sanctissimæ Virginis carnem (de qua sumptum est sacrosanctum Domini corpus) etiam à Scriptura astrui nullius unquam peccati ream? Nam *si radix sancta*: teste Apostolo *& rami sancti*. Quare converso ordine, si ramus sanctus est: & radicem ex qua is enascitur, sanctam quoque esse necesse est. Nullus autem ignorat: omnem humanam assertionem, Scripturæ sacræ testimonio cedere debere: quæ solidissima est, solvi non potest, neque à sua firmitudine aut veritate decidere. Ejus siquidem certitudo, stabili constat fundamento: supra firmam veritatis petram collocata, longèque solidiore nititur basi, quàm humanarum assertionum propositiones: in alterutram partem vacillantes, & huc illucque fluctuantes. Cùm igitur sacræ literæ eas tutentur partes quas astruimus: totam scilicet pulchram esse beatam Virginem & maculam in ea non inesse, quæri illius peccatum ab adversarijs non tamen inveniri: hæc solâ mandibulâ totus Philistæorum eliditur exercitus, Sampsoniâ vibrante dextrâ. Hæc Davidicâ fundâ & lapide: Goliath

1. Math. 3.

1. Mach. 3.
Judic. 15.

1. Reg. 17.

ROMA. II.

Canti. 4.
Psal. 9.

frons inopinatò percuitur, & destitutus viribus gigas in terram semi-animis procumbit, quandoquidem contra divina eloquia frustra acunt linguam humana ingenia: nequicquam moluntur calumniam aut cavillos, ad inventiones hominum.

Tertiò eidem objectioni postremò ab adversariis adductæ, etiam recta potest assignari hæc dilutio: pleròque eorum quos in suæ partis defensionem annumerant atque alciscunt Authorum, contra puritatem conceptionis beatæ Virginis nichil penitus suis scriptis aut dictis agere: sed solùm contra illorum hæreticorum impietatem atque insaniam, qui destruxerunt omninò in parvulis originale peccatum: negaveruntque ipsos cum eluivie illius peccati concipi. Contra quos clarissima Ecclesiæ lumina Hieronymus, Augustinus, Ambrosius & Gregorius & alij eximij Patres intenderunt arcum, exacuerunt jacula: & ex veritatis pharetra deprompta tela intorserunt. Verùm adversarij, rationes dictorum Sanctorum Patrum ad destruendum id impium dogma positas: perperam applicant ad inferendam maculam conceptioni sacratissimæ Virginis, cum de ea & cæteris parvulis non idem sumendum sit judicium: propter singulare ipsius Deiparæ Matris privilegium, quemadmodum paulò superius in dissolutione vicesimæ secundæ objectionis est ostensum. Credendumne est obscuro Sanctos illos & egregios Patres, tanquam propriam ignorantes vocem: contraria sibi ipsis aut adversa sensisse aut dixisse? aut quod uno dixerunt loco, postea tanquam canentes palynodiam retractasse atque repudiassè? Atqui supradicti authores liquidò contestati sunt: sacrosanctam Virginem originalis mali contagia nunquam sensisse, ut præcedentis libri vicesimæ sextæ ratio dilucidè patefacit. Insuper Augustinus in quodam sermone de beata Virgine dicit. Quis potuit in hujusmodi anima vel carne locus esse viciorum: quando ad cæli vicem continentis omnia, Domini templum est effecta? Quid dignius hac Virgine: quid sanctius in humani generis serie potuit inveniri? Et Ambrosius in libro de sancta Virginitate MARIE ait. Nec mirum si Dominus redempturus mundum: operationem suam inchoavit à MARIA, ut per quam salus omnibus parabatur: eadem primò fructum salutis hauriret ex pignore. Quid enim nobilius Dei Matre? quid splendidius eâ: quam splendor elegit? quid castius eâ: quæ corpus sine corporis contagione generavit? Ut de cæteris ejus virtutibus taceam: Virgo erat non solùm corpore, sed & mente. Denique Hieronymus ad Paulam & Eustochium scribens: quicquid huma-

nis (inquit) potest dici verbis : minùs est à laude Virginis. Atqui id & mente concipere possumus , & ore facilè exprimere : quòd immaculatus fuerit ejus conceptus. Idigitur dicentes : & verè eam laudamus, & tamen adhuc omnimodam ejus laudem assequi non possumus.

Praterèa Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro contra Nesto- *Cyrillus.*
rium inquit. Post filium , temerarium est ponere in MARIA Virgine maculam aliquam aut peccatum , ubi apertè omnem à semper sancta Virgine maculam excludit : quare & originalem.

Rursùm & alter insignis Author (cui nomen Henrico est) in quo- *Henricus.*
dam sermone de beatæ Virginis conceptione ait Sacratissimam Virginem, quam Deus ab æterno præordinavit ut esset Mater Dei : sub potestate diaboli fuisse , & peccati sorde infectam : sentire non audeo, dicere pertimesco. Et paulò post. Quis hanc Virginem sub ira Dei unquam fuisse audeat dicere : per quam sibi Deus genus humanum, tanquam per mediatricem reconciliare voluit ? Dicat qui velit : ego dicere id non audeo nec sentire , cum in multis scripturis videamus eam exemptam à lege communi fuisse.

Postremum audiatur & sanctus Beruardus, unicus omninò sanctæ *Bernardus*
Virginis amator. Magna fuit (ait) sanctificatio Hieremiæ : quâ potuit vitare faciliter culpam mortalium. Major sanctificatio Ioannis Baptistæ : quâ potuit vitare frequentiam venialium. Maxima Virginis MARIE : quâ potuit vitare, immò vitavit omne peccatum.

Quod si insurgat adversarius , objiciens Bernardum ibidem loqui *Objectionis*
de peccato voluntatis sive actuali : quòd à nobis spontè post liberum *exclusio.*
rationis usum contrahitur. Non autem de originali : eùm in Epistola ad canonicos Lugdunenses (de qua in cap. sequenti fiet amplior discussio) sentire censeatur : beatam Virginem in conceptu , minimè sanctitate donatam fuisse aut adornatam.

Estò loquatur inibi Bernardus dumtaxat de actuali peccato, quod propriè à nobis vitari aut non vitari dicitur , ne ea de re inanis oriatur contentio : nichilo secius ex supradictis ipsius verbis id consequio trahitur , quod intendimus. Nam ut præcedentis libri vicesima ratio ostendit : ex immunitate omnimodi peccati actualis, rectè arguitur incontaminatio & puritas à labe originali, quoniam ubi illud non successit , aut posterius habuit locum : neque hæc antecessit, aut talem animæ priùs intulit. Cum itaque ex adducta modo Bernardi sententia, beata Virgo omne vitaverit peccatum etiam veniale : aptè & probè conficitur eandem triste originis contagium nunquam etiam

etiam sustinuisse. Ad quod iridem comprobandum, complures sanctorum Patrum autoritates in vicesimasexta ratione primi libri citatæ sunt atque in medium allatæ. Quocirca ab ampliore consimilium sententiarum adductione nunc superlegendum est: ne in re clara testibus uti videamur non necessariis. Ex illis autem & his copiosius congestis: cuique dilucidum esse potest quàm liberâ & clarâ voce contestantur hanc (quam abjicere nitimur) conceptionis puritatem perelebres viri. An putandum igitur est eos tam crasso fuisse ingenio, pinguique (ut aiunt) minervâ: ut hanc immaculatæ conceptionis sententiam iidem alio in loco suorum scriptorum damnaverint, improbaverint aut repudiaverint? Non finit planè hoc de ipsis suspicari: mentis ipsorum soliditas, animi constantia, gravitas & maturitas, à more puerorum idem modò affirmantium modò negantium longè abhorrens. Quare non omnibus, quas adversarius sanctis Patribus ascribit autoritatibus: leviter credendum passimque putaverim, nam aut non omnes sic ab eis dictæ, aut in alium sensum existimari possunt prolata: quam sit is ad quem asruendum adducuntur, aut benignam interpretationem recipere queunt: qua nostro non adversentur proposito, ut ex superioribus amplius ac dilucidius constat.

*Quamvis nonnulli reprehenderint solemnitatem
Conceptionis Virginalis celebrari: id tamen
non convincit maculam in eius
fuisse Conceptu.*

CAPUT XIV.

Vicesimaquinta objectio. Celebratio solemnitatis de conceptione beata Virginis, à nonnullis gravibus viris non minùs eruditione quàm virtute præclaris legitur reprehensa atque damnata, ut à sancto Bernardo in Epistola ad Canonicos Lugdunenſes ita scribente. *Vnde miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum: voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem (utpotè conceptionis gloriosæ Virginis) quam ritus Ecclesiæ nescit: non probat ratio, non commendat antiqua traditio, nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus:*

mus : quicquid in talibus ipsorum prudentia præterivit. Insuper sanctus Bonaventura in prima questione tertiæ distinctionis tertij libri *Bonaventura* sententiarum dicit, quod nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia : nisi solius Filij Dei, in annunciatione beatæ Virginis MARIE. Deinde subnectit: Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant conceptionem beatæ Virginis : quos nec omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere. Non omnino approbare audeo, eo quod sancti Patres qui alias solemnitates Virginis Spiritu Sancto docente statuerunt, qui etiam magni amatores & veneratores beatæ Virginis fuerunt, conceptionem ejusdem Virginis celebrare non docuerunt. Et ita de reliquis, quæ in eandem sententiam prosequitur eodem loco. Non autem damnarent isti hanc celebrationem, si in conceptione beatæ Virginis affuisset sanctitas & gratia sanctificans. Id igitur argumento est, ipsam Virginis conceptionem non sine tabe peccati fuisse.

Responsio. Sancti & doctrina insignes viri superius adducti, non tam ipsam damnaverunt celebrationem festi conceptionis Virginalis: quam modum celebrandi eorum qui id primum attentarunt proprio sensu, & sine universalis Ecclesiæ judicio, quod utique est reprehensione dignum, quoniam non caret nota præsumptionis aut temeritatis: cum quid novum inducitur proprio arbitratu atque sententia, quod solum publica ordinatione debet sanciri. Id plane ex verbis Bernardi in ealee ejusdem Epistolæ positis, satis constat, ubi dicit: Nulla ratione gloriosæ Virgini placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas: & non ita præcipitanter atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Nunc autem non eadem militat ratio, quando universalis concilij, Apostolici Pontificatûs, & Ecclesiæ Catholicæ determinatione indicta est & recepta ista solemnitas: ex pia devotaque fidelium religione non sine divino (ut crediderim) instinctu, mirum in modum approbata. Non ergo nunc aut levitatis aut temeritatis vicio notari possunt: qui hanc solemnitatem tantopere probatam religiosè colunt. Sanè locutus est Bernardus pro sui temporis conditione: quo necdum fuit unanimi fidelium ritu & consensu inducta hujusmodi celebratio. Nunc vero si adesset aliter (ut reor) sentiret, nam in ejusdem Epistolæ fine, seipsum modeste submittit ipsius Apostolicæ Sedis sententiæ atque diffinitioni: cum ait: Quæ

autem dixi: absque præjudicio sane dicta sunt sanius sapientis. Romana præsertim Ecclesiæ authoritati atque examini, totum hoc (sicut & cætera quæ ejusmodi sunt universa) reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. Neque tamen magnopere curandum est, si dixerimus Bernardum eo in loco reprehendisse simpliciter celebrationem solemnitatis ipsius conceptionis virginis: quoniam existimaverit illam suo judicio non esse colendam, quòd senterit fortasse sui temporis vulgatiorem secutus sententiam, gloriosæ Virginis conceptum sine sanctitate & gratia fuisse factum, quemadmodum ipse Epistolæ contextus & ratiocinatio satis prodit.

Verùm non studio contradicendi tanto & tam celebri viro (cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti) sed veritatis defendendæ, quæ post ejus tempora hac in re magis explicata est & elucidata: rationes ejus in oppositam adductas partem paucis diluere hic annitar, ut omniquaque constet veritatis claritas. Et paucis dixi, nam diffusior earum dissolutio ex supradictis haud magno impendio colligi potest. Cum itaque percontatur eo loco sacer Bernardus, cur honorandus est beatæ Virginis conceptus: adhibemus responsionem, quia sanctus fuit: & à labe originali immunis, neque hanc assignamus causam: quia ipse conceptus sanctum præcessit Virginis natalem. Non enim admitimus priorem conceptum à sequente Virginis Nativitate sanctitatem esse mutuatum: sed propriam in se & præsentem obtinuisse Deo auctore sanctimoniam, à qua & sanctus fuit ipse conceptus, & deinde sancta ejus natiuitas, quæ à puritate potius conceptus suam sortita est sanctitatem. Neque eadem ratione utriusque beatæ Virginis parenti, aut avis, aut proavis, festos honores deferendos asserimus: quoniam nullius eorum conceptum ponimus sanctum per præviam Dei benedictionem, quemadmodum beatæ Virginis, ex qua Dei filius immaculatam erat carnem suscepturus. Qui sicut secundum corpus post mortem repositus est in sepulchro novo, in quo nullum ante cadaver fuerat positum: ita in exordio incarnationis decenter requievit in virgineo thalamo, in quo nulla fuerat putrefactio peccati aut labe originalis. Sola autem in conceptu sanctitas præcipua est causa, ob quam celebrandum conceptionis Virginis diem prædicat Ecclesia.

Cum deinceps percontatur idem author in Epistola supradicta: unde provenit sanctitas conceptionis beatæ Virginis, an dicitur sanctificatione præventa, quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus

Quare honorandus est beatæ Virginis conceptus.

Ioan. 19.

sanctus fuerit & ejus conceptus? Respondemus illam conceptionis sanctitatem profectam ex divina gratia, præveniente per sanctificationem ejus conceptionem, & proinde sancta concepta est: & sanctus omnino fuit ejus per divinum indultum conceptus, etiam secundum carnem. Cum vero objicit, quòd non valuit ante sancta esse quàm esse: Siquidem non erat antequam conciperetur. Dicimus quòd beata Virgo non erat secundum existentiam antequam conciperetur: erat tamen secundum divinam præscientiam, quæ elegerat eam & præelegerat ante sæcula, ut fieret Dei Mater. Sic etiam antequam esset, non erat sancta per inexistentem sanctitatem: sed per divini beneplaciti ordinationem, quod sanxerat eam in ipso conceptu futuram sanctam. Quemadmodum antequam essent Iacob & Esau: circa illum erat Dei dilectio, & circa hunc Dei odium, ut dicit Propheta: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, secundum quidem prævisionem & prænotionem divinam. Cùm verò conciperetur beatissima Virgo, secundum id quod erat, jam sancta erat, enimverò secundum corpus tantummodo erat in ipso immaculatæ suæ conceptionis articulo: & secundum carnem tunc sancta erat, non contractâ maculâ quæ deinde animam inficeret.

Deinde cum subtextit rationis deductionem Bernardus, dicens: An fortè inter complexus maritales, sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? aut certè peccatum quomodo non fuit: ubi libido non defuit? Respondemus in conjugali sanctorum parentum beatæ Virginis congressu non defuisse sanctitatem, & gratiam Dei, foetum qui tunc concepiebatur actu sanctificantem, atque præservantem illum à contagio peccati: quod alij in conceptu quantum ad radicem & occasionem contrahunt, neque hujusmodi sanctitas fuit absque Spiritu sanctificante. Sed inficiamur: Spiritui sancto ibi societatem fuisse cum peccato. Nam, quemadmodum in tertiæ objectionis hujus libri discussione dictum est, non oportet semper nuptiale contubernium esse peccato conjunctum, potissimum ubi conjuges virtute exercitati & rectæ rationis ductu frenati, una cù divina benedictione quæ prolem cœlitus promisit, ad suscipiendam sobolem præparantur. Neque omnè libidinem rectè quis dixerit esse peccatum; sed effrænatam, & præcipiti impetu se ferentem in illecebras carnis. Eam verò quæ thorum comitatur conjugalem, modera-

Responsio ad rationes Bernardi improbatam conceptionem cõ-ceptionis Virginis: Mala. I.

Non omnem congressum cõ-jugalem esse cum peccato.

tam ratione, castigatamque animi imperio, & retinaculis castitatis contentam, non verè quispiam peccato conjunctam asseruerit. Talem autem fuisse libidinem & concupiscentiam parentum sacratæ Virginis (si quæ fuerit, in sanctæ illius prolis conceptu) credimus: quæ rectæ rationis metas non transcendit, aut præsentiam Spiritus Sancti aut sanctificationis gratiam non excludit. Proinde non admittimus ipsam sacram Virginem de Spiritu Sancto conceptam, sed de viro, nec ex Matre Virgine, sed maritali consortio; quod & tota confitetur Ecclesia.

Porro quod deinde subjungit Bernardus, & si quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen & concipi, ut unì sane servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum; recipiendum non est, si beatam Virginem excludat à sanctitate in conceptu, & in hoc ipso dirimat eam à filio suo, nam & ipsa Christo Domino debet in hoc eulogio comes annumerari. Neque per hoc tollitur ipsi Filio Dei prærogativa sui conceptus, cum ipsius illa singularis eminentia non sit, esse conceptum sine peccato, sed sine peccato esse conceptum de Spiritu Sancto, in Matre Virgine. Id autem totum Christo singulariter convenit, neque gloriosæ Virgini tribuendum est unquam. Quare id dictum Psalmi: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, nullo modo respicit neque concernit beatam Virginem: sed præter eam & Christum, universos ex Adam natos.

Denique cum superius contextam rationem perstringens colligit Bernardus, quod cum beata Virgo ante conceptum sui sanctificari non potuit, quia non erat, sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum quod inherat; restat ut post conceptum, in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ exeluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen & conceptionem: admittimus quidem quod primo proponit loco: Virginem scilicet beatam ante sui conceptum sanctificari non potuisse, per præsentem sanctitatis infusionem: quoniam illa subjectum exigit cui infundatur, & receptaculum. Negamus autem secundo loco adductum: scilicet ipsam in conceptu non potuisse sanctificari, quin immo eam tunc sanctificatam secundum sensum prius explicatum ponimus, & negamus ibidem tunc fuisse peccatum: quod sanctitatem excluderet, quin potius e diverso dicimus fuisse sanctitatem in prole quæ concipiebatur, excludentem ab ea peccatum. Denique inficiamur (ut sapius antea

dictum est) post conceptionem in utero, recentem in ea fuisse sanctificationem, quæ reddiderit sanctam ejus nativitatem & non conceptionem, sed perhibemus sanctitatem ipsi proli in conceptione fuisse indultam: quæ & sanctam primùm fecit conceptionem ejus, & deinde nativitatem.

Cùm postremò in calce Epistolæ percontatur idem author, cum hæc (inquit) ita se habeant: quanam jam erit festivæ rationis conceptionis? Quo pacto inquam aut sanctus asseretur conceptus: qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam de peccato? aut festus habebitur: qui minime sanctus est? Negavimus superius ea ita se habere ut proposuit: beatam scilicet Virginem esse solùm sanctificatam post conceptum, & rationem festivæ conceptionis assignavimus: quia sancta fuit illa conceptio. Et cum objicit hujusmodi conceptionem de Spiritu Sancto non esse: id admittimus, quod Spiritus Sanctus non contulit virtutem concipiendi sanctæ Annæ secluso viri consortio, sicut gloriosæ Virgini: attamen affuit virtus Spiritus sancti, ad proli quæ concipiebatur præsentem sanctificationem. Proinde negamus hujusmodi conceptum fuisse de peccato: sed festum illum haberi debere dicimus, quia sanctus est. Cumque concludit, quòd libenter gloriosa Virgo hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari vel falsa induci videtur sanctitas: respondemus quòd celebrando conceptionem gloriosæ Virginis, neque peccatum honoramus: quia ibi nulum fuit, neque falsam inducimus sanctitatem: quia vera ibi locum habuit.

Cæterùm ad dictum Bonaventuræ secundo loco adductum in hac objectionem: facilè adhibetur responsio, ipsum pium & Sanctum Patrem locutum esse secundum morem & consuetudinem sui temporis, quo nondum erat publico omnium consensu aut Ecclesiæ Autoritate constituta ista solemnitas conceptionis. Nunc vero hic dies (ut ajunt) alios mores postulat, quoniam interea illam celebritatem sanxit Ecclesia Romana, & propensa est in eam tota fidelium devotio: ut non possit quispiam sine gravi inobedientiæ aut insolentiæ nota, illius diei festæ celebrationem reculare. In actionibus autem humanis semper habenda est ipsius temporis ratio, quandoquidem quod uno tempore non astringit quempiam, quia necdum est institutum alio tempore, post latam scilicet legem, arctius obligat. Non tamen (ejus pace dixerim) magnum habet momentum illa ratio adducta ad improbandam conceptionis virginalis celebritatem, quia

*Responsio
ad rationes
Bonaventuræ.*

Sancti Patres qui ordinarunt celebrandas gloriosæ Virginis per totum anni circulum solemnitates, hujus festi conceptionis nullam sanxerunt observationem. Consimili enim ratione, nullum jam transactis mille annis potuisset festum celebrandum de novo institui: quoniam antiqui Patres qui quingentis annis rexerant Ecclesiam, nullam illius celebrandi fecerunt mentionem. Possunt siquæ propter emergentes novas causas & rationabiles, autoritate totius Ecclesiæ constitui novi dies festi, ab antiquis patribus nequaquam observati, quoniam prius non occurrit causa illius institutionis faciundæ. Alioqui damnandi essent qui Visitationis beatæ MARIÆ Virginis, aut Præsentationis ejus in templum, aut dolorificæ compassionis in amara Passione Filij sui, festum celebrarent: quoniam hæc solemnitates haud multo ante tempore cœptæ sunt observari. Repræhendendi item forent, qui celebritatem Transfigurationis Domini à Calixto tertio summo Pontifice institutam colerent: quia antiqui Patres illam non constituerunt. Sicut igitur hi dies festi, ita & conceptionis Virginalis solemnitatis ritè observatur: quamvis hanc antiquitas patrum non sanxerit.

Conceptionem beatæ Virginis fuisse maculatam, neque per Ecclesiam, neque Sedem Apostolicam esse determinatum.

CAPUT XV.

Vicesimasexta adversariorum objectio. Beatam Virginem MARIAM fuisse conceptam in peccato originali, fuit determinatum per sedem Apostolicam & concilium generale totius Ecclesiæ. Nempe in concilio Milevitano contra Pelagianos sancitum est, quod quicumque parvulos recentes ab uteris matrum dicit nichil ex Adam trahere originalis peccati: anathema sit. Et rursus ibidem: Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per consortium maris & fœminæ concipitur, cum peccato originali nasci. Rursus in concilio Carthaginensi, per Innocentium & Zosimum summos pontifices fuit determinatum: quod omnes pueri ex concupiscentia & inobedientia carnis generati, trahunt originale peccatum. Igitur non est astruen-

astruendum, ipsam cum conciperetur, immunem fuisse labis originalis.

Responsio. Hujusmodi concilia Ecclesiastica modò adducta & Apostolicæ sedis determinationes sunt latæ contra eos qui generatim negant in quovis parvulo peccatum originis contrahi, ut contra Pelagium, Iulianum, & suos astipulatores: contendentes, nullos ex parentum congressu genitos illi maculæ subjacere, quod satis liquet ex Epistola beati Augustini ad Optatum de origine animæ ita scribentis. Te autem Charissime frater admoneo, ne hæresim novam minus cautus incurras: quæ antiquissimæ fidei stabilita molitur fundamenta convellere, adversus Dei gratiam disputando, quam Dominus JESUS pusillis & magnis ineffabili bonitate largitur. Cujus auctores cum Celestius & Pelagius extitissent, conciliorum Episcopaliū vigilantia, cum adjutorio Salvatoris qui suam tuetur Ecclesiam, à duobus venerandis antistitibus Apostolicæ sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo toto Christiano orbe damnati sunt. Hæc Augustinus. Et nos quidem fatemur eos justè damnatos, tanquam Scripturæ sacræ adversos, dicenti de quovis homine quem divina non prævenit benedictio. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea:* Exceramur item ipsorum impietatem supradictam: tamquam Catholicæ fidei prorsus oppositam. Verùm hæc Concilia & decreta Ecclesiastica nichil colligunt contra nostrum propositum: qui dicimus, ab universalibus istis propositionibus denunciantibus omnes homines secundum legem carnis conceptos, esse obnoxios originali vicio, semper exceptam intelligi debere sacram Virginem MARIAM, ob singulare gratiæ privilegium, ei à Deo in conceptu indultum. Idcirco non rectè ipsa subsumitur tamquam compræhensa universalitatis illius ambitu: cum non sit cæteris connumeranda filijs hominum, quantum ad rationem conceptionis in labe & macula, quemadmodum diffusus in decimæ octavæ & vicesimæ secundæ objectionis dissolutione declaratum est. Manifestum est igitur supradictis concionibus Patrum Ecclesiasticisque sanctionibus, haudquaquam damnari eam sententiam, quæ ponit immaculatam Virginis conceptionem.

Augustinus

Psal. 50.

Objectionis
dilatatio.

Sed instant adversarij. Sancti Patres cum de hominibus peccato originali obnoxijs sermonem faciunt, expressè Christum excipiunt qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, neque inficiantur eum in sanctitate conceptum: sed id ipsum libere & aperta voce profitentur. Non autem hoc pacto apertè & expressa enuntiatione

tiatione excipiunt beatam Virginem ab obligatione peccati per originem contracti; ergo cum ipsam subtrahant, nullam exemptionis ejus facientes mentionem, eo ipso insinuant illam sub hujusmodi generalitate obligatorum peccato contineri.

Quibus respondemus: permultos Sanctorum (ut superius ostensum est) etiam expressa determinatione sacrosanctam Virginem eximere à jugo peccati, & singulare divini muneris in ea indultum aperta etiam voce prædicare. Quod etsi plerique non faciunt explicita denunciatione, non protinus conficitur quod proponunt. Nam ab autoritate negative sumpta invalidum deducitur argumentum. Neque ex eo quod complures non asserunt manifestè, ipsam esse singulari privilegio exemptam à lege peccati: apte collegeris, eandem illo singulari munere non esse donatam, cum etiam ijdem oppositum illius, ut pote eam fuisse obligatam peccato, non astruant; quod si assertorie dicerent, ex eo recta & efficax potius sumi posset ratio ad confirmandam adversariorum intentionem, in qua tamen quod assumeretur negandum foret & abnuendum. Quemadmodum etsi non omnes exprimant beatam Virginem *MARIAM* fuisse alienam ab omni peccato voluntatis (quod actuale vocant) & spontè admissò: non tamen rectam feceris illationem, idcirco ipsam non esse immunem ab omni peccato, propria voluntate committi assuetò: cum id uno ore fateantur omnes, & concordì sententia prædicent. Adde quod sacri Auctores cum Dominum nostrum eximunt ab originalis peccati contagio, sub ipso, & sacratissimam ejus matrem intelligunt atque comprehendunt, & idè non curant ampliorem aut expressiorem ipsius beatæ Virginis exemptionem explicare, quandoquidem eodem potiuntur privilegio, & ejusdem censentur juris rex & regina, sponsus & sponsa, filius & mater. Neque servam debemus facere matrem: ejus filius liber est atque ingenuus, gaudet enim mater filij libertate, atque honoratioribus filij sui titulis honestatur. Demum quamvis nulli scriptores Ecclesiastici beatam Virginem expressa mentione exciperent à labe peccati originalis (quod tamen falsum esse dilucidum jam evasit) sacra tamen Scriptura (cujus major est & augustior, quam aliorum scriptorum autoritas) eam testatur exemptam à labefactione peccati, ut abunde libro præcedente est explicatum. Et hæc una vel sola testificatio nobis sufficere debet, ad indubitatam hujus rei habendam finem.

Vicesimaseptima objectio. Qui asserunt beatam Virginem **MARIAM** sine peccato originali conceptam : affirmant quod Sancti negant, & ediversò negant quod Sancti affirmant. Non est igitur hujusmodi assertio recta, cum secundæ Petri primo cap. dictum sit : *Quod Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, qui igitur illorum dicta refutat : Spiritum sanctum qui in ipsis locutus est contemnit, negat, & rejicit. Antecedens probant adversarij per quatuor & sexaginta, diversorum Authorum sententias : prætendentes beatam Virginem **MARIAM** peccati originalis contaminationi fuisse obnoxiam. Inter quas affertur autoritas Magistri sententiarum : qui in tertia distinctione tertij libri dicit. Sanè credi oportet juxta Sanctorum attestationis convenientiam, ipsam carnem filij Dei antequam conciperetur, peccato fuisse obnoxiam in **MARIA**, sicut & reliqua Virginis caro, postmodum Spiritus Sancti operatione superveniente ita mundatam fuisse : ut ab omni contagione immunis uniretur Dei verbo, pœnâ tantum non de necessitate sed de voluntate affumentis remanente. **MARIAM** quoque totam Spiritus Sanctus superveniens à peccato prorsùs mundavit, & à fomite etiam peccati liberavit, vel fomitem ipsum pœnitus evacuando, ut quibusdam placet, vel sic debilitando & extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenùs extiterit.

Responso. Quæ locuti sunt sancti Dei homines, ad sacræ Scripturæ integritatem pertinentia & ad canonicorum librorum compositionem : ut Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ & cæteri qui sacræ eloquia conscripserunt : proculdubiò Spiritu sancto inspirati ea sunt elocuti, neque hujusmodi dicta aut neganda sunt aut in dubium revocanda. Quæ verò in suis commentariis & explanationibus Scripturarum disseruerunt plerumque humano sensu & proprio studio : non opus est credere, omnia ea Spiritus Sancti inspiratione esse dicta, neque eum sibi vendicare debent autoritatis locum, quem sacræ literæ, neque tantum illis tribuendum est, ut negari omninò non possint, ubi manifestior ipsis repugnat veritas aut major autoritas. Enimverò beatus Augustinus clarissimum Ecclesiæ jubar, libros retractationum composuit : aut rectam dantes intelligentiam eorum quæ in suis operibus obscuriùs erant dicta, aut revocantes illa quæ suo ipsius judicio, falsò fuerant & perperam asserta. Ipse quoque imitandam omnibus qui in Scripturarum elucidatione versantur, humilitatem atque modestiam in seipso proponens, ait in primo libro de Trinitate. Non pigebit sicubi in hac materia hæsito quærere : nec pudebit sicubi

Psal. 115. sicubi erro discere, & errorem corrigere & revocare. *Omnis enim homo mendax*: ut ait Scriptura, & in omnibus bene dicere, in nulloque oberrare, divinum potius censetur quam humanum, atque ut vulgatissima habet sententia: humanum est errare. At verò hujusmodi assertio, beatam Virginem fuisse in conceptu peccato temeratam: humana est & humano prolata sensu atque judicio. Nil mirum igitur si non sit illi usquæquaque habenda fides; tamquam à Spiritu Sancto fuerit inspirata. Enimvero permultæ illarum sexagintaquatuor auctoritatum, non contra puritatem conceptionis virginalis ferunt sententiam: sed contra hæreticos negantes omninò originale peccatum. Nonnullæ etiam earum & ferè omnes: pronuntiatae sunt secundum sententiam eo tempore quo dicebantur vulgatiorem; & ergo pro hoc tempore quo accuratius agitata patescit veritas, non militant. Aliæ verò simpliciter refutandæ sunt: quia apertum continent errorem, ut illa Magistri sententiarum, quæ modò in objectione est adducta, impietatem sonans, irreverentiam in Christum & sacram ejus Matrem, necnon irreligiositatem, cum ponat sacratissimam Christi carnem, in MARIA Virgine priùs fuisse obnoxiam peccato: & ipsam beatam Virginem, per adventum Spiritus sancti in eam cum esset conceptura filium, à peccato fuisse mundatam, quorum utrumque piæ aures & in Deum sanctamque Virginem devotæ, abhorrent prorsus ac respuunt. Et idcirco supradicta ejus sententia (ut & nonnullæ aliæ ejusdem assertiones) à schola theologica non recipitur, sed publicè exploditur.

*Improbatio
dictorum
Petri Lombardi:
de conceptione
beatae Vir-
ginis.*

Si enim Spiritus Sanctus in gloriosam Virginem post Angeli annunciationem & Virginis consensum superueniens, eam (ut ait) à peccato prorsus mundavit: ergo ante hujusmodi adventum Spiritus in eam, ipsa peccato subjacuit, etiam cum Angelus colloquium habuit ad eam, & cœlestia edocuit mysteria, quomodo igitur Angelus ipse eam salutans perhibet esse plenam gratiâ? an potest hujusmodi gratiæ plenitudo simul in eodem consistere cum sordide peccati? Et ediverſo, si in primo angelici alloquij momento ipsa fuit (ut verè erat) plena gratiâ: non fuit igitur tunc in ea peccati aliqua labes, quæ per spiritum postea advenientem expellenda foret. Ubi enim nullus est tenebrarum horror, nulla noctis opacitas, quid opus est nova affulgentia lucis & adventu, quo expellantur tenebræ? Rursùm si per supervenientem Spiritum sanctum post discessum angeli, fuit beata Virgo mundata à peccato: quomodo sub ipso introitu & accessu

cessu angeli erat Dominus cum ea, ut verè perhibuit Angelus? qui *non habitat in corpore subdito peccatis*: Et tanto minus in anima sordida. Ex opposito verò, quia Dominus erat cum ipsa quando salutabatur ab Angelo: non quidem per unionem hypostaticam Dèitatis cum carne in sacratissimo ejus utero (nondum enim facta erat illa unio: sed paulò post in conceptu futura) sed per gratiam & inhabitationem spiritualem in Virginis anima: non erat ipsa tunc peccato coinquinata, quod deinde per sanctum Spiritum fuerit purgatum.

Quæ enim conventio Christi ad belial, aut lucis ad tenebras? Denique si per Spiritus Sancti post consensum Virginis novam obumbrationem, ipsa beata Virgo expurgata est tunc primùm à vetustate peccati; quomodo honorata est ab Angelo & prædicata benedicta inter mulieres in ipso salutationis exordio, antequam adveniret in eam Spiritus Sanctus? cum non possit benedictio simul adesse cum peccato: quod affert maledictionem. Econtrariò verò cum super omnes mulieres verè prædicata fuerit ab Angelo esse benedicta: quonam pacto tunc in ea erat peccatum, quod postea per Spiritum Sanctum extergeretur? Itaque credendum est potius angelico & cœlesti oraculo hæc in re: quam magistro sententiarum. Porrò sacratissima Virgo, mystica est illa scala visa à Iacob in somnis: cujus extremitas ima stabat super terram & cacumentangebatur cœlos, cui & Dominus innixus est. Scala inquam, per quam Dominus illi innitens in humanæ naturæ susceptione, ad nos descendit: & per quam peccatores ad cœlos ascendunt, hæc secundum carnis veritatem, stabat super terram: sed virtutum sublimitate elevata, terris excelsior fuit, & culmen suum cœlo intulit. Quomodo igitur terrena sensit contagia hæc scala nostra: quæ fœculentiam hujus mundi supergressa, cœlestium virtutum celsitudine in altum est porrecta?

Neque ex Scriptura sacra, neque dictis sanctorum Patrum rectè colligi maculam in concept. B. Virginis.

CAPUT XVI.

Vicesimo octava adversariorum objectio. Beatam Virginem **MARIAM** esse conceptam in peccato originali clarè & dilucidè ex sacra Scripturæ dictis inferri potest, ut hac propositione beati Pauli:

Roma. 3. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, item & ex hac, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Rursum & ex ista: Sicut per unius hominis delictum, in omnes homines in condemnationem: sic & per unius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Et ex aliis consimilibus. Novem enim in hac sua ratione afferunt propositiones ex sacris eloquiis depromptas: ex quibus deducere nituntur ratione dialecticâ quod intendunt. Est igitur asserendum: ipsam beatam Virginem fuisse in conceptione originali contagioni subjectam, ne quis id negans: cogatur & sanctam negare Scripturam, ex qua id comprobatur.

Responsio, Sicut in vicefima objectionis dilutione, & aliâ jam dictum est: propositiones universales sacrorum eloquiorum, designantes omnem hominem peccati originalis inquinamento esse infectum & condemnationi subditum: accipiendæ sunt secundum communem legem, & de iis hominibus qui in conceptu gratiam Dei non habent præservatricem, neque eam comprehendunt sacratissimam Virginem: quæ supra constitutam legem per gratiam Dei prævenientem est supereminenter excepta. Ideo & omnes illæ advertariorum ratioeinationes peccatum committunt, eo ipso quod ipsam annumerant reliquæ hominum universitati: quæ supra cæteros sublimiter eminent, haud secus ac perperam argumentaretur, qui ex hoc quod omnia per ipsum verbum Dei facta sunt: conficere vellet, & Deum Patrem, & Spiritum Sanctum: per verbum Dei factos esse, qui reverà omnium nomine non continentur: sed supra omnia sunt, aut qui ex hac beati Iacobi propositione aut consimili, in multis offendimus omnes: concludere vellet & Christum & Deiparam ejus Matrem in multis offendisse, peccato quidem voluntatis atque spontaneo, quod utique falsum est, nam omnium confessione & Christus & ejus sancta parens ab hac peccantia sunt exempti.

Porro quid mirum id judicabis: sanctissimam Virginem ab obligatione peccati originalis esse exemptam? quando si cætera Dei dona Maria stana in ea cumulatissimè exuberantia attendere velis: multò majora & ampliora in ipsa gratiarum privilegia comperies. Siquidem hæc ipsa nalem nunginali candore est nridissima, eadem conjugali fide & dignitate ptialem & honoratissima, & benedictionem nuptiarum scilicet sobolem non vidualem ex nuptiis sed de cælo consecuta. Denique eadem post sancti Ioseph in se emine viri sui transitum: viduali pudicitia continentissima, ut tres eorum qui ter habuit. æternam susceperunt sunt hæreditatem status: in se una sit complexa, omnium-

omniumque virtutes sparsim hominibus partas : ipsa simul in se collegerit, possederit atque continuerit. Verum in cæteris mulieribus, quæ Virgines sunt : necdum nuptæ sunt aut viduæ, & quæ nuptiali thoro fœderatæ sunt aut viris orbæ ampliùs virginealem non obtinent integritatem: Sed hæc singularis Dei Mater & nupta simul atque desponsata viro, & Virgo, hæc eadem viduata viro : & semper Virgo, ut virginali suo splendore & conjugalem statum vitæ & vidualem mirificè illustraverit, perinde atque sol radio suo aureis vasis, argenteis, aut gemmis preciosis insulgens, pulcherrimæve picturæ superfusus : decoratiora reddit omnia & fulgidiora. Ecce vides in gloriosa Virgine connubialem thorum supra communem legem superexaltatum : & vidualem solitudinem ultra solitum statum sublimatam. Conjuncta siquidem connubio virginitas : ipsum supra consuetum morem subvehit atque sustollit. Viduali quoque cœlibatui connexa Virginalis puritas illam supra suos extollit terminos, atque altiùs solito honorificentiusque collocat.

Quod si objicis nonnullas alias lectitari virgunculas, quæ conjugio junctæ, suam & virosum suorum virginitatem Domino consecrarunt, atque postmodum viris distitutæ eum viduitate virginitatem illibatam servarunt.

*Objectionis
exclusio.*

Non inficias ierim nonnullas ejusmodi fuisse : sed in imitatione hujus sanctissimæ Virginis, conjugis, & viduæ, quæ primitiæ est hujus triplicis benedictionis atque coronæ : & in hac connexionione trium generum vitæ ad salutem tendentium, primatum tenens. Siquidem ante sacratam Dei Matrem nullam leges in veteris legis observatione hanc perfectionem attingisse. Post ipsam verò, nonnullos invenies & viros & mulieres : hoc arduum virtutis iter ingressos, ut exinde intelligas cæteros omnes hujus sacrosanctæ Virginis exemplo, ad hanc viam carpendam esse inductos. Cæterum Virgines illæ illustres quæ in vinculo connubiali & officio viduali illibatam servarunt virginitatem : nunquid & fructum matrimonij utpote prolem consecræ sunt, quemadmodum sancta Dei parens? nunquid superveniente in eas Spiritu sancto conceperunt Filium Dei, aut manente virginali pudore eum pepererunt? nullus id sanè dixerit. Constat igitur sacrosanctam Virginem MARIAM, singulari privilegio divinorum munerum super omnes homines & viros & mulieres post Christum esse exaltatam : quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Cum itaque tantis in vita effulserit locupletata donis, tot cumulata prærogativis : cur

ex his non inducimur ad confitendum singularem in ejus conceptu Dei gratiam, quæ immunem à peccato originis eam præservaverit? Cum enim perfecta Dei sint opera: non incepit à sordido initio tam mirabilem suæ virtutis structuram, sed sanctitatem in Virginis conceptione dedit: quam deinde amplioribus donis adauxit.

Vicesimanona adversariorum objectio. Beatam Virginem MARIAM esse in conceptu peccato originali contaminatam, clarè & efficaciter deduci post ex dictis sanctorum Patrum. Igitur illud est astruendum. Alioqui cogemur & sacrorum authorum scripta refellere atque recusare. Antecedens probant per tres & quadraginta antiquorum Patrum autoritates, enixâ operâ studiosè collectas: ex quarum singulis conficere annuntur suam positionem. Inter illas autem in ipso frontispicio, primoque loco afferunt autoritatem beati Augustini libro secundo contra Julianum dicentis: Omnes homines illorum primorum parentum peccato nascuntur obnoxij: hoc enim qui negat, Christianæ fidei fundamenta subvertere conatur. Una est enim omnium Catholicorum fides: qui per unum hominem peccatum intrasse in mundum uno corde credunt, uno ore fatentur, & vestras novitias præsumptiones Catholicæ antiquitate subvertunt.

Responsio. Ut in vicesimæ septimæ objectionis solutione (cui fermè hæc est eadem) dictum est & sæpè alias: hæc Augustini sententia cum cæteris alijs, posita est ad elidendam impietatem Juliani, Pelagij & aliorum: destruentium originale peccatum in nascentibus secundum legem carnis communem, neque quicquam conficiunt contra nostrum propositum. Insuper omnes illæ propositiones intelligendæ sunt de ijs, qui concipiuntur sine præveniente Dei gratia & communi lege: neque illam astringunt, quæ singulari privilegio à lege peccati est exempta. Et reverà facilè sibi quisque persuadere debet, non defuisse sanctitatem in sacræ Virginis conceptu: ubi perspexerit admirandam in tota vita ejus, & in ipsis puellaribus annis sanctimoniam à Spiritu Sancto cordis ipsius hospite & habitatore procedentem. Enimverò testatur Hieronymus in libello de nativitate sacratissimæ Virginis, testatur & Bernardus: quod triennis in templo præsentata est beata Virgo, non sine divini ostensione miraculi: quod nullius adjuncta ducis adminiculo in tenella illa ætate arduos templi gradus conscenderit, & in contubernio virginum posita sit, nondum (inquit Bernardus) planè verba formabat: & jam gressu maturo incedebat: ut non infantula putaretur sed grandæva, horas sic discernebat: quod à
tempore

Augustinus

Hieronymus.

Bernardus.

tempore matutino usque ad tertiam orationi vacabat, à tertia usque ad nonam tenebat vel nebat ad cultum templi, aut etiam biblicorum librorum sacrarumque eloquiorum lectioni sedulo intenta erat, non autem hora, orationi rursus instabat: donec Angelus ad eam veniebat de cujus manu cibum sumebat. Hæc insuper omnium mulierum prima: candidissimam suam virginitatem Domino consecravit, quam ut hujus cœlestis vitæ ducem: mille deinde Virgines secuta sunt, calcataque carnis spurcitiâ impigro gressu comitatur. Insuper hæc tantâ sanctitatis & puritatis plenitudine exundavit: ut à mente in virgineam ejus carnem redundans interior illa serenitas, non modò viros admiranda oris pulchritudine ad concupiscentiam non succenderit, more cæterarum: sed & impuras carnis titillationes in aliis ipsam contuentibus restinexerit, sedaverit, atque compresserit. testantur hoc fide digni auctores; & ab exuberantia divinæ in ea gratiæ, idem non est alienum. Vides igitur in tam sancta & pura Virgine humanam quidem fuisse carnem: sed cœlestem in illa gratiam relucentem, quæ ex copiosa sanctimonix affluentia suæ puritatis radios in alios etiam transfuderit, & reddiderit ipsos castitatis amatores. Cùm itaque tanta fuerit in ipso ferè vestibulo & introitu vitæ in illa singulari Virgine sanctimonia, cum in ipso vitæ progressu tam eximia in illa puritas: ut divina potius quam humana dici mereatur, quid absurdum putas: si in ipso quoque conceptu affuerit inchoatoria sanctitas? cum in divinis operibus non soleant principia à medijs discrepare: nec media à principiis.

Quòd abnegatio macula in conceptione sacrosanctæ Virginis non minuit ejus dignitatem, neque laudem.

CAPUT XVII.

TRicesima adversariorum objectio. Quod majore labore & difficilius acquiritur: laudabile magis est & commendatione dignum. Auget enim indefessus ille labor & assidua opera materiam laudis in eo: qui impigrè ipsum exercet. At si beata Virgo ponatur in ipso conceptu sanctitate dotata à Deo: nullum ei fuit negocium, nullus labor ad obtinendam puritatem animi & corporis, cum utramque habuerit ingenitam. Si verò dicatur contraxisse quidem primo labem peccati, sed il-

sed illius fomitem & virus inustum assiduo virtutis exercitio & certamine contra carnem repressisse, devicisse ac superasse : tunc eo ipso commendabitur, quod proprio sudore, suo nixu atque conamine, ad tantum perfectionis culmen evaserit. Est igitur id secundum potius asserendum de Virgine gloriosa, quam primum.

Responsio. Quod proponit primo loco adducta profectio, nequam est in universum recipiendum, præsertim ubi tale bonum, quod labore non acquiritur, aut natura habetur, aut indultu divino. Enimverò Deus suapte natura bonus est, & Dominus virtutum : non tamen ideirò inferior hominibus, qui perfectionem Virtutis suo studio & labore consequuntur. Angeli itidem puritatem habent & munditiam à terrenis affectibus & concupiscentiis, divino munere ipsis inditam : non tamen eam ob rem ipsos rectè infra homines colloces, in probo labore & certamine contra carnem, illam consecutos castimoniam. Sed nonne sæpenumero est videre nonnullos nativam formæ gratiam & dotem habentes quam tamen non excolunt, formosiores esse iis qui assiduâ curâ, studio & operâ nituntur sibi pulchritudinem oris comparare, naturâ negatam, & quam vix unquam possunt assequi ? Insuper ubi labor ipse suscipitur ad tollendam imperfectionem vicio annexam : longè commendatius est sine labore illud obtinere, ad quod assequendum ipse labor annititur, desudat, & molitur : quam labore ad ipsum contendere. Ubi enim citra laborem illud præclarum obtinetur bonum : adest quidem perfectio, quæ in aliis per laborem expetititur, sed numquam locum illic habuit imperfectio : quæ in cæteris per exquisitum accuratumque laborem sustollitur. Ubi verò labore opus est ad comparandum aliquod bonum : occupavit prius animum imperfectio & scoria peccati abradenda, detergenda & eliminanda per virtutis exercitium. Itaque imperfectionem præcedentem arguit suscipiendus labor : ut rubigo contracta abstergatur, & inducatur virtutis nitor. Imperfectorum igitur in ipso exordio est : per laborem conari ad summum virtutis culmen, Perfectorum verò ab ipso exortus initio, & omnino absolutorum : absque labore nativam habere perfectionem. Quocirca majori laudi id dandum est in eximia & singulari Virgine, quod in ipso conceptu habuerit eam sanctitatem divino indultu illi præstitam : quam si assiduo usu & operis exercitio eniti debuisset, ad eam post laborem adipiscendam. Enimverò quid magis commendares : aut agrum divinâ benedictione frugiferum, qui sponte suâ sine humano cultu omnigenos profert fructus : aut eum qui

qui adunco vomere profcindi debet & inverti araro, ut largas segetes producat? Nonne etiam amplius laudabis gladium, qui nativum (ut fabricatus est) semper habet splendorem: quam eum qui prius scabra obductus est rubigine, deinde humanæ manûs officio & duro labore detergitur, ut eniteat, quantumcumque tandem oblineat & nitidum fulgorem?

Tricesima prima & ultima adversariorum objectio. Quod præstantius est, commendatius & laudabilius beatæ Virgini semper est tribuendum. Atqui id in majorem illi cedit laudem & commendationem: quod post seculentiam & lutum peccati sublimata sit ad tantam dignitatem, quod mater Dei sit effecta, & demum super omnes cœlestium Spirituum ordines evecta: quam si omnino pura à peccati forde, semper dicatur fuisse sanctitate sublimis. Quemadmodum majori id datur laudi, si quis ab ima fece tenuique sorte ad arduum honoris culmen sit proventus: quam si claro sanguinis stemmate natus, honorificam dignitatem sit adeptus. Majori iudem ascribitur commendationi: quod plebeia Virgo & obscuro loco ædita, ad regales ascita sit nuptias, & ad regis assumpta thorum conjugalem: quam si claris orta natalibus, sociâ thori à rege deligatur. Potius igitur beatæ Virgini ascribendum est originalis peccati inquinamentum: ut exinde cumulatius laudetur quod eo emerferit malo, & ad tantum virtutis fastigium evaserit.

Responsio. Cum id quod abjectum est & imum, naturæ tantummodo habet minorem dignitatem, non autem deformitatem culpæ: certe præstantius est ex imo ad summum promoveri, quam ex alto in sublimius, quandoquidem propter majorem extremorum interapedinem difficilior est ab infimo in supremum, quam ab excelsio in superius, motio, quare graviore illic opus est labore & exactiore opera: quæ impigre laboranti cumulatiorē adjicit laudem. Ubi verò quod imo sublidet loco, habet involutam secum culpæ vitiositatem, aut peccati spurcitiâ annexam: nequaquam laudatior est ab eo extremo ad virtutis celsitudinem promotio, quam à minori virtutis dignitate ad ampliorem, quandoquidem vitij fœditas & contaminatio nullam prorsus habet laudis materiam, quemadmodum etiam superius in vicessimatertiâ rationis primi libri deductione dictum est, & naturalibus exemplis patefactum. Quis enim satius duxerit: à morbo mortifero ad sanitatem perfectam, quam à minori sospitate ad majorem perducî? Quis item honestius existimaverit à luti fordida lacuna,

sentina & eluvie ad purgatorem aëris locum: quam à loco sincero ac tertio ad puriorem conscendere? Peccati autem originalis contagium, non naturæ dicit conditionem: sed culpæ imperfectionem, infirmitatem carnis, animæque eluvionem. Non igitur id laudi ascribendum foret gloriosæ Virgini: quod ex illius pestilentis sentinæ barathro emerisset ad arcem virtutis, quin immo id ipsum gloriam ipsius & sanctitatem perpetuam plurimum dedecoraret. Itaque sentiamus omnes uno corde, & uno fateamur ore, sacratissimam Virginem MARIAM fuisse prorsus immunem ab originalis mali labe: ut ejus adjutrice misericordiâ purgemur à nostris peccatis, & purgati ad laudandam perpetuò illius intemeratam sanctitatem digni habeamur. Sed tu Virgo sanctissima: gratiam puritatis à Deo tuis precibus nobis impetra, & effrenes concupiscentias in tuis famulis reprime. Ostende nobis dulcissimam faciem tuam: ex qua eximiæ puritatis tuæ claritas insignis nobis irradiet. Tu macula nescia peccatorum sordes à nobis absterge. Tu fons munditiæ & sanctitatis, mundum cor & corpus nobis à filio tuo obtine. Tu Domina pacis & mater pulchræ dilectionis contentiones acerbæ quæ de tuæ immaculatæ conceptionis puritate suscitantur, ocyus mitiga, dissidia comprime, controversias sedata, omnium corda ad meditandum, omnium ora ad confitendum tuæ conceptionis sanctitatem converte, ut post hæc habitent omnes filij tui unanimes in domo Domini sine querela: & demum ad te subvehantur in cœlesti gloria, ubi puritas est & pax perpetua. Amen.

Secundi Libri de puritate conceptionis beate

MARIÆ Virginis,

Finis.

PAULI DE HEREDIA
HISPANI,
DE CONCEPTIONE
IMMACULATA
DEIPARÆ VIRGINIS
TRACTATUS.

A D

INNOCENTIUM VIII.


PONT MAX.

Iuxta Impressionem Romanam factam Anno

M. C D. L X X X I V.

R 2

DIVO



DIVO INNOCENTIO VIII.

PONT. MAX.

Paulus de Heredia post pedum oscula
beatorum salutem perpetuam-
que felicitatem.


Sæpenumero contemplatus sum Sanctissime Pa-
ter quaestionem quandam, quæ est inter duas am-
plissimas scholas quibus totus pene orbis sustenta-
ri videtur. Ea verò est: Utrum intemerata Virgo MA-
RIA fuerit concepta in peccato originali. Una autem
schola hoc argumento nititur probare quòd sic: cum pec-
catum nostri primi parentis, tam graue fuerit, ut ma-
teriam suam infecerit & contaminauerit: adeò, ut ab
eo descendentes infecti sint illâ maculâ, quod peccatum
originale appellatur, Gloriosa verò Virgo concepta fue-
rit ex illo semine quod ab Adam processit: rationi con-
gruum est quod fuerit in peccato originali concepta: &
hoc patet: quia Deus non vult abrogare ordinem cur-
sumque naturæ: sed bene in eodem instanti fuit purifi-
cata,

cata, & sanctificata ab ipso peccato. Altera autem schola tenens quod non, oppositum arguit dicens. Cognito Virginem immaculatam futuram vas & tabernaculum, quo Christus carnem humanam erat assumpturus: necesse erat ut perfectus esset qui reperiri posset: neque indigeret purificatione. Quare ego Paulus de Heredia ut componerem huiusmodi controversiam præsens opus institui compilare: in quo ut me à viâ procedam prætermisissis multiplicibus rationibus, & argumentis, quæ utraque schola facit, ea adducam quæ ad huius rei satisfactionem quàm melius dici poterit facere videbuntur. Et quamvis sciam me unum esse ex ijs qui fortasse minus intelligam: tamen ob ardentissimam devotionem, quam erga piissimam Virginem gero, cuius minimum me servum appello, cogor ut pro ingenij mei imbecillitate meam de hac quaestione sententiam in medium proferam. Id autem erit Virginem Gloriosam nullo pacto fuisse in peccato originali conceptam: quod varijs rationibus tam naturalibus quàm Prophetiis pro Viribus ostendemus. Et quoniam veritas à quocumque referatur accipienda est: ideò ad probandam intentionem nostram adducam dicta tam hebræorum Doctorum, & Alcoran Mahometi, quàm aliorum plurimum: tamen infideles illi sint, & à nostra plurimum religione abhorreant. In primis autem testabor maximum discrimen esse inter hebræicum sensum, & di Vi Hieronymi translationem; & quamquam falsitas proveniat ex depravatione textuum, quam scribæ fecerunt

in Biblia, ut nos in nostro ense probamus ostendentes
 divum Hieronymum optimè traduxisse; Verumtamen
 quia in ipso ense, & in hoc tractatu multis in locis con-
 tradicimus pestifera Iudæorum opinioni, non discedam
 ab hebraico sensu & dimittam Hieronymi traductionem:
 non quòd illam non probem: Sed ne Iudæus objicere
 possit nos falsis testimoniis probasse veritatem. Et quia
 Salomon ait canticorum cap. 3. Egre diamini & videte
 filia Sion Regem Salomonem in corona qua coronavit eum
 Mater sua in die desponsationis suæ & in die lætitiæ
 cordis sui, ubi loquitur de incarnatione, quæ est corona,
 quam maximâ lætitiâ accepit Christus quando desponsa-
 vit se Matri suæ: idè præsentem Tractatum Coronam
 Regiam appellabimus. Eum autem tuæ Sanctitati idcirco
 dedicandum putavimus, quoniam cum tu qui Christi Iesu
 vivam imaginem fidelibus populis repræsentas illiusque
 vicem quasi terrenus Christus geris in terris, videaris
 optima ratione MARIÆ Filius appellari ejus tanquam
 tue parentis Laudes primus cognosceres, cognitæ si vi-
 deretur approbares, approbatas demum legendas fidele
 Populo publicares. Quis enim vel avidius, vel honorifi-
 centius illas suscepisset, quàm tu Pater Sanctissime, qui
 & Christianæ Religionis es caput, & eam tuis divinis
 virtutibus ornas, quique es tum cœlitum omnium, tum
 vel maxime ipsius Virginis flagrantissimus ac devotis-
 simus cultor. Quis item alius plus auctoritatis quam tu
 approbens hoc opus in quo laudes tuæ Matris conti-
 neantur

neantur, addere potuisset? Quis etiam ad alia quæ medi-
 cati sumus publicanda quæ ex fontibus hebræorum hau-
 sta in nostræ fidei firmamentum addantur, eamque locu-
 pletent nos acrius excitare? Nam & si mea mentis in-
 stinctu divinâque gratiâ ad id præstandum satis videar
 inflammatus. Aura tamen & velut secundo vento ad flu-
 ctus Maris difficiles pervagandos remiganti seni est opus
 ne antequam in portum cimba possit impelli, vel trans-
 versa jactetur in litus vel mediis in fluctibus obruatur.
 Suscipe igitur Beatissime Pater oblatum pauperescenti
 manu munusculum, & me naufragum senem ac tuæ
 Sanctitati deditissimum servulum habeas commenda-
 tum.

P A R S P R I M A



PAULI

PAULI DE HEREDIA HISPANI
De Conceptione Immaculata Dei-
paræ Virginis Tractatus.

PRÆSENS TRACTATUS

dividitur in quatuor Partes.

Prima Pars dicitur Ratio generationis peccati.

Secunda Ratio Operationis.

Tertia Ratio Prophetie.

Quarta Ratio creationis Virginis.

P A R S P R I M A.

Ad probandum gloriosam Virginem conceptam fuisse absque peccato Originali; & hoc ratione causæ generationis peccati,

EXtat in libro Sapientiæ dictum, per quascunque causas nascitur peccatum per easdem dissolvitur. Eandem Auctoritatem invenimus decretali deRegulis juris. Omnis res per quas nascitur per easdem dissolvitur. Hanc eandem reperimus apud Averrocin in V. Cusliath cap. i. de virtutibus quævi operantur: Ex principiis & causis per quas accipiunt res sua principia, ex eisdem accipiendi sunt fines. Igitur & si nos à materia nostri tractatus parumper transgrediemur, nihilominus ut melius nostra intentio declaretur, adducemus omnia quæ intervenerunt perpetratiioni peccati Adæ, quemadmodum etiam interfuerunt absolutioni peccati, & Passioni Christi. Dico ergo quia peccatum primum ab homine perpetratum fuit; ideo fuisse necesse ut ab homine redimeretur. hoc autem peccatum commissum fuit infinitum; ideo necesse erat veniret infinitus ad reluendum: & hæc est potissima ratio, quam afferunt Sacri Theologi Messiam necessario fuisse Deum & hominem. Hoc peccatum commissum fuit
ab homine

ab homine creato, ideo verbo Dei necesse erat veniret ad redimendum ut homo; cuius humana natura verbo Dei facta esset unum; illud *et verbum caro factum est*. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui fuit Pater totius orbis, ideo necesse erat illud redimeret Christus, Deus & homo, qui fuit Pater universi; & quia hoc peccatum venit interventu serpentis, hinc necesse erat venia præveniret ex altero serpente, qui est Christus, ut extat ex textu D. Joannis Evangelistæ, cap. 111. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto ita exaltari oportet filium hominis*. Præterea in quodam hymno, qui incipit: Alma Chorus, serpens unum ex nominibus Christi numeratur. Hoc peccatum commissum est in esu fructus arboris, ideo necesse erat fieret in arbore redemptio. Hoc itidem venit ex fructu quem Adam comedit, & idcirco necesse erat altero fructu dilui, ut ait Paulus ad Corinthios Epistola prima cap. 5. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus; Itaque epulemur*. Ob quas quidem extremas rationes canit Mater Ecclesia. Per lignum servi facti sumus & per Sanctam Crucem liberati sumus, fructus arboris seduxit nos, & fructus arboris redemit nos. Hoc peccatum perpetratum est ab homine cuius unus tantum erat parens, scilicet terra, quæ fuit materia Adæ; ergo necesse erat redimeret ille, cui non esset nisi unus Parens, quæ esset Mater. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine qui creatus est integer & ita pulcher ut in mortis Articulo; necesse ideo erat veniret Christus integer homo tamen non fuerit in utero Matris quadraginta diebus ut organizaretur, sicut quilibet homo; Sed statim quod verbum caro factum est homo integerrimus factus fuit, & perfectus. Si autem mihi obijciatur consequentiam non valere, quia Christus sicut Adam debebat creari magnus & pulcher quemadmodum erat in die Passionis. Item, si quis dixerit; noli Paule respondere quod fuerit impossibile corpus tam pulchrum, & tam bene proportionatum potuisse in Alvo Virginali contineri, quia hæc non esset responsio triplici ratione. Prima, quod quemadmodum pullum Gallinaceum aut columbinum, cum primum egreditur ovo volens non poteris illuc retromittere, quoniam vix caput recipietur. Prius autem divino quodam miraculo in eo continebatur. Ita poterat facere de Christo benedicto. Secunda, quod Sicut in speculo parvo effigies hominis magni refertur, dum speculatur, & in eo cernuntur turris magna, & mons ingens ita poterat Christus manere in utero Virginis. Tertia, quod quemadmodum Corpus Christi ita magnum & pulchrum, ut in coelis habitat, descendit in

hostiam parvam consecratam, eodem modo poterit degere in Virginis alvo. Et sic respondeo Christum verè potuisse generari ita magnum pulchrum ut erat in die Passionis & degere in utero Virginis. Præterea dico quod poterat Christus incedere prædicans à die suæ Nativitat's, ut fecit triginta annos natus. Sed Deus hoc facere noluit ne cognosceretur, nisi pro homine tantum; quoniam alioquin non potuisset sequi ejus sancta mors & Passio adeo ignominiosa & acerba, Quare, si aliter factum fuisset, hoc miraculo stupefacti homines eum venerati fuissent ut Deum, & illæsum servassent, adeo ut nec Iudas, quidem qui tam magnus proditor fuit, si eum cognovisset, unquam prodidisset. Hoc autem probatur quoniam cum primam aliquam ejus habuit cognitionem penituit & triginta denarios restituit. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine creato die veneris; ideo necesse erat venire Christum ad id redimendum die veneris generatus. Notandum enim est, quòd in anno Nativitatis Christi fuit Annunciatio in die veneris; & sacri Theologi probant Nativitatem Domini nostri fuisse die Dominico, & optimam quidem ratione. Die enim Dominico cepit Deus creare hunc orbem & in veneris perfecit: atque ita decens erat ut in die Dominico nasceretur, & inciperet ædificare mundum gloria æterna. Idcirco dies Annuntiationis venit biduo ante Nativitatem. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine scilicet qui die veneris peccavit, totumque orbem condemnavit; idcirco necesse erat venire Christum qui die veneris pateretur & parceret orbi. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui die veneris ejectus est à Paradiso, ideo necesse erat venire Christum qui die veneris pelleretur à mundo. Hoc peccatum commissum est ab homine, qui cognoscebat felicitatem consistere in gubernatione civitatis & potentem esse. Ut ait Textus Genesis cap. 2. *Et eris sicut Deus*; ergo necesse erat venire Christum, ut instrueret felicitatem non consistere in hoc mundo, sed in regno Dei. Hoc peccatum perpetratum est ab homine qui ob corporis voluptatem animam suam occidere voluit, & animas ab eo descendendum; ergo necesse erat venire Christum, & affligeret seipsum, ejusque vita esset ærumnosa, ut animas vivificaret. Hoc peccatum commissum fuit ab homine cujus delictum toti orbi mortem peperit, hinc necesse erat venire Christum, qui morte sua, & post resurrectionem ostenderet vitam mundo per Resurrectionem. Hoc peccatum commissum fuit ab homine transgressore præcepti divini, & qui proditor suæ mundum condemnavit; ergo necesse fuit venire Christum tradendus

sedens ut sua Passione ignosceret mundo. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine qui voluit esse Dominus, & imperare, ideo necesse erat veniret Christus cui imperaretur, & esset suppositus Annæ, Cayphæ, Herodi atque Pilato. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui deliquit in superbiâ & inobediencia; hinc necesse erat veniret Christus cum obedientia, & humilitate mansuetus sedens super asinam. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, quem diabolus tentavit superbiâ, avaritiâ atque gulâ. Avaritiâ, cum dixit ei: *Et eritis sicut Dij*: Gulâ, cum comedit ex arbore: superbiâ & inobediencia in transgressione præcepti divini subjiciendo se diabolo qui eum vicit, ob hoc necesse erat veniret Christus Redemptor, qui tentaretur à diabolo eisdem peccatis; Gulâ, quando dixi ei: *Si Filius Dei es dic ut lapides isti panes fiant*. Avaritiâ & superbiâ, quando elevavit eum in montem altum, & ostendit omnia Regna, eique dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Christus autem diabolum superavit. Hoc peccatum commissum fuit ab homine cujus peccati causâ terra maledicta fuit ut generaret spinas & carduos; hinc erat necesse veniret Christus spinis coronatus ut parceret mundo. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, cujus peccato terra ejus materia maledicta fuit, hinc necesse erat veniret Christus, cujus incarnatione benediceretur Mater ejus, ipsique diceretur: *Ave gratia plena*. Hoc peccatum commissum fuit ab homine cujus peccato condemnatus est ipse, & tota progenies, ut cum sudore vultûs sui comederet panem, ideo necesse erat veniret Christus, qui sudore sui vultûs Veronicæ relicto ignosceret orbi. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, cujus anima intellectiva est tota in toto corpore, & tota in parte. Sed quia ejus operationes magis in cerebro demonstrantur & corde, ideoque dicitur anima in cerebro, in corde consistere. Adam autem quando peccavit perdidit sensum, & phantasmate gubernatus est; hinc erat necesse veniret Christus, cui imponeretur corona spinea quæ circumdaret caput, cerebrum, & phantasma cum maxima sanguinis effusione: mox vero lanceâ feriretur latus, quod est domus cordis. Hoc peccatum commissum fuit ab homine qui auribus suis audivit præceptum Dei, & transgressus est; hinc erat necesse veniret Christus, qui audiret multa vituperia & obprobria. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui oculis suis vidit arborem, ex qua præcepit Deus ne comederet; hinc necesse erat veniret Christus qui videret sputa judæorum, & arborem qua cruefigendus erat. Hoc peccatum est per-

petratum ab homine, qui sponte sua accessit ad arborem ut mandatum Dei transgrediretur; hinc erat necesse venire Christus, ut sponte accederet ad arborem qua redimeretur peccatum. Hoc peccatum commissum est ab homine, cujus pedes maxima lætitia processerunt ad colligendum fructum; hinc necesse erat venire Christus, cui pedes perforarentur ad veniam peccati. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui manu suâ arborem apprehendit: & alterâ collegit fructum; hinc necesse erat venire Christus, cujus manus perforarentur. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui expandit brachia sua & corpus ad fructum colligendum; hinc erat necesse venire Christus cujus brachia & corpus cruce distenderentur. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine, qui aperuit brachia sua ut totum orbem in peccatum traheret; hinc erat necesse venire Christus, qui expansis brachiis staret ad ignoscendum. Hoc peccatum perpetratum fuit ab homine, cui comedenti ex illo fructus, dulce fuit; hinc necesse erat venire Christus qui in cruce diceret: *Sitio*, eique daretur in potum sel & acetum. Hoc peccatum fuit commissum ab homine, cujus omnia membra gavisâ sunt & recreata ex cibo illius fructus; hinc necesse erat venire Christus, cujus omnia membra cederentur, & essent afflicta multis verberibus. Hoc peccatum fuit commissum ab homine, qui postquam comedit fructum, cognovit in honestum esse nudum incedere, & ut tegeret dedecus suum, accepit folia ficûs, & velavit; hinc erat necesse venire Christus ut tegeret dedecus orbis: eique imponeretur, velum super pudenda. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, cujus materiæ, quæ est terra, non potest adscribi aliquod peccatum nec originale, nec actuale, nec mentale; hinc erat necesse venire Christus, cujus Matri non posset obijci alicujus generis peccatum. Hoc peccatum perpetratum fuit à muliere, ideo necesse fuit ut ab altera muliere dissolveretur. Hoc peccatum perpetratum fuit à muliere Matre universali totius orbis; hinc necesse erat venire altera mulier Mater universi, cujus interventu peccatum relaxaretur. Hoc peccatum perpetratum fuit à muliere, tentante diabolo; hinc necesse erat venire gloriosissima Virgo, quæ mediante salutatione Angelica remissionem impetraret. Hoc peccatum fuit commissum mediantibus tribus litteris E. V. A. quæ significant Eva; hinc erat necesse eisdem litteris inversis, quæ *Ave* conficiunt, peccatum dimitteretur. Hoc peccatum commissum fuit ab homine, qui ex Virgine factus, quæ est terra, fuit Virgo; hinc necesse fuit venire Christus

Filius Virginis ad ignoscendum. Hoc peccatum commissum fuit à muliere, quæ in Articulo peccati Virgo erat; hinc necesse fuit veniret Virgo, cujus intercessione peccatum relaxaretur. Hoc peccatum fuit commissum à muliere, quæ facta fuit absque peccato originali; hinc erat necesse veniret Immaculata Virgo sine peccato originali concepta, cujus interventu peccatum dilueretur. Hoc peccatum fuit commissum à muliere, quæ suis demeritis damnata fuit, ut cum dolore pareret; hinc necesse erat veniret Virgo gloriosa, sine peccato concepta, quæ pareret Christum absque dolore, immo cum summa lætitia. Hoc peccatum fuit perpetratum à muliere producta absque libidine & voluptate corporea (quando enim Eva ablata est ex costa Adam dormiebat in Paradiso: nihilque sensit) necesse fuit veniret Virgo MARIA concepta absque effrænata libidine & delectatione corporea. Quomodo autem id fuerit, in sequentibus declarabitur à nobis. Hoc peccatum fuit commissum à muliere, quæ personaliter intervenit peccato perpetrando, hinc erat necesse veniret inclita Virgo, quæ personaliter interveniret remissioni peccati. Atque his rationibus rectè probavimus, quoniam pacto gloriosissima Virgo concepta fuerit absque peccato originali. Et hæc quantum ad primam partem dicta sufficiant.

P A R S S E C U N D A.

Dicta ratio operationis, ad probandum tribus modis quod gloriosa Virgo fuit concepta sine peccato originali.

Primò modo propter operationes naturales. Secundo propter Artificiales. Tertio ob divinas. Primo modo propter naturales, & hoc septem modis, & in primis faciemus duas propositiones. Prima erit quod in quocunque opere debent reperiri quatuor causæ, videlicet materialis, efficiens, formalis & finalis. Ex his autem quatuor causis finalis est sublimior, & præstantior omnibus, quia ejus gratiâ reliquæ præparantur. Secunda, quod causa finalis & opinio naturæ semper permanent, neque cessant suo subjecto & individuo perfectiorem tradere formam, si materiam aptam ad recipiendum talem formam invenerint. Idcirco necesse est unicuique efficienti naturali atque artificiali disponere habiliorem materiam quam possit

cuilibet subjecto, ut veniat finis peculiaris illi secundum cogitationem, & finem ab ipso imaginatum. Exempli gratiâ, piper, cujus finis est caliditas & siccitas, naturaliter facit ignis operationem. Econtrariò viola quam natura disponit ad qualitatem aquæ utpote rem convenientem frigiditati, quæ est finis ei peculiaris. Eadem ratione Saphirus, Rubinus, & Adamas quos natura & causa finalis disponunt ad quamdam materiam sublimem, lucidam & diaphanam ex quatuor elementis, ut recipiant formam propriam & peculiarem sibi non obstante quod sint ex elemento terrestri, quod est crassum obscurum, & tenebrosum. Quod cum ita sit in rebus naturalibus, consequens est gloriosam Virginem, ex quo erat subjectum, quo Filius Dei incarnandus erat, fuisse perfectis semen, & naturaliter factum absque peccato originali, nec creatam cum peccato & postea purgatum. Secundus modus. Unicuique enti cui deest aliqua perfectio, insitus est naturalis appetitus assimilandi enti perfectiori, oditque res sibi infimas, & inferiores. Natura autem si dispositio subjecti sit habilis recipere majorem perfectionem dat ei quantum capax sit. Idcirco saphirus, cujus materia est ex terra tetra, naturâ cupit ascendere in gradum claritatis, quæ est in elemento aëreo, accipitque ab ipso claritatem, sitque lucidum & diaphanum. Mineræ autem cupit fieri vegetativum ob eamque rem corallum quod est minere crescit ut vegetativum, etsi animam vegetativam non habeat. Sed natura dat ei crescendo perfectionem, cum materiam habeat aptam. Vegetativum verò appetit animal fieri. Ideo mandragore ob dispositionem suæ materiæ, etsi caret sensitivâ, naturâ tamen dedit ei hominis figuram. Præterea Animal cupit fieri homo ob quod simia hominis tenet effigiem, effingitque multa, quæ ipse homo, tametsi careat anima rationali. Unde consequens est ex quo appetitus materiæ Gloriosæ Virginis erat concipi absque peccato originali, cujusque materiæ dispositio erat habilis ad recipiendum hujusmodi perfectionem quod rationabilis sit operatione naturæ conceptam fuisse sine peccato originali, quam post conceptionem fuisse purgatam. Tertius modus. Materia forma, & causa efficiens quanto perfectior & sublimior est eorum finis, tantò sunt altiores: quemadmodum quatuor elementa cum primum animam sensitivam nasciscuntur, sublimiora sunt quam cum solum animam vegetativam habebant. Cum autem rationalem adipiscuntur, sunt altiora quam cum erant Bruta. Mineræ verò cum primum lapilli preciosi efficiuntur prout est carbunculus, Rubinus

& Zaphirus nobiliores sunt Jaspide & porphirite; Jaspis autem & porphiri es sunt excellentiores lapidibus quibus domus construuntur. Eadem ratione ex herbis honorabilius est frumentum, & ex Architectis, qui regiam construunt, quàm qui Casam. Item erigere Basilicas sublimius est quam Palatia Regis ædificare. Præterea adorare Deum, eique dicere laudes amore præstantius est & acceptius, quàm necessitate. Sequitur ergo, ut quanto sublimior est causa finalis tanto plures perfectiones emanent ab ipsa in subiecto suo, ut excellentior sit futura. Quod cum ita sit, necesse erat Intemeratam Virginem, quæ erat subiectum & tabernaculum, quo Filius Dei incarnandus erat sublimiori gradu quam subiecta minora, quæ eum peccato originali concepta sunt, concipi sine peccato originali, utpote quæ excessum perfectionis haberet. Quartus modus. Exploratissimum est in quacumque reinventantur alij fines à primo separati, secundum finem esse primò sublimiorem, tertium secundò, & ita gradatim de cæteris. Eadem ratione materia & forma secundi finis sunt perfectiores materiæ & formæ primi, & materia & forma tertij, sublimiores secundi. Verbi gratiâ: Hominis respectus & finis esse animal, perfectius est quam finis esse vegetativum, finis autem esse hominem est perfectior, quàm finis animal esse. Propterea cum homini definitionem dare voluerimus prout solum animal est, esse corpus nutritivum sensibile dicemus. Si autem prout homo est, dicemus esse animal rationale: quæ esse sublimior definitio, quàm prima. Consequens est igitur, ut cum intemerata Virgo in sua conceptione non solum ut esset homo fuerit concepta, sed ut ejus ultimus finis fuerit esse Matrem Dei, qui quidem finis est excellentior atque sublimior ultimo sine in genere humano quod habuerit materiæ & formam perfectiorem ea, quæ hominem esse faciebat. Illa autem est conceptam esse absque peccato originali. Nam quemadmodum materia animalium est sublimior perfectiorque materiæ plantarum, Materia autem hominis est excellentior animalium, ita rationi congruum est, & necessarium materiæ Virginis gloriosæ fuisse perfectiorem sublimioremque materiæ hominum, utpote quæ in altiorem gradum ascenderit hominis. Et hac ratione satisfaciemus dicto divi Pauli: *Omnes in Adam peccaverunt.* Quod sic interpretatur. Omnes qui subeunt regulam Adæ solum, neque altiorem gradum sortiuntur, hi verè peccatores sunt & in peccato originali concepti: verumtamen gloriosæ Virgini, quæ in sublimiorem gradum ascendit quàm Adam, Non potest dici quod

quod ceciderit in peccatum Adæ. Solaque ipsa Virgo hoc privilegio dotata fuit supra omnes creaturas. Ut in ea Filius Dei conciperetur quod autem hanc excellentiam aliquis nancisci non poterat præter gloriosam Virginem, Isque fuerit ejus ultimus finis suæ conceptionis probabimus hoc modo. Nulla unquam creatura concepta fuit in qua Dei Filius incarnaretur præter Virginem gloriosam, in ipsa autem Filius Dei incarnatus est; ergo ut Filius Dei conciperetur concepta fuit Virgo gloriosa. Concluditur hoc argumento, incarnationem Filij Dei fuisse causam finalem conceptionis beatæ Virginis. Postquam autem fuit causa finalis dictæ conceptionis, necesse fuit ut materia & forma inelictæ Virginis esset perfectior & sublimior quàm alia in genere humano & sine peccato originali creata. Quintus modus. Natura tunc est æqua, & secundum se ipsam agit cum dat tantum perfectionis quantum subjectum recipere potest: Et hoc modo non dicitur aliquod contra naturam fieri, tunc enim id diceretur cum ipsa natura non daret perfectionem quam ejus subjectum capere potest. Nam quemadmodum est contra naturam dare perfectionem ei qui non meretur, ita est contra naturam illi quæ meretur adinere. Quod cum ita sit fuit necesse materiam Gloriosæ Virginis quæ erat habilis & apta recipere hujusmodi perfectionem, quod conciperetur absque peccato originali à natura sine peccato originali creatam fuisse. Alioquin si apta non fuisset, Deus illam non mundasset. Qua ratione respondebimus objectioni quam afferunt Deum nolle contradicere naturæ, ideoque fuisse conceptam in peccato originali, fateor equidem, sed veram dico contradictionem naturæ esse cum natura non dat tantum perfectionis, quantum subjectum capere potest; ergo cum subjectum inviolatæ Virginis esset aptum recipere talem perfectionem, non potest dici contra naturam factum fuisse ut crearetur absque peccato originali. Sextus modus. Faciemus autem duas propositiones. Prima erit: certum est peccatum originale non esse causam efficientem generationis . . . quod si Adam non peccasset, certè generasset. Secunda, & hoc exemplo probabimus. Quidam Rex ingressurus erit domum sordidam & fætidam. Interrogo utrum decentius sit eam domum mundari debere & varijs odoribus repleri antequam Rex ingrediatur, an posteaquam ingressus sit? Certè dignitati Regiæ conveniet prius nitidam, mundam & sedolentem reddere, quam postea. Ita dicemus de Regina Cælorum, justius & decentius fuisse, ut materia quæ futura erat materia Virginis

ginis gloriosæ mundificaretur ac Sanctificaretur, dum erat materia generantis, & ab ea adimeretur causa efficiens peccati originalis quam postea cum erat materia generatæ: Quod si non ostenderet defectum in Reginâ Cœli. Textus autem canticorum cap. 4. clamat: *Tota pulchra es. &c.* Ergo defectus peccati originalis gloriosæ Virgini non potest imputari. Septimus modus. Quantò propinquoires sunt principium & finis, tantò perfectius debet esse medium magisque convenire debent principium & medium cum fine, quemadmodum major influentia provenit à causa finali in operatione subjecti, & multò avidior est finis in medio & principio. Ideò cognito quod finis conceptionis Virginis intemeratæ erat propter conceptionem Filij Dei, necessè erat convenire deberent principium, quod est beata Virgo, & medium, quod est conceptam esse absque peccato originali cum fine, qui est incarnatio Filij Dei in Virgine gloriosa. Et quemadmodum, cum primùm verbum caro factum est, Deus dedit materiæ Christi omnes perfectiones, quas ejus materia capere poterat, nec expectandam fuisse purgationem originalis peccati. Quod si mihi obijciatur propositionem meam esse falsam, utpote corpus Christi in sua conceptione non omnes perfectiones habuisse, cum in sua resurrectione fuerit glorificatum; verumtamen cum Divinitus esset ei unita & glorificationem quodam modo colligatam haberet non sciebat Corpus Christi operari in vita res glorificati, cum futurum esset passibile & mortale. Quemadmodum si quis puerum forti manu tenens eum non permittat facere quod velit. Sed bene cogente necessitate Corpus Christi faciebat opera corporis glorificati, prout in ejus nativitate conspiciamus eum prodiisse ex utero Virgineo absque corruptione Virginis incorruptæ. Habent enim hoc præcipuum corpora glorificata, ut suâ subtilitate transeant per parietem sine illius corruptione; ejus rei exemplum esse potest. Quod Christus post resurrectionem suam ingressus est domum ubi erant ejus discipuli januis clausis. Præterea in Transfiguratione usus est corpore glorificato. Et eo tempore, quo Judæi volebant eum lapidare, exiit è templo illis non videntibus. Ad confirmationem autem nostræ rationis, quòd non reperiat apud aliquem Evangelistarum mentio de glorificatione Christi in ejus resurrectione, ob idque consequens esse gloriosam Virginem in instanti suæ conceptionis fuisse absque peccato originali, dico in conceptione ejus materiam habuisse omnes perfectiones quas habitura erat, cumque ei anima infusa est

adeptam fuisse omnes perfectiones in actu, quæ in anima reperiri possent, prout sunt Scientia, Sapientia, Intelligentia & Prophetia, & quæcunque animæ attribui possunt. Cùm autem Dei Filius in ea incarnandus venit, in gradum altissimum conscendit, quippe quod Filius Dei reliquit ei totius orbis regimen & gubernationem, fecitque ut esset Domina & Regina Cælorum & Angelorum, tantaque est ejus perfectio, ut quæcunque tribuimus Deo, excellentissimè Virgini attribuamus. Adò ut nihil ei desit nisi quod non sit Christus, quemadmodum à nobis postea declarabitur melius ex operationibus artificialibus; & hoc duobus modis. Primò ex Crystallo & Vitro quæ sunt diaphana & lucida confecta que ex tribus materialibus & terrestribus, arenâ, cinere & terra vitra quæ quanto nigriorem terram sortiuntur, tantò fiunt lucidiora. Quoniam autem illa materialia sunt apta recipere hujusmodi claritatem, non obstante quod sint obscura; illam recipiunt quam aliud materiale non admittit. Ergo si in rebus artificialibus homo, qui est causa efficiens, materiales producit ad eum gradum perfectionis ut ex obscuris faciat Diaphanas & claras, quanto magis natura, cujus perfectiores debent esse operationes, quippe quòd res Artificiales non possunt esse ita perfectæ ut naturales, quia si ita esset, Dij essemus: Hoc autem falsum est. Restat res artificiales ita perfectas esse non posse ut naturales. Ergo ex quo materia Immaculatæ Virginis apta erat illam recipere claritatem, rationi congruit, quòd natura ei dederit ejusmodi perfectionem ut conciperetur absque peccato originali. Secundum modum probabimus ex Virga Jacob quando custodiebat oves Laban quæ virgæ erant albæ & nigre. Ex natura autem albarum est edere Agnos albos, & nigrarum nigros. Jacob verò mediantibus virgis pictis, quas in canalibus collocabat tempore conceptionis efficiebat ut respicientes oves in illas & phantasiam illis adhibentes, secundum picturam illarum agnos conciperent. Quare volens convertere naturam albarum ut parerent Agnos nigros, virgas obijciebat, & similiter objectione virgarum facere maculosos poterat pro arbitrio. Præterea extat exemplum duorum conjugum, qui cum albi essent liberos nigros ut ethiopes edebant. Id autem accidebat ob peris tromma circa lectum depictum figuris ethiopum in quod intuens mulier dum patraret venerem & imaginationem imprimeret, ejusmodi filios procreabat. Ex hoc sequitur ut postquam regula naturæ est facere operationes suas & potius adhærere perfectioni quam imperfectioni.

Albi autem generant nigros, cum potius nigri albos deberent. Arguo quod ex quo operationes Artificiales ob phantasmam & imaginationem causæ efficientis adeo potentem naturam mutare faciunt, quanto magis id in Conceptione gloriosissimæ Virginis dicemus. Sanctus enim Joachim, & Sancta Anna, qui erant causa efficiens, cum dixerat Angelus die superiori eos generaturos creaturam, quæ in servitijs Dei viveret, à Deo vehementem phantasmam habuerunt volentes animo quinam futuri essent adeo felices, ut Matrem Messiam generarent tam perfectam & magnam Dominam, quod licet materia illa procederet ex materia tetra atque tenebrosa, ob eorum tamen vehementem imaginationem reddita sit clara, diaphana, mundaque à peccato originali ex operationibus divinis. Hoc autem probabimus duodecim modis. In primo respondebimus dicentibus Deum nolle tollere regulam & ordinem naturæ; ubi dico, verum id esse, tamen hoc non intelligi omni ex parte, sed particulariter. Nam propriè id facit Deus exigente necessitate prout diversis in locis extat. Et primò dico, quod non est Regula naturæ ut arbor cæsa & sicca possit producere flores, folia & fructus. Aaron autem virga id fecit. Tertio ex cursu naturæ non est ut arbor neque viridis neque sicca habeat animam sensitivam. Virga autem Moylis serpens effecta est. Quarto ex ordine naturæ non est possibile alicui bruto loqui atque differere. Asinus autem Balaam cum eo disputavit. Quinimò ex cursu naturæ Prophetia non reperitur nisi in genere humano, nec aliquod brutum potest vaticinari. Nos verò legimus Deum cum cetè Jonæ locutum. Sexto ex Regula naturæ non est possibile rotam Cælorum cessare posse à motu tuo circulari; Josuè vero in bello Gabaon Sol in medio Cæli sese opposuit, stetitque immobilis per diem solidum. Nam cum Sol pervenit ad noctem & occidit, duo integri dies transferant. Septimò ex ordine naturæ impossibile est, ut rotæ Cæli, quæ faciunt motum ab oriente in occidentem, retrogradientur. Ezechia verò Sol retrocessit gradibus decem ejus itineris quod confecerat. Octavò, ex cursu naturæ impossibile est ut leo cesset à feritate sua occidendi, præcipuè cum est famelicus. Danieli autem, cum in lacum leonum projectus est, non obsuerunt. Nam cum Rex Nabuchodonosor descendit ut videret quonam pacto se habebat; existimans eum jam devoratum, inquit: Daniel quomodo te habes? Respondit ille: *Deus meus misit ad me Angelum suum qui clausit ora leonum & mihi nutrimento non fuit.* Statim Rex illum extrahi jussit & in puteum

pureum demitti accusatores, qui, ut refert textus, antequam ad fundum pervenerint in mille frustra di cerpti fuerunt. Nonò ex regula naturæ ignis urit & devorat; sed Ananiæ, Misaeli, & Azariæ in fornacem ardentissimam projectis non potuit officere, nec pilo quidem vestimentorum nocuit, quippe quod Deus abstulit ab igne calorem, & ejus ardorem convertit in frigiditatem. Verùm est quòd Doctores Hebræi videntes omnia ista, quæ sunt contra naturam, hanc afferunt rationem: Deum postquam mundum creavit dedisse naturæ facultatem, ut operaretur in hoc orbe secundum ordinem ab ipso Deo naturatum; nec se illi contradicturum fuisse pollicitum, nisi hæc conditione, quòd exigente necessitate ipse volebat posse facere quicquid sibi videretur, etiam quod est contra ipsam naturam; & de hoc naturam conqueri non posse contra se fieri ex quo Deus illi conditionaliter vires tribuisset. Decimò, ex cursu naturæ postquam Deus creavit Adam, & etiam sine conjunctione viri & mulieris, dedit naturæ regulam & ordinem, ne posset generari homo sine semine viri & mulieris. Postea verò reperimus incarnationem Filij Dei, & postea verbum caro factum. Ex his rationibus sequitur Deum nolle abrogare ordinem naturæ in genere & omni ex parte; verumtamen particulariter & exigente necessitate, id facit, ut diximus, nec ob particularitatem dici potest rumpere regulam ipsius naturæ, vel si dicere voluerimus secundum Doctores Hebræos fuisse ob specialem conditionem multò minus dicitur esse contra naturam. Ergo cum beata Virgo esset sola creatura ab homine & muliere concepta factaque absque peccato originali non potest dici fuisse contra naturam, sed erit tanquam una ex rebus prædictis.

Secundus modus: Certum est Deo non posse attribui avaritiam, & tenacitatem cum ipse videns aliquid creatum aptum & habile recipere aliquam perfectionem, det ei quantum ejus subjectum capere potest. Verbi gratiã: Deus cum mundum creavit dedit unicuique generi tantum perfectionis quantum ejus subjectum recipere poterat; Nam si subjectum asini potuisset recipere subjectum equi, leonis atque etiam hominis, certè illi dedisset, sed, cum non esset aptum, non dedit. Quod cum ita sit, sequitur Deum fecisse gloriosam Virginem absque peccato originali, ex quo ita erat ejus subjectum; quod si non, fuisset avarus, & tenax, hoc autem quia falsum est, sequitur conceptam fuisse absque peccato originali.

Tertius modus: Certum est principium cogitationis esse operis
finem,

finem, quo fit ut cum principium cogitationis divinæ fuerit mundare, & purificare B. Virginem à peccato originali, quod fuit decentius eam fecisse mundam, & sine peccato, quam cum peccato, & postea mundasse. Nam si ita non fuisset, operationes divinæ assimilarentur humanis variis, & inconstantibus: Hoc autem falsum est: igitur fecit eam Deus absque peccato originali.

Quartus modus: Infitus est appetitus quidam à natura unicuique homini, ut ejus mater sit perfectior in omnibus perfectionibus, & hoc, quia ex suo sanguine purissimo est generatio creaturæ; quod si mater ejus ex materia munda, & optima constabit, ejus filius ex eadem materiâ consuetur, & è converso, idcirco cupit ejus perfectionem, oditque imperfectionem: si ergo Christus, qui amat virtutes & perfectiones, oditque vitia, peccata, & imperfectiones, non optasset matrem suam futuram nobiliorem, perfectioremque in bonitate, justitia, & sanctitate, reliquisque perfectionibus, profectò fuisset inordinatus in voluntate & appetitu, quippe quod desiderium suum potius in rebus vilibus & imperfectis inclinasset quam nobilioribus & perfectioribus. Præterea sequeretur eum viliozem habuisse appetitum quam aliam creaturam, cum voluisset suam materiam & humanitatē esse imperfectam: Hoc autem manifestè falsum est, & contra omnem rationem, cum Deus sit perfectus in extrema perfectione; ex natura verò perfecti est amare perfecta potius quam imperfecta; debebat igitur cupere & facere matrem perfectam & absque peccato originali, ergo. &c.

Quintus modus: Certum est quod Deus ante creationem mundi & nostri patris Adæ sciebat eum peccaturum, & quod pro redemptione ejus peccati erat incarnandus; ex quo sequitur, quod si in muliere facta in peccato originali Deus deliberasset incarnari Deum fuisse causam peccati & Adam coactum fuisse, ademptumque ei liberum arbitrium. Id si esset Adam non meruisset penam & culpam, ex his autem sequerentur multa inconvenientia, & falsitates; ergo concepta fuit absque peccato originali.

Sextus, Principium generis humani fuit Adam, & finis ipsius fuit Christus, cujus amore creatum est genus humanum; ut autem conveniunt inter se medium principium & finis, sequitur ut quemadmodum Adam, qui est principium, & Christus, qui est finis facti sunt absque peccato originali, medium quod est intemerata Virgo fuerit concepta absque peccato originali. Præterea sequitur, quemadmo-

dum Eva fuit una caro cum Adam primumque medium pro conseruatione humani generis facta absque peccato originali, sic & intemperatam Virginem, quæ est ultimum medium pro salute animarum & una caro cum Christo, qui est finis, conceptam fuisse absque peccato originali; alioquin principium, & primum medium cum ultimo medio & fine non conuenirent, quod est in conueniens, sequitur ergo quod fuit absque peccato originali concepta.

Septimus: Notum est quod quicumque potentissimus Rex volens erigere sibi regiam vel basilicam in honorem Dei Opt. Max. quarrit, & parat necessaria ædificio perfectiora & excellentiora, quam reperiri possint. Ei autem ob potentiam suam illa deesse non possunt, quemadmodum legimus de rege Salomone, qui ob excellentiam templi, quod construxit in Dei obsequium, voluit ne in opere fabrilis & excidendis lapidibus malleis, aut aliquod genus ferrei instrumenti adhiberetur, nec eorum quidem sonus audiretur, sed reperit vermem nomine Zamir, quo super lapidem imposito, dum per eum incederet, illicò frangebatur: Et hoc in figuram quod in ædificio templi, quo Filius Dei incarnandus erat, & in tabernaculo, in quo Deus ostendit claritatem suam, & sanctitatem, non posset deficere materia tantæ perfectionis ad id construendum, nec opus esse! ut adhiberetur in excidendis lapidibus, hoc est in conceptione intemperatæ Virginis, ferrum aliquod, quod peccatum originale significat, & est ita robustum ut ferrum, Huius rei ratio est quod unum peccatum non potest cum altero sanari nisi cum re simplici, minima, & quodammodo verme. Ideirco reperit Zamir, id est Christum, qui vermi assimilatur & ita à Palmista vocatur: *Ego sum vermis & non homo.* Incidit autem beatam Virginem sine ferro, hoc est, absque aliquo peccato; & ut in ædificio templi ne sonus quidem ferri extabat, ita in ædificio & conceptione inelytæ Virginis vox & fama peccati originalis reperiri non debet, quod si Deo deficeret materia sanctissima ad ejus conceptionem, esset in maximo defectu, minori-que gradu, quam Rex Salomon, hoc autem falsum est; ergo concepta fuit absque peccato originali.

Octavus: Adam & Eva in principio suæ creationis fuerunt à peccato immaunes; diuus Ioannes Baptista, & Hieremias in principio quidem immundi fuere, sed in medio, & fine purgati; diuus Petrus & Paulus immundi fuere in principio, & parte medij, sed in altera parte medij, & fine mundati, si autem dicimus immaculatam Virginem

nem fuisse conceptam in peccato originali, eamque non fuisse in principio, medio, & fine mundam, non diceretur Virgo singularis: Hoc autem falsum est: ergo concepta fuit absque peccato originali. Item Virgo singularis intelligitur in præminencia bonitatis & iustitiæ & virtutis pro toto ejus subjecto, Hoc est, in principio, medio & fine. Si verò dicamus eam fuisse conceptam in peccato, & postea sanctificatam, non fuisset virgo singularis, quandoquidem Hieremias & Ioannes Baptista fuerunt sanctificati post conceptionem, ergo ut singularis sit necesse est conceptam fuisse absque peccato originali, esseque sublimiorem alijs in principio, medio, & fine. Præterea certum est perfectiorem, nobilioremque esse rem, in quam nunquam cecidit aliqua macula aut sordes, quam ea, in quam prius fuit macula, & postea purgata est: quemadmodum homo qui nunquam peccavit, præstantior est peccatore reconciliato; Nam si perfectior vel in pari perfectione esset peccator reconciliatus, & ille qui nunquam peccavit, Deus gloriosam Virginem in statu gratiæ non confirmasset, & cum immaculata Virgo singularis dicatur, consequens est præstantiorem esse Hieremiã & Ioanne Baptistã, qui in peccatis concepti fuere, & postea emundati. Ipsa verò nullam particulam in peccato sortita est. Hanc autem gratiam & excellentiam, quam supra eos adepta est excellentior fuit ipsis in merito, cum filij Hieremiæ fuerint passibiles, & mortales, & itidem ipse Hieremias & divus Ioannes Baptista, cum à peccato originali non essent immunes. Gloriosa verò Virgo & ejus Filius, cum ab eo essent pœnitus alieni, meritò impassibiles & immortales esse debebant, sed quia ob redemptionem humanam erat necessaria mors & Passio Christi, quippe quod sine ea divina iustitia ignoscere nolebat, fuit Christus passibilis & mortalis. Gloriosa itidem Virgo, cum generatura esset filium passibilem & mortalem, ab impassibili autem & immortalis non potest procedere naturaliter per generationem passibilis & mortalis, ideo tam mater, quàm filius mortui sunt. Verumtamen in rebus contingentibus ob peccatum Adæ & non necessariis Christi Passioni, cum beata Virgo à peccato originali esset immunis, ab iis liberata fuit, prout est parere sine dolore, quod quidem Evæ pro maledictione datum fuit, inelyta enim Virgo peperit Christum sine dolore. Item menstrua mulierum & infirmitates quæ ex peccato proveniunt, gloriosa Virgo non habuit, ut à nobis probabitur, & quia sicut mors & passio Christi & intactæ Virginis fuit contra rationem ob redemptionem generis hu-

mani, ut diximus, ita resurrectio Christi, non obstante quòd esset necessaria ad fidei catholicæ confirmationem, necessario esse debebat, ex quo à peccato originali erat immunis, eâdemque ratione gloriosa Virgo statim ut mortua est, resurrexit & unâ cû filio in cœlum empyreum sublata est. Quas prærogativas non sunt adepti Jeremias, nec Joannes Baptista, cum peccati originalis expertes non essent, quamquam in utero matris sanctificati. Propter quæ quidem duo corpora scilicet Christi & immaculatæ Virginis cecinit psalmista, *Exurge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ*, sequitur ergo beatam Virginem conceptam fuisse absque peccato originali.

Nonus: Arguunt contra nos, & ajunt Christum dictum esse redemptorem universalem; præterea Salvatorem prout ipsa Virgo canebat: *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*, quod cum ita sit, necessè erat gloriosam Virginem conceptam esse cum peccato, & postea redemptam, atque salvatam, quod si non, nõ diceretur Christus redemptor universalis, nec salvator. His respondebimus propositionem istam pace suâ, non esse veram, quippe quod ita diceretur redemptor, & salvator ille qui hominem custodit ne captivus fiat, ut ille, qui liberat à captivitate; quemadmodum medicus dicitur, qui dat regulam, & ordinem homini, ut sanitatem conservet, & in ægitudine non decidat ut dicatur medicus, qui ægrotantem sanat. Idcirco Avicenna in definitione medicinæ ait: *Medicina est scientia, quâ humani corporis dispositiones noscuntur ex parte, quâ sanatur vel ab ea removetur, ut habita sanitas conservetur, & amissa recuperetur.* Eâdem quoque ratione dico ita redemptorem & salvatorem illum appellandum, qui prohibet, ne in peccatum decidatur, quam qui postea redimit, si enim id non esset, minus diceretur redemptor propurgatione peccati. Ratio est quia Deus misericordiâ & potentiâ absoluta poterat ignoscere Adæ peccatum: verumtamen justitia prohibebat, quippe quod ubi mors est, mors solvere debet; ob idque necesse erat verum Messiam Deum & hominem esse debere, cum homo, quatenus purus homo, non sufficeret. Hujus autem ratio est, quod quemadmodum peccatum Adæ commissum fuit ab homine, qui erat pater universalis totius orbis, necesse erat ut redemptor esset, itidem pater universalis: homo autem quatenus purus homo non erat sufficiens, quia generationes ante eum factas, quæ ab ipso non procedebant, non poterat redimere, utpote quod necesse erat Redemptorem

torem esse Deum, & hominem: hominem, ut esset crucifixus, Deum, ut esset pater universalis orbis, & ob id conjuncta sunt misericordia & justitia: Misericordia, ut Deus mitteret filium suum incarnandum: Justitia verò, ut humanitas pateretur, sequitur veram redemptionem esse passionem. quamobrem immaculata Virgo non redempta fuisset usque ad passionem, hinc autem sequerentur multa inconvenientia. Primò, nostram Matrem gloriosissimam Dominam esse in peccato originali, & extra justitiam originalem, usque ad passionem. Secundò, Christum incarnatum fuisse carne infectâ; hoc verò totum falsum est, ergo dicitur redemptor atque salvator. Ad confirmationem autem nostræ rationis afferimus exodi cap. 14. *Liberabitque Dominus in die Israël de manu Ægyptiorum*, & quamvis divus Hieronymus dixerit, liberabit: Hebraus tamen habet, salvabit, quod significat custodiet ne in manus Ægyptiorum perveniant.

Decimò: Angelus Gabriel eam salutavit, *Ave gratia plena*, Plenitudini convenit ut sit per totam essentiam subjecti quia si ita non esset, nunquam plena esset, essentia verò subjecti divisa est in principium, medium, & finem, sequitur gloriosam Virginem plenam fuisse gratiâ in principio, medio, & fine, ergo concepta fuit absque peccato originali.

Undecimò: extat dictum Philosophi. O quam pulchra sunt verba, cum prodeunt ex ore illius, qui observat, & facit, quod dicit. Idcirco præcepit nobis Deus in decem præceptis, [inquiens, *honora Patrem suum, & Matrem tuam*, consequens est eum honorare debuisse] matrem suam, eamque fecisse absque peccato originali. Nempe grandis honor fuisset omnipotenti Deo, ut Eva, quam sciebat totum orbem pessundaturam ex digniori materia facta fuisset, cum facta fuerit absque peccato originali. Mater verò Dei, quæ totum mundum liberatura erat, facta fuisset ex materia viliori, dum in peccato originali, conciperetur.

Duodecimò: Aut Deus potens erat facere Matrem absque peccato originali aut non, si dixerimus non potuisse, falsum est: quippe quod potentia divina defectum adscriberemus, si verò dixerimus potuisse, tamen facere noluisse, eodem modo ei defectum attribuere-mus eo quod poterat honorare matrem suam, & noluit. Præterea dicit Philosophus, frustra est potentia, quæ non redigitur ad actum, frustra igitur fuisset potentia divina, si matrem suam absque peccato originali non fecisset.

His omnibus rationibus, clarè ostenditur immaculatam Virginem conceptam fuisse absque peccato originali. Verumtamen contra hanc nostram opinionem arguitur ex auctoritate divi Augustini de fide ad Petrum ita dicentis, sanè firmissimè credas & nullatenus dubites, quod omne quod nascitur ex concubitu viri & mulieris, cum peccato nascitur, Virgo autem immaculata facta est cum conjunctione verissima sancti Joachim & sanctæ Annæ, ut quælibet creatura, peccatumque originale admixtum est voluptati, ergo B. Virgo concepta fuit in peccato originali.

Respondeo. Certum est majus privare minus: patet experientiâ cognoscimus Solem privare claritatem Lunæ, & candelæ. Item videmus sensum majorem privare minorem: igitur homo, qui omnem cogitationem & phantasiam vehementer in unam rem collocat vel studendo vel speculando, sensum minorem amittit, nam transibit quispiam coram eo & non videbit, alloquetur & non audiet: itidem ad propositum, fateor equidem sanctum Joachim, & sanctam Annam se conjugaliter copulasse, verumtamen tam ardentem fuisse devotionem & contemplationem, quâ uterque unanimiter tenebatur, quod in conceptione B. Virginis peccatum originale poenitus extinctum sit. Cum enim testamentum vêtus eos à templo tamquam profanos expelleret, qui steriles essent, & Anna & Joachim quod filios jam senes non procreassent, cum increpatione à sacerdotibus expulsi fuerint, mœsti Deum & supplices rogaverunt, ut eis concederet sobolem ad ejus servitia aliquam procreare; quorum exauditis precibus apparuit Angelus utrique nuntians eos creaturam in Dei servitium, & laudem generaturos. Itaque dico quod Angeli nuntiatione auditâ tantâ devotione se conjunxerunt, quod Virginem gloriosam generaverunt absque effugata, & corporis voluptate, quâ privati fuere ob vehementem delectationem spiritualem. Quod autem veræ sint ambæ propositiones à nobis factæ similiter immaculatam Virginem à sanctis Joachim, & Anna conceptam fuisse absque carnali desiderio, & eorum devotionem contemplationemque ardentissimam exitisse probabimus primùm ratione & autoritate tantum, deinde autoritate.

Quantum ad primam propositionem ratione sic. Principium generis humani fuit Adam, & finis ipsius fuit Christus, cujus amore creatum est genus humanum, ut autem conveniunt inter se medium, principium, & finis, sequitur ut quemadmodum Adam, qui est principium, & Christus, qui est finis, facti sunt absque libidine, ita etiam
inteme-

intemeratam Virginem quæ est medium absque voluptate corporea fuisse conceptam. Præterea quemadmodum Eva, quæ fuit una caro cum Adam primumque medium pro conversatione humani generis producta est absque libidine, ita etiam sequitur gloriosam Virginem, quæ est ultimum medium pro salute animarum & una caro cum Christo, qui est finis, absque libidine fuisse conceptam.

Auctoritate probabimus, dicto divi Hieronymi in legenda Virginis gloriosæ. Ego sum Angelus Domini missus ad te ut annuntiem tibi preces tuas exauditas esse, & eleemosynas in conspectum Domini ascendisse, vidi enim pudorem tuum, & audivi sterilitatem, & opprobrium non rectè tibi objectum, peccati quippe, non naturæ ultor est Deus, & ideo cum alicujus uterum claudit, ad hoc facit, ut mirabilius denuò aperiat, ut non libidinis esset quod nascitur, sed divini muneris fore cognoscitur.

Quoad secundam propositionem. Idem Hieronymus ait, igitur juxta Angeli præceptum, ambo sibi invicem obviantes de mutua visione lætati & de prole promissa securi, adorato Domino domum redierunt, divinum promissum hilariter expectantes, Anna concepit.

His rationibus sequitur, quod ex quo intemerata Virgo fuit concepta absque concupiscentia, & effrænata libidine, quod fuerit etiam concepta sine peccato originali: quoniam libido fuit causa peccati Adæ, ut statim probabimus, & hæc ratio erit.

Decimus tertius modus: Dico autem Adam (adhærendo vitiis mundanis, & carnalibus concupiscentiis, ut apparet ex textu Genesis cap. 3. *Et vidit mulier quod bona esse arbor ad vescendum, & delectabilis oculis, se implese superbiâ & inobedientiâ, transgressumque fuisse Dei præceptum, eoque modo carnem suam infecisse, ut omnes ab eo descendentes concepti fuerint cum eadem superbia & inobediencia, quæ est omnium peccatorum origo, ideoque dicitur peccatum originale. Item creati sunt cum libidine effrænata, & voluptate, ideo, ut voluntatem suam perficerent ejus filij inclinati sunt & obnoxij ad peccandum, & transgrediendum Dei præceptum. Hoc autem patet ad sensum, quippe quod cum homo est in appetitu effrænatae libidinis membrum genitale adeo superbit, & pergit perficere voluptatem operatam, quod & propositâ morte non desineret, quod non est in aliquo aliorum membrorum; Nam si quis ad furtum accedere noluerit, pedes cessabunt à gressu & manus à rapina, eruntque obedi-*

dientes hominis voluntati. Quod si Adam non peccasset, ejus filii sine libidine effrænata procreati fuissent, quippe quod remota causa quæ est libido, removeretur causatum, quod est peccatum. Quod probatur ex Magistro Sentent. lib. 2. dist. 19. ita respondente. Ad quod dicendum quod si non peccassent primi homines sine omni peccato, & macula in Paradiso carnali copulâ convenissent, & esset ibi thorus immaculatus & mixio sine concupiscentia, atque genitalibus membris sicut cæteris imperarent, ut ibi nullum motum illicitum sentirent, & sicut alia membra corporis aliis admovemus ut manum capiti sine ardore libidinis, ita genitalibus uterentur membris sine aliquo pruritu carnis, hæc enim lethalis ægritudo membris humanis ex peccato inhæsit. Genuissent itaque filios in paradiso per coitum immaculatum, & sine corruptione. Unde Augustinus super genes. Cur non credamus primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuisse, sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu utuntur? Incredibile enim nõ est Deum talia fecisse illa corpora, ut si non peccassent, illis membris sicut pedibus imperarent, nec cum ardore seminarent vel cum dolore parerent, sed post peccatum motum illum meruerunt, quem nupti ordinant, continentia cohibet, infirmitas enim prona in ruinam turpitudinis excipitur honestate nuptiali, ut quod sanis offendiculû esset, ægrotis est remedium. Hac ratione colligitur intemeratam Virginem conceptam fuisse absque peccato originali. Sed si mihi objiciatur, quod si quis homo generaret absque libidine id conceptum esset absque peccato originali. Respondeo quod cum materia ob infectionem Adæ prona sit in peccatum naturaliter non esset possibile generari absque peccato, tamen gloriosa Virgo hoc assecuta est gratiâ, non naturâ. Puritas autem quam supra diximus, similiter rationabilius fuisse Deum mundasse materiam, dum erat materia efficientis, antequam fieret materia patientis, fuit ista: quod Deus abstulit ab sancto Joachim voluptatem effrænata, generavitque immaculatam Virginem eo quidem modo, ut si Adam non peccasset, generasset filios ut diximus. Quæ cum ita sint, restat dictum divi Augustini verum quidem esse, quatenus omnes homines à viro & muliere concepti cum libidine & voluptate corporis, non sunt expertes peccati originalis, sed nostrum dictum verius esse, quatenus concepta fuit absque libidine affrænata, & voluptate corporea, idque pervenisse gratiâ, & voluntate divinâ, cum gloriosa Virgo futura esset ejus tabernaculum,

naculum, & ex prætiosissimo sanguine conceptura Christi corpus: ideoque necesse erat ut esset perfectior, quam in orbe reperiri posset, factave sine peccato originali. Cui etiam opinioni idem Augustinus ad stipulatur dictis suis in lib. de Hæresibus inquit. Si potuit inquinari mater mea, cum eam facerem, potui inquinari, cum ex ea nascerer. Ex hoc sequitur, ego non fui contaminatus ab ipsa, ergo ipsa non fuit contaminata. Item in lib. de Nat. & grat. exceptâ Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo facere quæstionem. Item in serm. ad heremitas sic dicit. Igitur in Cælo, qualis est Pater, talis est Filius: sic & in terra, qualis est Mater, talis secundum carnem est filius. In Cælo cum patre immensus, æternus: in terra eum matre mansuetus & immaculatus. Item in eodem Serm. Beata inquit MARIA fuit in utero matris omni sanctitate repleta, ut de mundissima matre, mundissimus filius nasceretur. Item S. Dominicus in quodam suo sermone sic ait. Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine & immaculata formatus, ita decuit in secundo Adam, id est Christo ex immaculata Virgine. Item sancta Mater Ecclesia canit, beata Virgo fuit semper intacta, semper incorrupta, semper immaculata. Hoc autem non solum ex Prophetis & sacris Theologis ostenditur sed Mahometes infidelis in suo Alcorano ita inquit. Non est in filiis hominum, quem non tetigerit sathan excepto Christo & sanctâ MARIA. Item abumiasfar alpharati in lib. qui inscribitur inductorius major in 6. lib. differentiâ primâ ita ait. Virgo in duorum corporum, suntque ei tres facies & ascendit in prima facie illius puellæ quam vocamus Helgius dorastat, id est Virgo pulchrâ facie, immaculata in conceptione, prolixi capilli habens in manu sua duas spicas, & ipsa sedet super sedem stratum & nutrit puerum, dans ei ad comedendum jus in loco, qui vocatur embrio, & vocant ipsum quidam gentium Iesum, cuius interpretatio arabicè est hyce. Et ascendit cum ea stilla Virginis, quæ est posterior serpentis. Probavimus his omnibus rationibus gloriosam Virginem conceptam fuisse absque peccato originali.

P A R S T E R T I A.

*Ad probandum ex Prophetiis quonam pacto Beata Virgo
concepta fuerit absque peccato originali & hoc sep-
tem testimoniis, sex Prophetarum, &
uno Evangelistæ.*

P R I M U M Testimonium est Moyſi Levit. cap. 12. *Mulier, quæ susce-
perit semen, & pepererit masculum, immunda erit, quod cum ita sit,
quod nulla mulier naturaliter possit parere sine semine virili, textus
autem dicat, mulier, quæ susceperit semen, & pepererit masculum,
sequitur ut beata Virgo, quæ pepererit masculum sine semine recepto,
Verbum enim caro factum est, munda fuerit ab omni peccato, actuali,
mentali, & originali. Probatur autem hunc textum specialiter loqui
propter peccatum originale, quippe quod mulier, cum masculum
pariebat, erat immunda quadraginta diebus; cum verò fœminam,
octoginta, isque numerus in tempore, quo mulier creaturam orga-
nizat, ideo præcipit lex, ut mulier sit immunda, nec templum Dei in-
grediatur quanto tempore in organizanda creatura morata est facta in
peccato originali. Si autem mihi obijciatur cur hodie hoc præcep-
tum non observetur, nam mulier postquam peperit, statim accedit
ad templum Dei. Resp. mulierẽ hæc tempora observare in Testamento
veteri esse ob id, quod Deus volebat eam extra templum & gratiam
Dei degere tantundem temporis, quantum ipsa in organizatione
illius corporis immorata est quod condemnavit animam mundam, &
à Deo creatam. Verumtamen postquam venit verus redemptor, qui
sanctum Baptisma præcepit, quo efficitur anima pura, & innocens,
rationi congruum est, ut postquam mulier recepit Reparationem
animæ ad salvationem per Baptismum, statim creatura Baptizata ad
Dei templum accedere potuerit, etsi abstinere debebat. Non solum
autem immaculata Virgo fuit munda & absque peccato originali
concepta, sed nec alia immunditia ei tribui potest cum præcipue ra-
tio postulet ut ipsa extra regulam mulierum de menstruo fuerit.
Hoc probabimus quinque rationibus. Quoad primam rationem dico
intemeratam Virginem fuisse adeo proportionatam, beneque com-
plexionatam ut mensuris caruerit. Sanè Avicenna, & cæteri naturales
scribunt*

seribunt causam menstruorum in muliere esse superfluitatem materiæ; ut autem natura eam expellat, invenit menstruationis viam. Gloriosa autem Virgo adedò munda erat ut hujus maculæ poenitus expers fuerit. Secunda. Certum est mulierem, cum menstrua paritur, dici pollutam, Levitic. cap. 18. *Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes.* Ita transtulit divus Hieronymus ob brevitatem, verùm Hebraeus habet: *Ad mulierem in pollutione menstruationis suæ non accedas.* Quod si diceremus gloriosam Virginem menstrua passam, sequeretur eam fuisse pollutam, sed hoc falsum est, & absit ut in hunc errorem incidamus, maximè cum Rex Salomon Cant. cap. 4. ita vociferetur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Tertia. Tamen si poneremus quod menstrua passa fuisset dicimus tamen ob afflictum ejus studium quod nimis corpus debilitat, ac etiam ieiunia multa, quæ ipsa faciebat, potuisse facillè adimi & destrui omnes superfluitates. Quarta. Deus præcepit in decem mandatis, honora Patrem tuum & Matrem tuam, ratione consonum est Christum honorasse matrem, ut hujusmodi defectum nō pateretur, præcipuè cum mulier menstruosa ægrotet, & undique doleat; ideo dicere debemus Dominum orbis fecisse Matrem suam absque illo defectu, & idcirco nusquam repetitur gloriosam Virginem ægrotasse, nec aliquo laborasse dolore. Quinta. Jam diximus mulierem menstruosam ægrotare; omnes autem ægrotudines proveniunt ex peccato nostri primi parentis; Nam antequam is peccasset, in contemplatione versabatur & fruitione rerum æternarum, & hæc erat arbor vitæ in Paradiso sita, sed quia contemplationem reliquit, adhæsitque vitis mundanis, & concupiscentiis carnalibus, in ægrotudines incidit, & in mortem, ideoque morimur, & hæc est arbor scientiæ boni & mali, quæ est causa mortis, ut refert textus Genes. cap. 2. *Quæ enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc autem apparet ex homine composito ex quatuor elementis, à quibus quatuor humores procedunt. Vicia autem humana eisi sunt multiplicia, in quatuor tamen species recidunt. Prima quidem in cibo & potu consistit: Secunda in coitu: Tertia in gubernatione civitatis: Quarta in augmento divitiarum. Ex cibo, & potu certum est generari humores unicuique peculiare, utpote phlegmatico phlegma, colerico coleram, melancolico melancoliam, & sanguineo sanguinem: eadem ratione venerem sectanti, cum voluerit appetitum explere, augetur calor, & si re optata fraudetur, melancolia multiplicatur, atque ita de reliquis humoribus; Unde fit ut à

complexio-

complexione sua egrediatur, augeatque unum humorem supra alterum, qui propter excessum ægritudinem efficiunt, fitque deinde elementorum divisio, & dissolutio animæ, quæ mors appellatur. Ex quo sequitur Adam vitia sectatus ut infirmitatem & mortem incurreret. Gloriosa autem Virgo cum concepta fuerit absque peccato originali nunquam ægrotavit nec menstrua passa fuit, & ob id peperit Christum absque dolore.

Secundum Testimonium est Isaia cap. 61. dicentis: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, qui induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me.* Hic Propheta nomine Virginis laudem Deo faciebat, ut ipsa dicebat, *Magnificat anima mea Dominum & exultavit Spiritus meus in Deo salvatori meo.* Ideo dicebat, gaudens gaudebo in Domino, id est Adonai, qui Deum Patrem significat, & exultavit anima mea in Deo meo, qui dicitur Eloim qui filium significat, ut extat ex authoritate Rabbi Symeonis filij Johai in Zochar super Text. Deuteron. cap. 11. *Audi Israël Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Audi Israël, ait Rabbi Hibba, hic est Israël antiquus: Adonay, id est, Dominus principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus omnium radicum, perfectio rerum omnium, & dicitur Pater: Elohenu, id est, Deus noster, profunditas omnium fluminum, & fons scientiarum, quæ procedunt à Patre, & Filius vocatur. Ait Rabbi Symeon, hoc secretum filij non revelabitur unicuique quousque veniat Messias, ut refert Isaïas cap. 11. quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut a quæ maris operientes. Adonay, id est Dominus, hic est Spiritus Sanctus, qui procedit à duobus & mensura vocum appellatur, unus est, ut concludat unum cum altero, & jungat; nec dividi possunt, ideo ait textus, Audi Israël nam audi hebraicè dicitur semah, quod est æquivocum, significatque audi, & congrega, innuitque congrega Israël Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eumque fac unum Deum, totus fuit, totusque est, & totus erit, non mutatus est, nec mutabitur. Notandum autem est quod dicit Spiritum Sanctum mensuram vocum appellari, esse ob id, quod Spiritus sancti prophetia mensura quadam venit ad Prophetam, & semen ejus dispositionem. Ad propositum revertentes inviolata Virgo dicebat, gaudens gaudebo in Domino, qui est Pater, & exultabit anima mea in Deo meo, qui est filius, quoniam fecit mihi duplicem gratiam, unam quidem, quia induit me vestimento salutis, quod est conceptam fuisse absque peccato originali, alteram, & indumento

justitiæ

justitiæ circumdedit me, id est, clamide justitiæ originalis; dicit autem circumdedit, quoniam omnia membra Virginis à vertice capitis ad unguis pedum & omnes sensus, cogitatio, & spiritus obediebant animæ gubernationi, usque adeo ut ejus oculi nunquam inhonestum aliquid aut illicitum aspexerint: imo nunquam oculos elevavit ut ceteri homines, sed semper humi defixos tenuit, nisi quando Deum oravit, à quo inter cæteras perfectiones & gratias donata est eo Spiritu Prophetiæ, ut si fortè aliquid inconcessum auditura esset, vel visura, oculi & aures illico clauderentur, ita quod solum voluntati divini deserviebant: Ideo dicit, & indumento latitiæ circumdedit me, id est, undique, & omni ex parte velavit. Postea ait, quasi sponsus decoratus coronâ, & quasi sponsa ornata monilibus suis. His verbis duo complectuntur ob duas gratias gloriosæ Virgini factas, sponsæ enim necessaria sunt duo: unum ut sponsus det ei monilia gratis: alterum ut iis sponsa bene utatur, & sese ornet, primum consistit in sponso, secundum verò in sponsa. Propter primum dicit, quasi sponsus decoratus corona, id est, quemadmodum sponsus donat sponsæ monilia, ita Deus dedit mihi gratiam, ut concepta fuerim absque peccato originali. Propter secundum quod vestita sum justitiâ originali dicitur, & quasi sponsa ornata monilibus suis, hoc est, quemadmodum sponsæ incumbit sese ornare vel bene, vel male, ita mihi, quod ego sum induta iustitiâ originali provenit ex bona gubernatione & sensibus meis obedientibus animæ ex libero arbitrio, tamen si Deus me in gratia confirmaverit. D. Hieronymus transtulit, decoratus coronâ passivè, ego autem activè declaro, quandoquidem ita Hebræus habet, sequitur textus sicut enim terra profert semen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiâ, & laudem coram universis gentibus. Causa, inquit, cur Deus me sponsam accepit, concessitque has gratias, est quia in me incarnandus est Messias, qui est futurus ut germen quod caret patre, solamque terram habet matrem, ita Deus germinare faciet in me Messiam, qui erit justitia, & laus in omnibus gentibus, nec habebit alium parentem, quoad humanitatem, nisi me matrem suam. Dicit autem justitiâ, quia propter hanc Deus passurus erat, laudem verò quod gratiâ & non debito ullo fiebat, ergo ex quo immaculata Virgo has gratias sortita est, indui vestibus salutis, & justitiæ, quas post Adam nemo unquam ex homine, & muliere genitus est assecutus & præcipuè vestimento salutis, id est Christo, qui est salus totius

orbis, necesse est nos dicturos eam conceptam fuisse absque peccato originali. Quod autem vestimentum salutis sit vestis Christi, apparet ex hebraico, à quo salus dicitur *Jessam*, quod est æquivocum & salutem significat & Jesum: & secundum hoc ultimum ait textus, quia induit me in instrumentis Jesu, hoc est, quemadmodum Jesus secundum humanitatem conceptus est absque peccato originali, ita ego illis vestibus induta sum. Verumtamen D. Hieronymus in sua translatione Judæis blanditus est, ne eum carpere possent, & ob id ubicunque sensus dupliciter accipi potest, semper accipit eum qui facit pro illis; Nam hic dicere poterat, & rectè, *Quia induit me vestimentis Jesu*, quemadmodum ait in Habacuc cap. 1. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*, & ita habet hebræus, utroque in loco.

Tertium Testimonium est Psalmistæ Psalm. 116. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*. Sensus est, grandis amor est mihi in Deum, quoniam semper audit preces & voces meas, quia inclinavit aurem suam mihi, & ideo in diebus meis invocabo, similiter Deum, quoniam sæpe circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni prævenerunt me, tribulationem, & dolorem inveni, & nomen Domini invocabo, id est in omnibus meis adversis semper invocavi Deum, & illi dicebam. *O Domine libera animam meam, & Deus qui est misericors & justus, & Deus noster miseretur custodiens parvulos, & me qui pauper sum bonis operibus salvabit*. Verumtamen D. Hieronymus dixit humiliatus sum, cum hebræus habeat, pauper anima. Postea sequitur textus: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Nunc alloquitur David animam suam eam consolans & ait. *O anima mea, tamen post mortem meam ad inferos descendas, tamen ad requiem tuam reverteris, hoc est ad paradysum, hoc autem est ob singulare erga te beneficium Dei, qui filium suum ad incarnandum mittet, & Passionem, ut te redimat unà cum omnibus animabus sanctorum Patrum, & justorum*. Postea subdit: *Quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu, Ambulabo coram Domino in terra viventium*. In hoc textu est maximum discrimen inter hebræum, & divi Hieronymi translationem, qui tamen bene traduxerit, tamen ab hebræo non discedam. Postquam David animam suam consolatus est, cum Deo loquens ait. *O Domine scis cur animam meam consolatus sum, eique dixi, expectet passionem Christi & resurrectionem, ob id feci, quia mecum ipse ratiocinor dicens,*

certum

certum esse in generatione & creatione hominis tres agentes concurrere, Patrem, & Matrem generantes, materiam & Deum, qui creat animam, & corpori infundit: propterea hoc facio enthymema. O Domine, si materiam, quæ est pars Patris mei & Matris liberasti, & eripuisti animam meam, id est, vitam meam à morte, & oculos meos à lacrymis, & pedes meos à lapsu; quantum magis facies pro anima, quam tu creasti, estque pars tua, quam in mea creatione posuisti? Certè in tua passione eam redimes, & in paradysum feres, & ambulabo coram Domino in terra viventium. Terram autem viventium accepit pro paradiso, ut alibi ipse David Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Bona enim Domini sunt in regno Cælorum, & alibi Paradysum appellavit montem Dei, & montem Sanctitatis. Sequitur postea: *Credidi propter quod locutus sum, ego sum pauper nimis.* Hoc est, quod superius dixi, me pauperem esse bonis operibus est, quia sum maximus peccator, idque ut ore profiteor, ita credo, nec sum hypocrita in sermone. Mox ait: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Hoc est, quod sum pauper bonis operibus & peccator, est propterea quod conceptus sum in peccato originali & non solum ego, sed omnis homo mendax. Ego autem dico in mea cogitatione quod omnis homo est in peccato originali conceptus, estque mendax, & fallax. Tum ait; *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi,* Dixi quod omnis homo est mendax, & in peccato originali conceptus & ex dictione *omnis* etiam intemerata Virgo comprehenderetur: *Ideo quid retribuam Domino? &c.* Quando [Deus] dicit, ô David matrem meam posuisti in numero omnium hominum mendacium, certè illi Domino, qui me tot beneficiis insignivit præcipuè, quod mater ejus ex mea carne natiuitura sit, respondebo, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:* Sensus est, calicem & tabernaculum, ex quo Christus carnem humanam assumpturus est, qui est salus totius orbis, exaltabo super omnes creaturas conceptas à viro & muliere, dicamque non esse conceptam in peccato originali; & hoc quia nomen Domini invocabo, hoc est, cum gloriosa Virgo sit tabernaculum, quo Dei Filius incarnandus est, injustum est dicere eam in peccato originali conceptam. Postea ait: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius,* id est ex quo tantum beneficij tribuit mihi Deus ut ex carne mea incarnandus sit, vota mea reddam ipsi coram populo suo, dicamque immaculatam Virginem conceptam absque peccato originali, deinde inquit: *Preiosa in conspectu Domini mors*

Sanctorum eius, hoc est, Deus vult subire Passionem & mortem, quoniam pretiosa illi videtur mors Sanctorum ejus, ex quo ei servierunt multaque pro eo Passi sunt in hoc mundo, & ob id non vult eos in alio damnari, aut dicemus, pretiosa in conspectu Domini, rem gratiorem, & pretiosiore coram se facturus est Deus ob amorem sanctorum suorum subire Passionem, & mortem. Postea subdit; *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancilla tua, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis & nomen Domini invocabo*; Hoc est, ô Domine cognito beneficio tuo erga me verè vocabor semper servus tuus, hæc autem servitus non est accidentalis, quod me peccuniâ emeris, sed naturalis, quippe qui sum servus tuus, & filius ancillæ tuæ; tam gratum autem mihi est tuum esse servum, ut si me velles liberum facere & rumpere catenas, & vincula, nunquam servi nomen effugiam, sed tibi sacrificabo sacrificium laudis, & tuus vocabor, aut dicemus, ô Domine, quia ego servus tuus, scisne cur servus tuus appeller? quia grande beneficium mihi collaturus es, quod est dirupisti vincula mea, hoc est, educes me ex inferno, liberabisque à catenis quibus diabolus me tenet ligatū, ut ad inferos deducat, ideo tibi sacrificabo. Dicit autem, dirupisti, præterito pro futuro, deinde ait. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus*, Hoc est, vota mea, quæ feci, ut servus tuus vocer, non in abscondito, sed coram populo tuo enuntiabo, atque ibi in atrijs domus Domini in medio tui Jerusalem, hoc est, cum Israël congregatus erit in Jerusalem in festivitibus, servus Domini appellabor. Deinde ait; *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus & veritas Domini manet in æternum*. Ut declarem istos textus necesse erit adducere duas auctoritates doctorum Hebræorum, una est in libro, qui inscribitur Mideas Ruth, hoc est, glossa Juth, super Ruth cap. 4. *Salomon genuit Boam*, ait Rabbi Samuël, quid tibi vult textus Genes. cap. 4. *Et vocavit nomen ejus Seth, dicens, posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel*? Et quia dicit textus semen aliud, quod jure filius dicere debebat, intelligitur de Messia, & rectè quidem quandoquidem est mirabile, & inauditum ut ipse generandus sit absque semine virili, ut illud, *Et verbum caro factum est*. Secunda auctoritas est in Beresith Rabba cap. 41. ait Rabbi Anina, quid sibi vult textus, ubi dixerunt filia Loth Genes. cap. 19. *Ut servare possimus ex patre nostro semen*? Et quia dixerunt semen, & non filios, videtur eis revelatum fuisse arcantum de adventu Christi, ut Adæ, ex eis que proditurum fuisse

fuisse Messiam; innuentes semen illud Messia, de quo dixit Adam, *Posuit mihi Dominus aliud semen*, processurum esse à se, ideoque voluerunt cum patre concumbere ad hujusmodi semen conservandum non ullâ malitiâ, aut inhonestate sed existimantes in mundo alium hominem non extare præter patrem ab destructionem Sodomæ & Gomoræ, nevé prætermittetur adventus Messia, quælibet earum una nocte cum patre cubavit, gravidæque factæ duos filios peperere, una Ammon, altera Moab, à quibus emanarunt duæ maximæ generationes, quæ Ammon, & Moab sunt appellatæ, ex Moab autem processit Ruth Moabita, quæ accepit conjugem Boam, ex cujus genere prodiit Rex David, ut ex genealogia apparet. Rex autem Salomon inter alias uxores habuit Nahama, quæ erat Ammonita, ex eaque ortus est Roboam Rex Judæ ut extat Res. cap. 30. David verò inter cæteros filios habuit Salomonem & Nathan, à quo processit beata Virgo secundum Lucæ genealogiam, ex rege autem Salomone & Roboam ejus filio processit vir Mariæ. Cum autem hæ filia Loth nescirent ex qua ipsarum oriundus foret Messias, & unaquæque ex se processurum putaret, dixere, ut servare possimus ex patre nostro semen, quod si mihi dicatur cur Deus voluerit ut Messias ex hac generatione procederet & ex tribu Judæ, Resp. Hæc omnia fuisse divina misteria, cum Deus sciret Judæos magna ex parte ob iniquitatem Messiam negaturos, & ei non creditores, ob id recepturum gentiles, & populum novum facturum ut ait psalmista Psal. 2. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Item Isaias cap. 43. *Populus iste, quem creavi mihi, laudem meam narrabit.* Ideo misericordia divina voluit, ut Redemptor, & verus Messias ex gentilibus procederet sicut ex Judæis; atque ita ut ad salvandum venit, quemadmodum & Judæos, ideoque Deus vocavit etiam gentiles oves suas, ut apparet ex S. Joannis Evangelio. cap. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili;* Quamobrem dicebat rex David. *Laudate Dominum omnes gentes, &c.* hoc est, ô vos gentiles, & plebs laudate, & glorificate Deum: quid autem ei dicetis? Quia confirmata est super nos manus ejus, & veritas Domini manet in æternum, & ita nos salvos facere venit ut Israël.

Quantum Testimonium est Jeremiæ capite. Decimoseptimo: *Solum gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ expectatio Israël Dominus.* Ut autem intentionem nostram melius declarem us afferemus Capitulum Rabbi Moyli de Ægypto parte primâ cap. Nonno, qui declarat duo, nam modò attribuetur Deo sedes, ita in-

quiens; quid significet sedes, notum est; Cum autem quispiam eam ornatam & pontificio more paratam conspiciet, existimabit in ea Regem, aut Imperatorem aliquem esse sessurum. Ipsa enim ostendit excellentiam & majestatem in ea sedentis, hac ratione appellatur domus Dei sedes Dei, quippe quod ipsa ostendit Dominum & potestatem ejus, qui patefecit gloriam suam & claritatem in ea: Ideo Jeremias dixit Solum gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ; eadem ratione cœli vocantur sedes, quatenus fortitudinem inventoris ostendunt, & motorem, moderatoremque, hujus mundi inferioris, & influentiam gratiæ suæ; Ideo dicebat Isaias cap. 66. *Cœlum Sedes mea est*, ac si dicat, Cœli ostendunt essentiam meam, fortitudinem & potentiam ut sedes Dominum, & majestatem docet illius, qui in ea sedere dignus est. Hoc autem necessarium est credenti in Deum; non quod hæc sedes sit corpus, in quo sedeat Deus, absit enim ut in hunc errorem incidamus, cum jam probaverimus Deum non esse corpus, quomodo ergo dicemus Deum egere loco, aut tabernaculo, corporeo? Certum est ut diximus quemlibet locum à Deo magnificatum gloriâ suâ ut sunt domus sancta aut Cœli, eadem dici. Verumtamen cum Deus largiori modo locutus est exod. cap. 17. *Quia manus solius Domini & bellum Dei erat contra Amalech à generatione in generationem.* Hæc est propria substantia Dei & essentia, neque imaginandum est hanc sedem esse rem ab illa distinctam, nec à Deo creatam, ut cæteræ ejus creaturæ, quia sequeretur Deum esse in tempore absque sede, hoc est, antequam eam creasset; neque sedebat postquam creavit, hoc autem est maxima hæresis quoniam Jerem. ult. cap. lamentat. ait. Tu autem Domine in æternum permanes, solum tuum in generatione & generationem, id est, quemadmodum tu Domine es æternus, ita sedes tua æterna, & ob id ostenditur hanc sedem non esse rem à Deo distinctam, & ideo hæc sedes, & quodcunque aliud simile significat propriam essentiam & Quidditatem Dei, neque sunt res ab eo distinctæ. Hucusque verba Magistri Moyli. Ex quibus quidem tres Conclusiones eliciuntur, cum ipse afferat tria genera sedium, quarum duæ sunt creatæ, tertia increata. Prima Conclusio est, quod prima sedes creata quamquam idem Magister Moyli accipiat pro domo sancta, dicatque ob ejus excellentiam cognosci majestatem sedentis, afferatque auctoritatem (Solum gloriæ altitudinis à principio) intelligitur de intemerata Virgine, quippe quæ ob suam perfectionem & excellentiam fuit, estque sedes gloriosa,

gloriosa, in qua Deus ostendit gloriam suam, & claritatem, quæ est Christus, gloria, lux, & claritas totius orbis; ob quam dixit Iſaias cap. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*, sedentes in umbra mortis, lux orta est eis. Non dixit autem pro domo sancta, hoc est, Jerusalem, quia etsi Deus in ea gloriam suam ostendit, nihil tamen est comparatione claritatis, quam Deus ostendit in Virgine gloriosa; Nam ubi reperimus domum sanctam fuisse à principio mundi ut Virgo intemerata fuit: ob quam dixit textus proverb. cap. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum*, & in lib. Sapient. *Ab initio & ante sæcula creata sum?* Præterea solum gloriæ non potest dici pro domo sancta, cum sedes Dei gloriosa debeat esse perennis, & non evanescere, quia quidquid Deus semel accipit, nunquam dimittit. Aliæ duæ sedes, quas affert, suntque cæli, & propria substantia Dei perennes sunt, Jerusalem autem transit, & evanuit. Præterea textus sequitur: *Expectatio Israël Dominus*, vera autem spes Israël est verus Messias, & Christus, qui natus est ex MARIA Virgine. His ergo rationibus non dicit textus de Jerusalem, sed de intemerata Virgine MARIA Secunda & Tertia Conclusio est secundam sedem esse creatam, & tertiam increatam; hæc autem duæ sedes sunt Christus, creata est humanitas, quæ verbo Dei facta est, increata divinitas: quod autem humanitas sit dicta sedes Dei à Psalmista psal. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui: Hoc est, Messias est sedes tua*, quia quemadmodum ex operatione cælorum ostenditur gloria inventoris eorum, ob hoc argumentum; quodcunque movetur habet motorem & gubernatorem, cæli moventur; ergo habent motorem. Item ex humanitate Christi propter ejus divinas operationes ostenditur inventorem esse Deum, sicut enim cæli ostendunt gloriam motoris sui, & moderatorem hujus inferioris orbis mediante influentiâ gratiæ suæ, ita Christi humanitas ostendit magnificentiam & dominium inventoris & motoris hujus mundi mediante influentiâ salvationis, quam Deus influit humanitati. Sedem verò tertiam dicit esse divinitatem, quæ ut nos diximus, est increata, ut illud increatus pater, increatus filius. Sensus autem textus, quem adducit (tu autem Domine in æternum permanes) est iste: quemadmodum tu Domine es æternus, ita sedes tua quæ est filius tuus, est æterna, quam æternus pater, æternus filius, sequitur ex cap. Magistri Moyſi, ut probavimus textum dicentem (Solum altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ) loqui de Virgine beata, quæ sedes altissima à principio;

cipio ; quia autem dicit à principio, innuitur conceptam fuisse absque peccato originali, & non in eo conceptam, & postea mundatam.

Quintum Testimonium est Ezechielis cap. 10. *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis Zaphiri similitudo throni, & super similitudine throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Jam superius probavimus gloriosam Virginem sedem Dei dici. Ezechias, autem vaticinans de immaculata Virgine, postquam vidèrat quatuor animalia & eorum motum dicit vidisse in cælo stare supra capita animalium similitudinem sedis, & throni, qui est B. Virgo, moxque super hanc similitudinem vidit similitudinem hominis qui est Dei Filius incarnatus; atque hunc thronum esse quasi coloris Zaphiri, innuens quod sicut Zaphirus, qui est ex elemento terrestri obscuro, & tenebroso, non obstante quod à suo principio sit Diaphanus & clarus, ita gloriosa Virgo à principio est clara & absque peccato originali concepta. Item ipse idem Ezechiel cap. 44. vaticinans de Virgine gloriosa ait: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa:* Hoc est, hujus gloriosæ Virginis porta clausa erit, cognitaque ejus sanctitate nemo mortalium in peccato constitutus poterit ei adhærere, quemadmodum in templo Dei erat domus dicta Sancta Sanctorum, in quam sanctitatem, nemo ingredi poterat, qui esset peccator præter summum Pontificem, & hic semel tantum in anno ingrediebatur, & hic dies erat Sabbathum Sabbathorum, ingrediebatur autem ut ignosceret domui Israël in figuram Virginis immaculatæ. Nam quemadmodum in Sancta Sanctorum nemo ingredi poterat, ita gloriosæ Virgini nullus poterat adhærere, & ut in Sancta Sanctorum summus Pontifex intrabat, ita in B. Virgine incarnatus est Dei Filius summus pontifex juxta illud. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quod autem semel in anno Pontifex ingrediebatur, significat unam nunc esse incarnationem Filij Dei, & quod die indulgentiarum, & Sabbatho Sabbathorum intrabat indicat Christum venisse, ut ignosceret orbi, eumque ad Sabbathum Sabbathorum idest ad requiem Paradisi laturum. Sequitur ergo ex hac Prophetia, & figura, ut immaculatæ Virgini nullus mortalium peccator poterat adhærere ob ejus immentam sanctitatem, quanto magis peccatum ipsum, quod in ea reperiri non poterat nec in principio, nec in medio, nec in fine, necessario dicere cogimur eam conceptam fuisse sine peccato originali: sicut enim Sancto Sanctorum

etorum peccatum adscribi non potest nec actuale, nec mentale, nec originale, ita beatæ Virgini peccatum nullius generis potest attribui.

Sextum Testimonium est Salomonis Cantic. cap. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Verumtamen nonnulli dicunt, hunc textum loqui de Ecclesia Dei, & non de Virgine intemerata: Hoc autem pæce eorum dici non potest duplici ratione. Prima, quod omnia quæ canit Mater Ecclesia à Spiritu Sancto instituta sùnt, Spiritus autem Sanctus non est mendax, & Sancta Mater Ecclesia canit id propter Virginem intactam, ergo illorum ratio non valet. Secunda quod laudes, & perfectiones gloriosissimæ Virginis sunt immentæ & incomprehensibiles, nos autem dicentes laudes ab ea alienas, ostenderemus eas laudes in ea non esse, sed ab alio mutuari, sed hoc falsum est, cum ipsa alijs mutuet de laudibus suis, & non accipiat, ipsaque omni laude digna sit. Huic autem quæstioni Judæus sese objicit, aitque textum loqui propter Israël, cum secundo circumcisi sunt in deserto, quippe quod erant mundi; defuncti enim fuerant omnes peccatores, qui ex Ægypto exierant, & ii, quos miserant ad explorandum terram, remanebant autem illi, qui in deserto nati fuerant, erantque justi, & propter eos dicit textus, *Tota pulchra es amica mea.* Hanc ego rationem dico non esse veram, quia à peccato originali non erant immunes; textus enim dicit, *Et Macula non est in te, ergo &c.* Verùm Judæus respondet circumcisionem eos mundasse à peccato originali & sufficientem esse ad aperiendam Paradisi portam; ego verò dico non esse verum; rationem, autem quia prolixa esset, in esse amplissimè satisfacimus, in præsentia omittimus; Nihilominùs dico, quod licet circumcisio esset remedium contra peccatum originale, non tamen ad aperiendam januam Paradisi, quod si verum esset, Moyses & Samuel, qui maximi Prophetæ fuere, in Paradisum migrassent & non ad inferos; ergo circumcisio aut lex Moyli non poterant à peccato originali liberare, & portam Paradisi aperire, quod autem illi Prophetæ ad inferos descenderint, apparet duabus auctoritatibus. Prima in libro qui inscribitur Aghiga cap. quod incipit: *Hæc col Hayabin super text. Regum primo cap. 28. Dixit autem Samuel ad Saul, quare inquietasti me ut suscitarer.* Ait Rabbi Eleazar quod Samuel justus timebat judicium Dei; hoc enim extat ex textu in D. cap. quod ait, *& ait mulier ad Saul, Deos vidi ascendentes de terra.* Et quia dicit Deos numero plurali, innuit esse Samuelem, & Moysen, quippe quod accessit Samuel ad Moysen, eique dixit (fortasse Deus vult me judicare,

ideo rogo te ascendas mecum, ut Testimonium reddam me observasse legem, quam tu dedisti mihi, & in nullo defeci, ideoque ambo ascendebant. Secunda auctoritas est in Torath cohanim, id est, glossa levitici super text. cap. 20. *Vir sive mulier, in quibus Pheotonicus, divinationis fuerit Spiritus, morte morietur;* aitq; vel quid sibi vult textus regum primo cap. 28. *Veneruntque ad mulierem nocte,* interrogantque, eratne nox, quando venit Saul ad Pheotonicam? Respondi, dies erat, sed dicit noctem fuisse, quia illa hora fuit ei atra ut nox. Dixitque ei mulier; *Quem suscitabo tibi?* Cui ait, *Samuelem suscita mihi.* Ipsa autem fecit magicas artes, coëgitque Samuelem ascendere, ut refert textus: *Cum autem vidisset mulier Samuelem exclamavit voce magna, & dixit Saul, quare imposuisti mihi? tu es Domine Saul,* interrogatque & ait, quomodo scivit ipsa illum esse Saul? Respondit quia Samuel ascendit nomine regio: mortui enim quos ascendere faciunt Pheotonicæ cum ascendunt imperio Regis, ascendunt pedibus imis, & capite elevato ob dignitatem regiam; Cum verò per ydiotæ petitionem ascendunt pedibus altis, & capite imo. His duabus auctoritatibus dicturi sumus animas Moyfi, & Samuelis fuisse in limbo, duabus rationibus. Prima, Certum est Paradisum esse in Cælo, nam si illi in Paradiso fuissent, dixisset textus, Deos vidi descendentes de cælo, sed dixit ascendentes de terra, infernus autem est in abyssu, ergo erant in limbo. Secunda, quod Pheotonicæ non habent potestatem in Paradiso, sed in inferno. Item in eodem lib. cap. primo: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, comparavit immaculatam Virginem turturi, ut ostenderet quod quemadmodum turtur caret felle, & sine eo à principio creata est, ita gloriosæ Virgini non potest attribui peccatum actuale, nec mentale, nec originale; Ideò alibi eam assimilavit columbæ, quæ etiam felle caret, ut in eodem lib. cap. 2. *Surge, prope amica mea, columba mea, formosa mea.* Item in eod. lib. cap. 2. *Surge prope, amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in feraminibus petra, in caverna maceris ostende mihi faciem tuam.* Ex hoc textu colligitur, quod non solum columbæ assimilavit Virginem gloriosam ratione prædicta, verum etiam voluit innuere, quod fundamentum, & principium ipsius Virginis fuit absque peccato originali & quia petra est principium, & fundamentum, super quo ædificium sustentatur, ideo in feraminibus petra, hoc est in embrione, ubi fuit concepta, in quo est foramen, ubi fuit ædificata, illic fuit columba munda à peccato originali. Nam quod principium rei assimilabilem petrae apparet ex Isaia

cap. 55. *Attendite ad petram, unde excidistis, & Evangelista itidem dixit, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Quod autem dicit, in cavernis maceræ, elocutio duplicatur. Item in eod. lib. cap. 4. *Quam pulchra es amica mea, & oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus later.* Ex hoc textu melius nostra opinio declaratur, quippe quod ait omnes perfectiones separatas à perfectionibus, quæ intra eam sunt occultæ; Id aut est conceptam esse absque peccato originali. Item in eod. lib. cap. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Dicit autem immaculatam, ut magis, atque magis ratio nostra confirmetur. Item in eod. cap. *Vna est columba mea, una est perfecta mea matris sue electa genitricis sue.* Hoc est, una sola concepta est absque peccato originali. Quoniam autem inclita Virgo hanc dignitatem adeptæ est, fuitque excellentior Jeremia, & divo Joanne Baptista, qui fuerunt sanctificati in utero matris, quæ quidem sanctificatio non fuit, nisi in eorum persona, nec ulterius processit, cum essent primum in peccato concepti; In intemerata autem Virgine MARIA, cum sine peccato originali concepta esset, nec in Christo fuit passibilitas aut mortalitas, nisi secundum rationes supradictas, quod hoc sit verum, probabimus dicto D. Augustini, qui ita ait, si Christus crucifixus non fuisset, senio defecisset glos. in cap. *placuit.* de consecrat. dist. 5. & glos. in clem. prima de summ. Trinit. super verb. *Passibile.* Si Christus non fuisset crucifixus non fuisset confectus senio, sed semper in viridi ætate vixisset, & nunquam obiisset; consequens est ut si Christus non fuisset crucifixus, impassibilis & immortalis fuisset, ejusque mater, quæ erat una caro cum eo, itidem immortalis fuisset, quippe cum secundum naturam una & eadem caro non possit esse partim passibilis, & mortalis, & partim impassibilis, & immortalis, & propterea Christus B. Virginem turturi comparavit, ut ait in eodem lib. cap. 2. *Tempus putationis venit, & vox turturis audita est in terra nostra.* Sensus est; tempus putandi & recidendi peccatum originale venit: ideo vox Christus audita est in terra nostra. Item ratione alterum alteri assimilandi dicit in eod. lib. cap. primo. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* Duplicavit autem sermonem ut signaret pulchram in conceptione & post. Respondit autem Virgo immaculata; *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Sensus est. Certe quemadmodum ego sine peccato originali concepta sum, ita tu amicus meus es pulcher, & formosus, & noster lectus, hoc est, nostra conceptio est florida, & odorifera, & in eo non

est aliquid peccati; trabes enim nostræ domus sunt ex cedro, & laquearia ex cypresso, quæ corruptionem aliquam non patiuntur. Item in eod. lib. cap. 1. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; Sensus est. Quemadmodum rosa speciosa, & odorifera, ex qua multa aromata conficiuntur, nascitur inter spinas, ita amica mea nata est inter foeminas conceptas in peccato originali, Ipsa verò non, ut rosa non est spina. Accepit autem filias propter dignitatem Virginis gloriosæ, & pro omnibus hominibus intelligitur. Respondit B. Virgo in eod. lib. cap. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Omnium vero rationum conclusio de Christo & Virgine intacta est, ut in eod. lib. cap. 6. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*. Sensus est, ut ego concepta sum absque peccato originali, ita amicus meus. Item in eod. lib. cap. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Dum esset Rex, hoc est in sua incarnatione, nardus mea, hoc est concepta sum absque peccato originali, dedit odorem suum, id est, ipsemet conceptus est sine peccato originali. Item in eod. lib. 2. *Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; Si Christus lavam sub capite Virginis tenebat, & dexteram eam complectebatur, impossibile est eam permisisse cadere in peccatum originale. Item in eod. lib. cap. 3. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec intraducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*. Sensus est. Quando reperi amicum meum in ejus incarnatione, apprehendi eum, nec dimisi, quousque adduxi eum in domum, & cameram matris meæ, hoc est, quemadmodum ego concepta fui sine peccato originali in embrione matris meæ, ita ipsum generavi. Item in eod. lib. cap. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, palæbra ut luna, electa ut sol?* Sensus est. Quæ est ista, quæ ostendit se venire ut aurora, quæ incolit dici claritatem? cerè ita gloriosa Virgo venit, & incipit totum orbem illuminare; atque ut luna recipit claritatem à sole, ita B. Virgo recepit omnia sua privilegia, & gratias à filio Christo, estque ita clara ut sol, qui in instanti suæ creationis omnem suam claritatem adeptus est; nam materia Virginis inviolatæ in instanti conceptionis omnes perfectiones materiales assecuta est, conceptaque absque peccato originali.

Septimum Testimonium est S. Matthæi Evangelistæ cap. 11. dicentis, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistæ*; Cum autem S. Joannes non fuerit major Christo, qui ex muliere natus est: dicatque textus, surrexit, quod dici non potest, nisi de eo, qui prius cadit

eadit & postea surgit, necessariò cogimur ita interpretari; inter eos, qui in peccato originali concepti sunt, non surrexit major Joanne Baptista; Christus autem non cecidit in peccatum, ergo est major Joanne. Cum autem intemerata Virgo sit major Joanne Baptista eo quod fuit concepta absque peccato originali, quod si non concederetur, S. Joannes esset eâ major, sed hoc falsum est, ergo non fuit concepta in peccato originali. Quod si mihi obijciatur verum non esse, cum Evangelium dicat natos, & jure natos, & natos dicere debebat, Respondeo consequentiam non valere, cum genus masculinum, fœmininum concipiat.

*Ex omnibus his Prophetiis apertè ostenditur gloriosam
Virginem Conceptam fuisse absque peccato
Originali.*

P A R S Q U A R T A

Dicta est ratio generationis Virginis, & hæc dupliciter. Primo modo ratione generationis in mente divina. Secundo ratione generationis in actu. Primo modo dico quod Deus, qui prævidet omnia antequam fiant, & velut præsentia intuetur, cum mundum creasset, & Adam, illum præscivisset peccaturum, ejusque peccatum orbem condemnaturum; hujus autem delicti remedium, & reparationem nullam meliorem esse, quam incarnationem, & passionem Filij sui; quamobrem ut ostenderet charitatem suam, & amorem erga genus humanum tanquam optimus medicus ante plagam paravit optimam Medicinam. Igitur antequam mundum creasset, jam intemerata Virgo creata erat in conspectu suo, ut ait textus Proverb. cap. 8. *Dominus possedit me initio viarum suarum*; Hoc etiam reperimus in lib. Ecclesiast. cap. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum*; Ergo si gloriosa Virgo ab initio, & ante sæcula creata erat, Adam verò nondum peccarat, quonam modo fieri poterat, ut immaculata Virgo in peccato originali concepta esset? Verumtamen nonnulli dicunt textus prædictos non de beata Virgine dici, sed de Sapientia divina, quod falsum esse dicemus, eorum pæce, cum vera conclusio sit, nihil esse in Deo, quod non sit Deus; Consequens est sapientiam, quæ in Deo est esse Deum; quod si est Deus, increata est; textus autem

vociferatur in dictis locis, antequam abyssi fuerant, ego jam concepta eram, & ab initio, & ante sæcula creata sum, ergo non dicuntur de Sapientia divina. Judæus autem sese opponit huic quæstioni asseverans ipsos textus non loqui de Virgine MARIA, nec de sapientia, sed de lege Dei, quæ creata fuerit, & scripta litteris igneis nigris in dorso ignis candidi, eaque duobus millibus annis mundum præcessit. Nos respondebimus, dicemusque hanc quæstionem esse falsissimam duabus rationibus. Prima quod non possunt numerum annorum colligere dicentes duobus millibus annis, cum ante mundi creationem tempus non esset, idque duplici ratione, primâ quod Deus non subijcitur tempori, secunda quod tempus sequitur & conjunctum est motui rotarum cælestium; Nam horam facit planeta, qui gubernat unam horam, & diem facit motus solis, qui 24. horis moratur, ex quo ascendit, & iterum incipit ascendere in oriente; hebdomadam faciunt septem Planetæ, quorum singuli diem unum gubernant; Dominicum diem gubernat sol dictum à Dominio, quia ipse est Rex septem Planetarum, Lunæ verò diem Luna moderatur, Martis Mars, & ita de reliquis; Mensẽ Lunarem cursus conficit Luna, & Solarem cursus signi quod uno mense Dominatur quodlibet suo; Annum conficit Sol, qui integro anno peragit duodecim signa Zodiaci. Quamobrem si cæli non erant creati, non erat tempus, tempore non extante duo millia annorum à Judæo adducta falsa sunt. Secunda opinio Judæi est hæretica, quippe quod ignis est unum ex quatuor elementis, quæ creata non fuere usque ad mundi creationem: quod si opinio ejus vera esset, sequerentur duo, quæ sunt contra legem, primũ quod mundus esset ab æterno, ex quo ignis jam erat, secundum, quod Deus non creavit mundum ex nihilo, sed ex aliquo; hoc autem est hæresis maxima, ergo Judæi argumentum non valet. Necessario igitur dicere cogimur dictos textus de intemerata Virgine dici, quæ est mater omnium scientiarum, & sapientiarum. Prætereagloriosa Virgo est quædam petra, & columna, supra quam constructus est mundus, & quæ præcessit mundi creationem; nam si Deus ante creationem Adæ peccaturi non statuisset immaculatam Virginem redemptricem futuri peccati incarnatione & Passione filij sui, mundum non creasset, cum ejus finis, qui est Paradisus, secuturus non fuisset; quod patet ex quadam auctoritate in Epistola secretorum 6. Responsio super petitione, quam fecit Antoninus consul urbis Romæ Rabbeno Haccados: Ad quam legentes remitto, ne una res

toties replicata fastidium afferat. In ipsa auctoritate dicitur ex Israël excidendam esse petram sine manibus, quæ est petra primaria, hoc est gloriosa Virgo, ex qua Rex Messias proditurus erat, & ideo Zacharias loquens de intemerata Virgine cap. 4. petram primariam appellavit, ideoque vulgo dicitur sancta MARIA delpillar, hoc est columna, super qua mundus sustentatur. Sanè Jonathas filius Uzielis in glossa chaldaea Genes. cap. 1. super textum, *In principio Deus creavit Cælum, & terram*, ita ait, propter sapientiam creavit Deus cælum & terram, hoc est amore intemeratæ Virginis, quæ est sapientia mundi creavit Deus cælum, & terram: Aut dicemus, amore sapientiæ, id est, Christi Filij Dei (filio enim sapientia attributa est) creavit Deus cælum, & terram. Item Salomon proverb. cap. 3. *Dominus in sapientia edificavit terram, & constituit celos intelligentiâ*. Non solum autem totus orbis ejus amore constructus fuit, sed nullo pacto consistere posset ob nostras pravas operationes nisi ipsa gloriosa Virgo plena pietate, & elementia pro nobis orans illum sustineret. Et hæc dici potest secunda ratio, cur vulgo Sancta MARIA delpillar appelletur. Ex his duabus rationibus dicitur petra primaria, quam Zacharias vocavit, primariam in tempore, & gradu, & excellentia; quæ cum ita sint, dignum est ut sine peccato originali concepta fuerit, præcipuè cum peccatum originale non esset, ut diximus. Secundo modo ratione generationis in actu. Nam non solum in conspectu divino ab initio, & ante sæcula intemerata Virgo creata erat, sed etiam dico actualiter fuisse creatam ejus materiam in materia Adæ, ipsamque gloriosam Virginem fuisse præsentem in causa, gradu, & excellentia, cum ejus amore creatus fuerit mundus; Nam cum Deus formavit Adam, fecit massam, ex cujus parte pretiosiori accepit materiam Virginis intemeratæ, ex residuo verò, & superfluitate Adam formavit, ex materia autem immaculatæ Virginis facta est virtus, quæ conservata fuit in nobiliori loco & membro corporis Adæ, ex quo emanavit ad Seth, & ex hoc ad Enos, & sic ex alijs usque ad S. Joachim, & ex hac quidam virtute formata fuit B. Virgo; quæ ratio convenit cum una, quam reperi scriptam nomine D. Gregorij, contra quem S. Thomas arguit in 3. sent. dist. 3. de corpore Christi quæst. quæ incipit, utrùm caro Christi infecta non fuerit, quamquam S. Thomas honoris gratia eum nominare noluerit. Ita enim inquit, alius error fuit dicentium quod caro Christi secundum quod à parentibus erat, infecta non fuit, dicunt enim quod peccante Adam, Dominus con-

servavit in Adam aliquid incorruptum, & non infectum, per quod natura humana sanari posset, & hoc idem transfusum est sine aliqua infectione usque ad B. Virginem & exinde formatum est corpus Christi. Hoc autem erroneum reputatur propter duo. Primo quia secundum hanc positionem Christus non verè filius Virginis esset, nec verè ex stirpe alicujus Patrum progenitus, nisi solum ex Adam, illa enim pars, quia incorrupta in humana natura remansit in omnibus aliis ab Adam, fuisset quasi extraneum ab eis, sed soli Adæ connaturale quantum ad primum statum. Secundo quia tollitur congruus satisfactionis ordo; sicut enim non erat decens ut pro Adam & ejus successione corrupta aliquis satisfaceret, qui ex illo genere non esset, ita etiam non esset congruum ut naturam infectam satisfaciendo sanaret Dei Filius, nisi hoc ipsum, quod prius infectum erat, assumpsisset; & ideo dicendum est, quod caro Christi secundum quod fuit in parentibus, & etiam in ipsa B. Virgine peccato infecta fuit, antequam assumeretur, sed in ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est, ut secundum quod actum est caro Christi, nihil in ea maculæ inveniretur: Hactenus S. Thomas. Et quia eadem argumenta fiunt contra nos à dicentibus B. Virginem non esse veram filiam S. Joachim, idcirco dictam propositionem probabimus figurâ, & mox Prophetiis & Evangelijs, & tandem respondebimus argumentis ipsius S. Thomæ. Figura; Invenimus textus Genes. cap. 4. *Faciamus hominem ad formam & similitudinem nostram*; Verùm S. Hieronymus transtulit, imaginem, cum Hebræus habeat, ad formam, & quia sunt duo modi formæ scilicet substantialis, & accidentalis: substantialis autem est illa, quæ dat esse rei, & sine qua res non esset; Cum autem Deo non possit attribui nisi forma substantialis, dicit textus, *faciamus hominem ad formam*, hoc est, *faciamus intemeratam Virginem*, quæ sit gubernatrix & Domina cælorum & universi orbis, quemadmodum nos sumus, eique attribuantur omnia, quæ nobis, cum sit tabernaculum nostrum, & ex ejus carne assumpturi simus carnem humanam, dignumque est, ut mereatur fieri ad formam nostram substantialem, hoc autem dicere debemus pro beata Virgine dici, non pro Adam, cum ei etsi magnam habeat potestatem, non attribuantur res, quæ tribuantur Deo, ut etiam B. Virgini tribuuntur; Nam Deus est Dominus Dominorum, & Rex regum; Inclita autem Virgo est Domina Dominarum, Reginarum Regina: Deus est gubernator orbis, Intacta autem Virgo universi gubernatrix: Deus est Dominus

dæmonum,

dæmonum, qui ab eo fugiunt, gloriosa verò Virgo est illorum Domina, & ab ejus nomine fugiunt, ut à nomine Jesu: Deus est Dominus Angelorum, & B. Virgo est illorum regina: Deus est Pater totius orbis, & inclyta Virgo Mater universi: Deus est Pater Christi, & gloriosa Virgo est mater: Deus est Pater Virginis immaculatæ, & & inclyta Virgo est Mater Dei: Deus post mortem suam intra tres dies resurrexit, & postea in Cœlum ascendit, & B. Virgo post mortem resuscitata fuit, & in cœlum assumpta: Deus est causa causarum, & gloriosa Virgo, tametsi causata est, & à Deo creata, tamen post Deum est causa omnium rerum. Unum tantum deest Virgini beatæ ad summam perfectionem, quod non est Christus; solus enim Deus dicitur perfectus extrema perfectione; verumtamen omnia alia quæ Deo tribuuntur, & perfectiones intemerata Virgo assecuta est, & possedit; Ideo dicit textus, ad formam nostram, postea ait, & similitudinem, sensus est, quamquã concedamus omnia privilegia, & dignitates nostræ gloriosissimæ Matri, nolumus tamen eam esse Deum, sed similem nobis; & ideo dixit, similitudinem, cum similitudo ex parte assimilari non undique significet. Psalmista Psalm. 100. *Similis factus sum Pellicano solitudinis*, non enim dicit se similem esse Pellicano corpore, alis, & pennis, sed solitudine & luctu: Ita inclyta Virgo similis est Deo in omnibus perfectionibus, sed non ut sit Deus; verumtamen cognita ejus summa perfectione, si Deus potuisset Deum fecisset; Cur autem Deus alium Deum similem sibi facere non potest, est quod ille Deus ab eo factus, esset causatus; Deus autem est causa, & non causatum: hoc autem solum defuit Virgini gloriosæ, quod est causata. Unam tamen præminentiam in B. Virgine comperimus, quod sæpe Deum legimus iratum, nolleque nostras preces audire, elementissimam verò Virginem nunquam iratam invenimus, aut indignatam, adeo ut eo momento, quo crucifixum filium in sinu tenebat, si Judas veniam petiisset, aut gratiam, certè illi non denegasset; tanta est ejus misericordia. Ad confirmationem nostræ rationis canit S. Mater Ecclesia, quoniam tu solus sanctus Mariam sanctificans, tu solus Dominus Mariam gubernans, tu solus Altissimus, Mariam coronans; Cum autem sanctificans, gubernans, & coronans sint participia, quæ utramque habent significationem; MARIA verò in accusativo Passionem ostendat, dico, quoniam tu solus Sanctus, id est MARIE dedisti sanctificationem ut posset mundum sanctificare: Tu solus Dominus, MARIE dedisti gubernationem, ut orbem regeret: Tu

solus Altissimus, MARIÆ coronam tribuisti, quæ posset coronare universum. Tot enim sunt ejus perfectiones, ut si nos effingemus Deum creare alterum mundum huic consimilem, qui milio repleretur, & in hoc, in quo sumus, non essent nisi cardueles, & aves, quarum pennæ linguæ efficerentur, quæ nihil aliud canerent quàm gloriosa Virginis laudes cantibus variis, ita ut quæ ante cecinerint amplius repetere non possent, eaque aves non comederent nisi granum milij triginta millibus annis, prius milium absumeretur, quam laudes Virginis gloriosa finem consequi possent, cum sint infinita. Ideo assevero textum: *Faciamus hominem ad formam, & similitudinem nostram*, pro intemerata Virgine dictum. Insuper reperi auctoritatem apud Doctores Hebræos, quæ magna ex parte nostræ opinioni adstriplatur; Dicitur in Beretith Rabba, hoc est genesi magna ad Rabbi Moysen Judarsam super textu Genes. cap. 5. *Factum est omne tempus quod vixit Adam*, ait Rabbi Jesue filius Levi, cum vidit Deus scientiam magnam Adæ, vocavit omnes Angelos, eisque dixit; humiliamini, & estote obedientes huic homini; magna eorum pars imperium receperunt, & illi sese flexerunt secundum Dei voluntatem; sathanas verò, id est, Lucifer major omnibus Angelis cum sua secta dixit Deo, ô Domine orbis, tu creasti nos ex claritate gloriæ tuæ, & nunc nobis imperas, ut inclinemur homini quem ex terra formasti? Respondit Deus, in hoc homine, qui ex pulvere terræ creatus est, plus sapientiæ, & intelligentiæ est, quam in te. Videns autem Deus sathanam eum sua secta nolle flecti, nec obedire huic homini, eum è Cælis expulit, & effectus est diabolus, & ideo dixit Isaias cap. 9. *Quomodo cecidisti Lucifer de Cælo, qui mane oriebaris?* Hanc ego auctoritatem de gloriosa Virgine loqui contendo, quippe cum propter eam Christus vocetur filius hominis; nec loqui de Adam duabus rationibus, prima quod Deus non præcepisset Angelis, ut Adæ inclinarentur, quem sciebat cito in peccatum casurum, secunda quod quamvis Adam esset intelligens, & sapiens, tamen plus scientiæ in Angelis erat; Auctoritas autem dicit in eo plus scientiæ reperiri; ergo loquitur de Virgine gloriosa, quæ est scientia, & sapientia totius orbis, & post Deum superior omnibus. Et quamquam ejus materia una cum materia Adæ creata fuit, nihilominus fuit, prima in ea ex excellentia; sequitur eam conceptam fuisse absque peccato originali.

Prophetiis: & hoc quatuor Testimoniis. Primum est Micheæ cap. 5. *Es tu Bethleem effrasa parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur.*

dicitur, qui Dominator sit in Israël, & egressus ejus ab æternitate, & à diebus sæculi. S. Hieronymus (mibi) prætermisit: præterea dixit, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis, nos autem ab hebraico non discedemus. Quod ait, ex te mihi egredietur, ostendit Messiam Deum, & hominem futurum: ex te, quantum ad humanitatem; mihi, hoc est, erit homo dignus, cui mea divinitas conjuncta sit, & egressus, linguâ hebraicâ, & etiam latinâ pluralis est numeri, cum sit quartæ declinationis, sensus est: egressus, & processus hujus Dominationis & Messix sunt duo, unus ab æternitate, id est, divinitate, alter humanitas, quæ est à diebus sæculi, convenitque hoc cum S. Athanasio, qui ait: Deus est ex substantia patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus. Verumtamen Athanasius dicit in sæculo accipiens nativitatem, Propheta verò dixit à diebus sæculi, quia cum formata fuit materia Adæ, inerat illi materia Virginis gloriosæ, ut diximus, & ejus pretiosissimo sanguini inerat humanitas Christi benedicti.

Secundum Testimonium est Isaia cap. 48. *Ego locutus sum, & vocavi eum, adduxi eum, & directâ est via ejus: Accedite ad me: Audite hoc, non à principio abscondito locutus sum, cum ex tempore fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus, hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israël &c.* Isaias loquens ore Messix dicit locutus sum: Nunc loquitur divinitas dicens, *Accedite ad me.* Sensus est. *Accedite, & audite quod dico, cum primùm enim locutus sum Adæ, eique dixi Genes. cap. 2. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, non locutus sum in abscondito, nec æquivoçè. Nonnulli interpretantur à principio, hoc est, cum Deus dedit legem Moyfi: id autem falsum est, quippe quòd non tunc primùm locutus est Deus cum genere humano; postquam autem locuta est divinitas, quæ nobis inquit præcepisse Adæ ut non peccaret, nunc loquitur humanitas, quæ veniebat ad redimendum ipsius Adæ peccatum: Cum ex tempore fieret, ibi eram. Hieronymus dixit, ex tempore antequam fieret, cum acceperit totum sermonem pro divinitate, nos autem accipimus partim pro humanitate, partim pro divinitate, & hoc tribus rationibus. Prima quod hebraus non dicit, antequam, nam si pro divinitate loqueretur, dixisset ut sanctus Joannes Evangelist. cap. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Secunda quod textus dicit Mebeth Heyotha, id est ab hora, qua fuit ipsa, demonstratione foeminea, hoc est ab hora creationis Adæ. Tertia quod Magistri Cabbalæ vo-*

lunt, ut supra diximus, Adonay, id est Dominum significare patrem, & Eloim id est Deum Filium; textus autem dicit, & nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus, qui est Spiritus almus; si enim filius mittebatur à Patre, & à Spiritu sancto, non mittebatur ab ipsomet, quoniam ipse erat missus, non mittens; Nam quemadmodum pater non est filius, nec generans generatus, ita mandans non est missus: necesse ergo nos dicere quod ex tempore fieret, loquitur de humanitate, innuitque textus, propter transgressionem præcepti ab Adam necessaria est incarnatio Filij Dei in me ob redemptionem, ut ex tempore fieret creatio Adæ: Ibi eram, quia ego eram in pretiosissimo sanguine meæ matris, & materia sua inerat materia Adæ: Et nunc Dominus Deus misit me, ego emanavi ab uno ad alium, utpote ex Adam, & Seth, & ex hoc ad Enos, & reliquos usque ad Joachim, & nunc Sancta Trinitas misit me, ut essem Redemptor Israël. Notandum est autem quod Magistri Cabbalæ volunt, Adonay, id est Dominum, id est, Dei misericordiam, & Eloim, id est, Deum, justitiam Dei; ideo dicebat Messias misericordiam & justitiam Dei se conjunxisse, cum necesse fuerit eas uniri ad peccati redemptionem, quippe quod si soli justitiæ remissa fuisset redemptio, numquam relaxatum fuisset, nulla enim condigna satisfactio redemptio fieri potuisset; si verò misericordiæ, absque pœnitentia fieri non poterat satis, quoniam justitia non remittit alicui, absque satisfactione. Dicit autem, misit me, numero singulari, ut Trinitatem in Unitate demonstret.

Tertium Testimonium est Jeremiæ cap. 17. *Solum gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ, expectatio Israël domus.* Jam declaravimus hunc textum de gloriosa Virgine loqui, quæ dicta est sedes Dei, sensumque esse, sedes Dei gloriæ & altitudinis Dei est immaculata Virgo, quæ à principio mundi creata fuit, factaque locus nostræ sanctificationis, qui est Christus expectatio Israël.

Quartum Testimonium est Adæ Genes. cap. 4. *Et vocavit nomen eius Seth dicens, quia posuit mihi Dominus semen aliud.* Diximus autem superius, quoniam pacto Adam videns, omnes animas ob peccatum suum perditum iri, ideoque 130. annis, postquam generavit Cain, & Abel, abstinuisse ab uxoris conjunctione, ne filios generaret, qui damnarentur; verumtamen postquam vaticinatus est adventum Messie ob quem salvandus erat, uxori sese conjunxit, generavitque Seth: & quia cognovit in se eam esse virtutem, ob quam generanda erat Virgo gloriosa, cujus pretiosissimo sanguini inerat Messias, vocavit

nomen

nomen filij Seth, quod est derivativum à pono, dixitque & vocavi nomen ejus dicens, quia posuit mihi Dominus semen aliud; sensus est: In me repertum est semen alienum, & virtus quædam, ex qua generandus est Messias. Reperi quandam auctoritatem apud Doctores Hebræos, quæ apprimè nostram innuit intentionem. Dicitur in beresith Rabba antiqua, hoc est in Genesi magna antiqua super textum Genesis cap. 3. *Faciamus hominem & reliquis ait Rabbi Symeon, quod sibi vult textus Proverb. cap. 18. Justus prior est accusator sui, venit amicus eius, & investigavit eum.* Sensus est; Quando veniet Deus, ut judicet orbem in die judicij totus mundus expavescet, & timebit diem illum terribilem, dicetque: Quis rogabit pro nobis peccatoribus? Tunc accedent ad David eique dicent, ô David Rex noster ora Deum pro nobis, quoniam ex te prodit Messias. Ipse autem eis Respondebit, ob hoc ipsum quod dicitis, non sufficio; Nam ex me multi Reges prodierunt, qui in multis Deum offenderunt; Præterea ego sum infensus Deo ob peccatum Bethsabeæ & Uriæ. Tunc accedent ad Moysen, dicentque, ô Moyses Magister noster, tu qui dedisti nobis legem esque fidelis Dei servus, ora Deum pro nobis. Respondebit illis, non sufficio, quandoquidem rogavi Deum sineret me ingredi in terram promissionis, & oratio mea audita non fuit, quod si pro me potis non fui, quomodo pro aliis ero? Illi autem ad Jacob se conferent dicentes, ô Jacob Pater noster, tu, qui generasti duodecim tribus Israël, rogato Deum pro nobis. Ipse respondebit, non valeo, quippe quod duas sorores uxores duxi utrâque vivente. Accedent postea ad Isaac rogantes, ô Isaac Pater noster, tu, qui amore Dei immolatus fuisti, ora pro nobis, ipse verò respondebit, non sufficio, quoniam ex me natus est Edom, qui fuit idololatra, & Templum Dei destruxit. Tandem ad Abraham se recipient, eique dicent, ô Pater noster Abraham, tu, qui voluisti filium tuum immolare amore Dei, ora eum pro nobis. Ipse itidem respondebit, non sufficere quoniam ex eo prodierit Ismaël. Cum ergo neminem invenerint, qui pro ipsis precetur, dicent, eamus ad primum hominem, qui oret pro nobis, qui est absque peccato, & macula; & hoc est quod dicit textus, justus prius accusator sui. Ita D. Hieronymus transfudit ut textum glossaret; verumtamen Hebræus sic habet: *Justus primus in lite sua;* Et dicent, ô homo prime, cum nos omnes emanemus abs te, qui es à peccato immunis, ora Deum pro nobis. Ipse autem respondebit: pro quo rogaturus sum? si pro filijs justis, non est necesse, si pro iniquis,

& iis, qui quantum in se fuit Deum offenderunt falsò jurantes nomen ejus, & pejuniam mutuantes ad usuram, peierantes, blasphemantesque legem ejus, & Sanctos, propter quos dixit Jeremias cap. 5. (Negaverunt Dominum, & dixerunt, non est ipse) preces effundere nolo, quippe quod omni beneficio careant, sintque omnino damnati. Sed orabo pro iis, qui nec omni ex parte sunt justi, nec impij, cum hi filij mei sint, tametsi propter merita sua id assequi non debeant. Tunc venient omnes SS. Patres, Reges, & justi ad primum hominem dicentes, optime homo, & prime parens noster, tu, qui creatus es, manu Dei, & à peccato es immunis, precare pro nobis Deum, quia nos non sufficimus. Tunc veniet primus homo rogabitque Deum pro eis; Deus autem judicabit bonos, & justos propter suas operationes bonas, & mediocres propter preces primi hominis vitæ æternæ adjudicabit, malos autem, & impios perditioni perpetuæ. Hoc autem est quod dicit textus, *Et venit amicus eius & investigabit eum instar elocutionis Cantic. cap. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Ex his omnibus colligitur auctoritatem præmissam de gloriosa Virgine loqui, cum omnes Patres Sancti ad eam rogatum accedent, testabunturque hunc primum hominem esse ab omni peccato immunem; quod non cadit in Adam, qui totum orbem condemnavit peccato suo, quod majus fuit peccato Judæ. Textus autem secundum Hebræum dicentis, *Iustus prius in lite sua, & venit amicus suus, & investigavit eum,* sensus est; Hic primus homo, qui est B. Virgo, ob quam Christus filius hominis vocatur, justus est in lite sua, qua in peccato originali conceptam fuisse accusata est, & venit amicus suus, id est, Deus, & hanc litem investigavit, protulitque sententiam dicens, *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quam quidem auctoritatem ad confirmationem nostræ rationis Doctores Hebræi adduxisse videntur.

Ex omnibus his Prophetiis clarissimè ostenditur materiam Virginis inclitæ factam fuisse cum massa Adæ, ut diximus. Restat Probandum à nobis istud ex Evangelist. Primo ex Luca, cap. 1. *Et peperit filium suum primogenitum.* Primum autem est correlativum, cum non possit dici primus, nisi ubi est secundus, sed quia intemerata est Adæ prima causa, Adam verò ab ea processit, quamquam in eodem tempore fuerint, ut sol, qui est primus in eadem claritate, suntque in eodem instanti, tamen claritas solem præcedit, ita inviolata Virgo cum

Adam

Adam, qui ab ea processit, & ab Adam totus orbis derivatus est, omnes sumus filij Virginis immaculatæ; verumtamen verus filius, & primogenitus est Christus, exempli gratiâ aliquis rex multos filios naturales procreabit, antequam dueat uxorem, ex qua filium fulcipit, certum est hunc primogenitum esse; Ita dicendum de Virgine gloriosa, à qua tamen totus orbis procedat, ejus tamen primogenitus est Christus; Ideo dixit Evangelista. *Peperit filium suum primogenitum.* Secundò extat dictum S. Joannis Evang. duobus in locis primo cap. Quando sacerdos, & Levitæ Jerusalem miserunt Phariseos ad interrogandum S. Joannem Baptistam in deserto, qui eis respondit; *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Et alibi cap. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui Tollit peccata mundi; Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est.* Ex hoc sermone dicere debemus intentionem materiam esse veram, quoniam si dixerimus, quod qui ante me factus est, loquatur pro divinitate, falsum erit, quia dicit factus est, & filius solo à patre non factus, nec creatus, sed genitus; Si verò dicemus eum loqui de adventu ejus in hunc mundum, itidem falsum erit, quippe cum S. Joannes sex mensibus ante Christi nativitatem natus sit; Nam cum gloriosa Virgo statim post salutationem accessisset ad S. Elisabeth eam visitandi gratiâ, D. Joannes in utero matris exultavit, & se Christo concepto inclinavit, sequitur non de adventu Christi dici, veramque esse opinionem meam, Virginem immaculatam factam fuisse ex meliori parte massæ Adæ, & ob id absque peccato originali conceptam.

*Reliquum est ut respondere debeamus & satisfacere
Primo & Secundo argumento S. Thomæ.*

Quantum ergo ad Primum, quo ait Christum non fuisse verum filium B. Virginis, nec etiam ex vera stirpe, unde processurus erat; eadem enim argumenta fient contra nos, cum dicetur immaculatam Virginem non fuisse filiam S. Joachim, dicimus nos satisfacturos Aristotelis, & Plinij auctoritate. Aristotelis in primis 18. de animal. ita dicentis, in Socrate est virtus socratis propria, & etiam virtus parentum, & auctorem, & cæterorum prædecessorum tam paternorum, quam maternorum & hoc usque ad ultimum, est in eo enim virtus hominis

minis, & deinde virtus animalis. Cum ergo virtus socratis est fortis, generatur masculus, si debilis, foemina; si autem vincit virtus propria socratis, assimilatur socrati sive mas, sive foemina; si vincit virtus Patris socratis, generatur filius similis non socrati Patri, sed avo, ita deinceps ascendendo; & si deficit virtus cognationis, generatur homo nulli de parentela similis, si autem deficit virtus hominis, ubi deficit motus omnium manet virtus generationis monstrua, & sic etiam proceditur ex parte matris. Item idem Aristoteles lib. 7. de histor. animal. similes etiam aliqui parentibus, aut avis, suisque majoribus generantur, aliqui similitudinis nihil referunt. Redditur etiam vel post plures ejusdem prosapiæ ut in Sicilia ejus, quæ adulterium cum æthiope commiserat, filia non colorem patris æthiopis retulit, sed qui natus ex hac est, is avum æthiopem degeneravit; foemina magna ex parte matri, mares patri proveniunt similes; sed fit & è diverso, ut foemina Patri, mares Matri similes procreentur. Plinius autem lib. 7. natur. Histor. ita scribit. Similes quidem alios avo, & ex geminis quoque alterum Patri, alterum Matri; quandoque post genitum majoris similem fuisse secundò genitum, quasdam sibi similes semper parere, quasdam viro, quasdam nulli, quasdam foeminam Patri, Matrem sibi. Indubitatum exemplum est Nicei nobilis Pictoris Bisantis geniti, qui adulterio æthiopis nata matre nihil à cæteris colore differente ipse in avum degeneravit æthiopem. Ex verbis Aristotelis ostenditur causam, cur filius Patri assimilatur sive parens sit, sive non, sive etiam monstruosus sit partus, esse virtutem fortioiorem generantis; certumque est hunc foetum, vel dissimilis sit Patri vel monstruosus, filium esse generantis; nam si hoc non esset, ordo mundi confunderetur, si enim quispiam filium generaret, qui nulli ex parentibus assimilaretur, & propterea eum exhæredaret tanquam non suum filium, omne genus principatus & regna funditus everterentur, nec sciretur cujusnam homo filius esset, aut cujus generis; & genealogiæ & leges falsæ essent, filius est ergo quilibet generantis, quemadmodum & æthiopes, qui filios generant albos: Doctores Hebræi cum lex prohibeat ab esu nonnulla animalia, quæ sunt immunda, aliaque munda concedat, animal mundum exemp. grat. vacca pariet vitulum, qui equo assimilabitur, aiunt posse comedi; nam etsi equo similis est, filius tamen est ex genere vacca; è contrario si equa pariet pullum, qui vitulo assimilatur, non posse comedi, quippe quod equus est, & ex genere equæ. Quidam Doctor hebræus nomine

nomine Haon in quodam tractatu suo, qui inscribitur Cepher harmeionorch, hoc est liber experientiae, scribit evenisse in herba apud saracenos quemdam ex adulterio asinae filiam generasse, eique nubili conjugem dedisse, illa autem nunquam passa est conjugis complexum, nisi eo tempore, quo natura bruta sollicitat; Tunc maritum infecuta pragnans facta est, & mox dum infantem aleret, nunquam marito consentit usque ad tempus naturae debitum. Præterea idem Doctor ait hanc puellam caruisse perfecto hominum sensu, & discretionem, nam ubicunque hordeum nancisci poterat, comedebat. Consequens est ex auctoritate Aristotelis & Plinij, & experientia rerum Magistrâ, ut cum virtus æthiopum transferat ad alteram generationem æthiopum generatorum, & puella ab asina concepta filia fuerit generantis; quamquam ex virtute monstruosa, intemerata Virgo, quæ concepta fuit virtute honorifica & Messiae filia sit S. Joachim, & omnium ascendentium. Satisfactum est primæ & secundæ quæstioni, utpote quod cum gloriosa Virgo fuerit filia S. Joachim & omnium ascendentium, satisfactionis ordo non sit amissus.

Præterea quoad secundum Argumentum dicimus, quod eo modo, quo afferimus materiam Virginis intemeratæ fuisse cum materia Adæ, ipsamque primam in causa eidem Adæ, ab eoque orbem emanasse, fortiorem fuisse congruum satisfactionis ordinem contendimus; Nam cum pretiosissimo sanguini B. Virginis inesset Christi corpus, congruum est veniret Christus ad purgandum, ignoscendumque peccato; sicut enim cum aliquis puer forte domum sordat, atque deturpat, vocamus ejus matrem, ut mundet, & tergat filij sordes, Ita Christi humanitas veniret ad diluendas immunditias, quas Adam fecerat. Satisfecimus argumentis præmissis, in quibus D. Thomas contra nos sentire videtur. Verumtamen in primo sent. dist. 44. argumento 3. sic ait: B. Virgo fuit immunis à peccato originali & à peccato actuali. Si autem mihi obijciatur maximam partem sacrorum Theologorum pugnare contra nos, qui omnibus argumentis & rationibus eorum non satisfacimus, dicemus causam esse nostram ignorantiam, & inbecillitatem, verumtamen unum illis responsum paratum habemus veriora, & credibilia esse verba Prophetarum quæ adduximus, quam eorum argumenta præter alias rationes, quas diximus. Ad quæ accedit auctoritas S. Matris Ecclesiae, quæ instituit officium præstantissimum, & indulgentiam non mediocrem dicitur. Quod si interrogabimur: si beata Virgo concepta fuit absque


absque peccato originali, obiissetque ante filij Passionem, quoniam ejus anima evolasset? Ad inferos æquum non erat descendere: In Paradisum non poterat, quod adhuc portæ non patebant. Respondemus duobus modis. Primo quod in neutrum locum accessisset, sed ad alium locum cælorum sanctissimum. Secundo dicimus propositionem de obitu ejus ante Passionem, non habere locum, cum impossibile esset eam obire ante Passionem, tribus rationibus. Prima quod jam institutum erat à Deo, ut Passionem filij videret. Secunda quod necesse erat intervenire remissioni peccati, cum omnia, quæ in perpetrando peccato intercessere, ejus relaxationi intervenire deberent, ut supra plenissimè probavimus. Tertia quod Deus neminem obire facit ante tempus constitutum, nisi una ex duabus causis, aut ob scelera sua, quibus mortem mereatur, aut ob virtutes, & bonitatem; Nam quia Deus sciebat forte hunc in peccatum recasurum, & ob id damnandum, propter misericordiam suam non finit hanc animam perditum iri, facitque mori tempore justitiæ, & bonitatis. Cum autem immaculata Virgo esset Sancta, Sanctificataque ante ejus adventum posteaquam fuit, & est sanctissima absque macula & peccato alicujus generis, non poterat ante tempus obire, quippe quod à justitia divina non potest aliquid injusti procedere.

Hæc sunt quæ nobis visa sunt de conceptione intemeratæ Virginis MARIÆ, subjicientes nos emendationi eorum, qui doctiores sunt, & plus sapiunt. Vale qui legis, & ora pro nobis.

Carmen in commendationem Operis.

Diva salutifero colimus data pignora partu
 Et cadit in Templis Hostia multa tuis.
 Sacra refert: cumulatque novis altaria donis
 Datque vaporatis mystica vina focus:
 Qui Patrio pugnat tabo cecidisse minores
 Nec tu libato palmitum gemma tumes.
 Aëre mens pelagus preme Victor Heredia portum
 Dum sedam generis non trahit illa notam.
 Ibis docte liber: sceleratas vrere mentes
 Jam potes, & tetricos pervolitare viros.

Antonius Byaxander Siculus.



P E T R U S M O N T I U S

Vel Montis Philosophus in libro, cu-
jus Titulus est: de unius legis veritate
& sectarum falsitate, Impresso Me-
diolani, impensis Ioannis Iacobi de
Signano Anno 1509. cap. 24. post
alia multa, quæ non pertinent ad rem
nostram, prosequitur sic :

De Morte Animæ & Corporis. CAP. XXIV.

QUoniam in hoc libro de variis causis aut legibus salvandi
& condemnandi tractamus : etiam aliquid de variis pecca-
tis inferemus, & primò quid sit mors animæ, & quid mors
corporis diffiniemus, hinc tamen succinctè transeundum est, & ubi
oportunitus erit plenè tractabitur, & prius de morte animæ explicabi-
mus : quæ intelligitur dum propter aliquod peccatum sui creatoris
gratiam deperdimus. Corporalem verò mortem animarum scilicet
& corporum separationem esse dicimus.

Et hinc nonnulli inquirunt : non inveniri punctum mortis ponendo
comparationem inter vigilare & dormire, dum somnium concipi-
mus & vigilare conamur, ubi oculos claudimus & aperimus. Sed si
quisquam loquitur, id quod dicit audimus : non tamen determinatè
intelligimus : nec aliter moriendo manemus : & mori dicitur illud

spacium, quo sensus dirumpuntur: & corpus trepidare incipit, quo-
usque vitales spiritus depereunt, & eodem tempore quo morimur
mors nuncupatur, non antè nec postè, sed mors capitur de
eo qui primum vixerit: qui enim per aliquod spacium non vivit,
mori minimè potest.

Unde dicendo, morte morieris, intelligitur quod anima post unio-
nem corporis munda vivat per aliquod spacium, priusquam in eam
macula ingrediatur: propter quod probamus humanam naturam non
esse totaliter infectam, sed solum quòd obligatio in quemlibet par-
ticularem hominem cadat. Quòd si morituri sumus, necesse est
quod prius vivamus, verùm quod post corporum & animarum re-
surrectionem mortem dicemus: de illis qui apud inferos punientur.
Sed priusquam vivamus non competit dicere nos mori, ex eo quod ho-
mines non fuimus, & quoad naturam & rationem prius est esse, quàm
non esse: prius bonum quàm malum: & prius positio quàm privatio:
Quia bonum super malo fundari non potest, nequidem positio super
privatione. Unde palam fit quod patres in spermate nullam maculam
inferunt nascituris filiis: immo quilibet particulariter in defectu
quodam seu imbecillitate reperitur.

Sanctus Joannes Baptista de adventu Christi loquens ait: post me
veniet qui ante me factus est, & Christus in eo quod Deus non fa-
ctus, non creatus; sed generatus tantùm. Idcirco quum Joannes dicat
qui ante me factus est, de ordine divino loquitur in quo Christus
primus omnium hominum est, tamen in matris utero post Joannem
generatus: licet primus in ordine rerum: & quòd bona vel princi-
palia sint antea quàm inferiora in præceptis Dei facillimè compro-
batur. Præcepta enim antequam aliqua prohibeant, Deum & proxi-
mum nos amare jubent: & pariter primis parentibus mandatum est
de omnibus fructibus paradisi manducare. Postremò verò prohibi-
tum de arbore scientiæ boni & mali: ita quòd meritò asserendum
est beatam MARIAM in divino ordine descriptam esse priusquam
Adam & Eva.

Quomodo peccatum capiatur. CAP. XXV.

ASserimus varias esse peccatorum species, utpote mortale, veniale
& originale. Mortale illud appellamus: quod nobis absolutè à
divina

divina lege prohibetur jubente ne occidas, quod intelligitur ne tale scelus patremus, nec diligentiam adhibeamus ut fiat. Quòd si determinata & iniqua voluntate id egerimus: quamvis in effectum minimè à nobis perventum fuerit: si non sit pœnitentia, in pœnam sine fine condemnaremur, nulla enim virtus nostra nos coëgit, nisi tantum ipsamet temporis oportunitas. At verò ad rem actus deducendo gravior culpa efficeretur. Semper autè detestandù est velle malè agere. Non enim Luciferum reprehendimus inferendo quod inæqualitatem cum Domino Creatore suo attigisset: nisi quod cum determinatâ inobedientiâ statuit se cum Deo altissimo æquiparare propter quod fuit ad inferora tartara & caligines depulsus.

Quomodo veniale peccatum facile dimittatur.

CAP. XXVI.

Veniale peccatum ejusmodi conditionis est, quod de facili suis nexibus exolvitur: licèt nequaquam sit sine aliqua gravedine sive obligatione, quia aliter non adèò horrendum peccati nomen adhiberetur: quamvis facilitatis parcendi cognomen obtineat, & dum mortaliter aut venialiter peccamus de facili percipitur.

Nam quotiescunque prava opera perpetramus, ex perversa voluntate mortaliter peccamus. At dum facilè & sine iniquitate erramus, venialis erit illa culpa: uti per viam transeundo ob aliquam necessitatem racemum vuz aut aliquem similem fructum decerpimus. Quoniam de facili solutionem circa Deum & vineæ possessorem adinventimus. Sed accipiendo quæcumque in vinea sunt, arduum erit ut Deus & vineæ herus placetur.

Diffinitio peccati in se. CAP. XXVII.

Peccatum in se nil aliud est, quàm qualitas seu quædam obligatio ab incorruptis operibus emanans: sed eam dicimus magis ac minus gravem secundum illa opera quæ patramus, licèt ignari arbitrentur quòd sit res substantialis novitur creata tanquam malignus Angelus: quod aliter se haber, hic enim peccatum pro culpa seu obligatione appellatur: quamvis dæmones ad puniendos scelestos officio fungantur: & ista communis consuetudo est puniendi malos, cum aliis scilicet perversis ac deterioribus.

Originale peccatum in progenie Adæ prius fuit quàm aliquod aliud peccatum : quamvis in Adam actuale seu mortale fuerit & non originale. Quinimmo aliter in successione se habet, nobis enim gratia denegata fuit in nostra conceptione promissa : apta siquidem ad nos in gloriam deducendos, & istud originale peccatum, quum actuale non sit, difficulter cognosci poterit. Quia dum non erramus minimè per naturam medium cognoscimus, ejusmodi expulsionem competens. Quoniam in peccatis actualibus facilliter quantum erramus & quid pœnæ mereamur dignoscitur : & in originali culpa minorem cognitionem nanciscimur : eo quod talis casus est tanquam exilium citra amorem Domini nostri & gratiæ carentiam. Quum verò solus Deus nobis gratiam elargiri potest, & in suum amorem reconciliare, à fortiori sibi soli competit, nos de carentia & originali defectu habilitare : pro cujus rei remedio baptismus est ordinatus, attamen à quibusdam conceditur, & à quibusdam negatur, quod enim divina lege caret, minimè potest de facili cognoscere, quod ab origine aliquid difficultatis adducatur, ad finem nostrum obtinendum, licèt quod qui animæ immortalitatem & gloriam sive perfectam quietem considerat : palam inveniet gratiam super naturali cursu esse habendam. Unde necessariò oportet aliquatenus habilitari à Deo supernaturali tributo.

Utrum injuria illata sit generationi Adæ, propter quod exilium habuit. CAP. XXIX.

UT clarius videatur utrum injuria illata sit generationi Adæ ob exilium extra gratiam Domini sui, quoddam exemplum subnectam. Scilicet : quod propter malos alicujus militis mores, princeps pœnam tribuit : & tandem exulem proseribit : quamvis meritò posset majorem punctionem tradere. At dum princeps clementiâ uteretur vitam concessit : quanquam ipsum cunctis bonis expoliet, & à regno proseribat. Verumtamen exul penes rationem quotidie debet sua mala opera detestari, & assiduè sui Domini clementiæ gratificari, eam laudando, ex quo ipsum vitâ non privaverit : quum justitiæ locum præbuisset ; & quamvis postmodum ex eo filij essent nascituri,
non

non possunt de jure petere bona à patre amissa : nec princeps ad restitutionem teneretur, nisi pietate & clementia ductus hoc ipsum ageret. Sed de his exulibus sæpenumero accidit, quod dum principem cum perseverentia laudant veniam Dominus largitur, & in patriam restituit, atque interdum princeps quoque suorum filiorum cum illis qui exules erant affinitatem gerunt, oportet autem quod legitimi sint illi qui cum sanguine Domini conjugari debent : nam si spurij sunt non erunt apti ad obtinendum tantum beneficium : quum non solum debeant suis parentibus adæquari, immo multo superius ascenderent ; eo quòd cum regiis filiis conjugari debent : ex quo non sufficit legitimatio post nativitatem : nisi quòd legitimi nascantur, namque aliter in quoquo modo spurij vocarentur.

Et quemadmodum de principibus ac subditis dicimus, intelligendum est Deum erga humanum genus fecisse, dum primorum parentum culpa exulabat.

In discursu verò temporis aliqui sanctè ac justè viventes assidè exclamabant : Dei altissimi misericordiam explorantes : adèd quod Deus optimum zelum cognovit, videns neminem esse qui gloriam possideret, quæ fuerat ab initio mundi pro homine constituta, propter quod & Deus filio suo jussit, ut humanam carnem assumeret, cum generali privilegio habilitandi quicumque eum assequi voluisset.

Præterea tenemus Deum dixisse : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* : Et eo modo primogenitus. At quas sibi ipsi adèd insanus est ut censeat Deum filio spuriam matrem dedisse sanctæ Annæ filiam ? maxime quòd per ipsam oportebat ad gratiam recipendam ordiri : pariterque ad obtinendam hæreditatem quam prius Adam & Eva perdiderant.

De Sancta Anna nullum quidem inconveniens reperimus : ut videatur Deum non debuisse aliquam sibi gratiam agere : scilicet quod citra obligationem filiam non concepisset. Et si quisquam fortasse dicet : quod respectivè ad statum innocentie non habuimus sufficiens medium cum lege Christi. Respondetur quod lex gratie perfecta est & multò tutior quàm lex innocentie : quamvis in ipsa minus inconveniens occurreret. Sed peccando difficulter remedium consequi potuissimus.

Verùm in Christiana lege facillimè adipiscitur : Unde non oportebat quod Deus nos in statum innocentie deduxisset : præcipuè quòd si iterum peccaremus, Christus non amplius ad nos redimendos

mendos veniret : eo quòd unam tantùm mortem & non plures passurus erat.

*Quòd quisquam dicere posset; qualiter nos scire possumus
in nobis peccatum esse?* CAP. XXX.

Nonnulli inferre possunt quomodo sciamus in nobis esse peccatum, hoc autem brevi expediam. Peccatum enim nil aliud est quam error : & quòd sapius in errorem incidamus omnibus patet, idcirco propter errores & discordias, qui inter humanum genus corruunt, quidam sancti & sapientes viri scrutari voluerunt, unde istorum malorum initium excreverit. Adeò quòd tum per indagationem, tum verò per divinam revelationem, ad majorem partem illius quod inquirebant attigerunt, & hoc non immeritò, quia dum videmus plures homines, quod Deum opificem nostrum ignorant, pariter & rectas obsequendi consuetudines desinunt, argumentum assumimus : Quòd aut ex parte Dei, aut nostra provenit. Non ex parte Dei, Quoniam summè bonus, igitur ex nostra, & quia à natura liberi sumus, ut experto apparet, per consequens constat nos ultro apud Dominum erravisse : & contra Deum errare peccatum dicitur, nam contra salutem, seu animarum vitam in tale opus pergitur. Quoniam verò animæ corporibus digniores sunt, dum adversùs finem ipsarum aberramus volentes horribilitatem assignare, peccatum nominamus : nec immerito, nam quoad veritatem error animæ, respectivè ad errorem circa corpus, gravissimus est. Ideoque errare dicitur secundùm animam, & quia plerunque non amamus Deum neque proximum uti decet, sed potius quamplura alia mala in nobismetipsis & aliis admittimus, manifestè nos peccare demonstratur. Quoniam verò per nos ipsos peccare scimus, & sine lege verum remedium accipere nescimus, constat, quòd peccandi origo à nostris operibus provenit. Si enim Deus naturaliter vel intrinsicè nobis artem, seu peccandi voluntatem dedisset, modum quoque curandi peccata nostra tradidisset. Quia aliter Deus invalidus magister esset, de quo absurdum est talia excogitari.

*Qua de causa ad probandum intentiones nostras in lege
assumptas oportet primitus in littera fundari &
non in sensu allegorico sive aliquo aliter
remoto.*

CAP. XXXI.

Quoniam de originibus legum multi multas expositiones tradunt
videndum est an aliqua lex in se sit absque significacione ad
aliud: aut si omnes inter se invicem referuntur. Quia sæpenumero
dum allegoricas expositiones seu per significaciones aspiciamus, vide-
tur tanquam de primis & secundis intentionibus loqui, seu de ente
reali & ente rationis, ac de legibus, nulla tanquam imaginaria se
habet: licet minùs perfecta ad perfectiorem referatur: Verùm in se
assumpta realis est.

Lex verò innocentiae tanquam perfecta ad nullam aliam refertur:
& lex naturæ, quæ, postquam primi parentes peccaverunt, usque ad
Moysem duravit, aliquo aliter ad legem mosaicam referebatur, & etiam
ad legem Christi: tamen imperfecta pauca siquidem de perfectione
hominum & unione cum creatore aperiebat.

Lex mosaica eo quòd clarior & altior erat apertius de Deo
omnipotente loquebatur: & Messiam perfectorem legis incessanter
convocabat: & sic lex scripture in pluribus locis ad legem advenien-
tem, tanquam ultimè refertur, quam nos Christi legem esse testa-
mur. Sed lex naturæ & mosaica non videntur cum lege innocentiae
conformari; causa: quòd alteram legem exposulabant: quæ instar
esset cum lege innocentiae, & ideo nos non tenemus, quod lex
Christi sit ad similitudinem legis innocentiae, nisi æquivalens cum
ipsa dum eam observare volumus.

Sed observare vel non observare nulla est legis difficultas: nisi
quia nos volumus aut nolumus: in se tamèn perfecta est, ut per omnes
Prophetas eam petentes constat.

Nec est asserendum: quòd lex innocentiae dicatur tanquam sig-
nificativa ad legem Christi: nam in se vera, & non referenter ad
aliam: quamvis nonnulli exponant veluti dicendo: arbor vetita seu
scientiae boni & mali nil aliud erat quam sensualitas nostra, vel ap-
petitus ad malum: & arbor vitæ rectæ siquidem cogitationes, &
amor in Deo, hæc verò expositiones nullatenus stare possunt: quum

Sacra Scriptura præcisè de altera arbore vetita, & altera vite dicat. Et ulterius quod non habemus ubi Adam & Eva præceptum Domini transgressi essent, nisi in comestione vetiti fructus: & si alius fuit error, cur nam ille alius non inscribitur, ut de comestione fructus scriptum est?

Et quia nos non possumus exponere taliter quòd litteræ contradicamus: omnino tenendum est, quòd omnia de lege innocentie scripta actualiter talia fuerunt, ut legimus: quamvis sæpe declarare oporteat illud quod obscurum est. Sed dum totaliter à textu deviat, tanquam fabula narrari videtur.

Quidam in exemplo de lege Scripturæ inquit: quòd redemptio judæorum de captivitate Ægypti, de captivitate diaboli intelligatur: eo quod Christus venturus erat ad nos redimendos: & accessus in terram promissionis sive in civitatem Jerusalem de cælesti patria & gloriæ civitate assumatur. Tandem similes expositiones absolute insufficientes sunt. Christus enim ait non veni solvere legem, sed adimplere. Unde per ipsum redemptorem propalatur, quòd lex moysaica in actu fuit & non ficta aut tanquam secunda intentio: quamvis semper corporeis miraculis alia spiritalia & altiora expectabantur.

Nam per visibilia ad invisibilia devenimus, sed non propter hoc decet inferre quòd visibilia in se facta sint vel tantummodo ad spirituale referentia. Quoniam veluti auctoritatibus de Christo loquentibus fidem adhibemus. Idem & alia quæ in byblia narrantur pro veris tenenda sunt, tametsi plerumque duo significata habeant: sicut dum Moyses extulit serpentem ad exhibendam infirmis sanitatem: quod similiter oportebat quòd Christus in patibulo sublatus esset, ut peccatorum animas curaret. Utrumque autem verum est, tamen cura animarum est corporeâ præstantior:

Dumque aliter exponimus, ex propria auctoritate declinamus, à natura enim & consuetudine datur contra deficientes in uno in altero nullam fidem adhiberi.

Prologus de Conceptione.

IN altero volumine nonnullas partes de conceptione Domine nostræ inscripsimus. Verumtamen quum conceptio principium hominum sit: & in omnibus de principio sæpenumero meminisse, & meritò pluries ac pluries de conceptione agere debemus, ut faciliè quisquam percipiat,

percipiat, an liberi simus aut in ligamine concepti : si enim tamquam naturaliter factum peccatum seu maculam majorum nostrorum origine non deducimus, plura præcepta quæ in lege contenta sunt frustra proculdubio videntur. Quia secundum sacram Scripturam, Christus seu verus Messias erat ad vitam beatam consequendam venturus.

Tametsi plures inquam quod non decet de conceptione Domine nostræ amplius disputari : quum homines ad errorem deducantur : & de aliis quoque scientiis scitu difficillimis idem aiunt.

Ad quod siquidem nos respondendo dicimus, quod dum in primis de conceptione agimus, non de Domina nostra particulariter assumpta, verum de omnibus hominibus universaliter agimus. Attamen ut rectè intelligamus : explicandum est quid peccatum originale sit ; quanti sit ponderis, & quo pacto à nobis eijciendum : & utrùm sint omnes eadem maculâ comprehensi. Si enim omnes absolutè dicerentur, Christus itidem inter omnes esset assumptus : sed quia Christum liberum esse dicimus, ad alios homines descendimus.

Quoniam verò Domina nostra cum Deo maximam habet affinitatem, ferme tanquam deam ipsam consideramus. Quamobrem honestè petimus an ipsa in originali peccato ceciderit, quum Deus nullam possit habere maculam : nequidem dij, si plures dij essent. Quum autem Domina nostra Mater Dei vocetur ; quò gradu Mater Dei, eodem Dea. Nulla enim recta generatio dari potest : quin filius Patris nomen assumat, ut patet, quum hic homo sit filius alterius hominis.

Et sic quum Christus Deus & beatæ **MARIÆ** filius, oportet quod sub hac fraternitate ipsa Dea vocetur : nam si per bona opera alia homines dij nuncupantur, multo magis Mater Dei Dea est, & nullus Deus potest habere peccatum, Domina nostra est Dea, igitur peccatum contrahere non potuit.

Et tamen nonnulli gratiâ disputationis vel aliufmodi de Domine nostræ libertate dubitare videntur. Ideoque rationabiliter disputatur, An Domina nostra in conceptione ejus libera, an verò maculata fuerit : hic enim plura de ordine Dei hominibus tributo videre possumus, veluti de præcepto amandi Patrem & Matrem.

Verum omnes disputationes præsertim in similibus moderandæ : semperque ad meliora dirigendæ. Idcirco si fratres Sancti Francisci atque Sancti Dominici de hac diffentione convenire nequeunt,

dimissis omnibus argumentis meliora sive honestiora assumant. Quidve aut melius sit cum peccato an sine peccato omnibus constat.

Qui tum si forsitan in principio non assumpserunt viam demonstrativam ad ostendendum suas intentiones & postmodum causa perfidiæ nolunt dictis alterius partis acquiescere. Alij homines qui potius liberi sunt à diuturna passione, dum accedit meritò de conceptione scribere debent, ut an fortè convenire possimus percipiatur.

Quandoquidem & quælibet confusio expellenda est: & ignorare tam confusio vocari potest, ac si super aliqua re adversà alterutrum disputaremus.

Et hîc quamplures valde decipiuntur, scire nolentes, quæ de ratione omnes homines scire debemus: & non modo errorem committunt ignorando ea, quæ scire deberent: quin potius ex eo quòd volunt sapientes seu minus ignorantes reprehendere, asserendo: Deus scit ista, quidnam nostrâ intererit: nos legem credimus.

Et in Evangelio Christi habetur? *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit.*

Contra quos tamen dicimus, quòd Deum omnia scire nil dubitamus: Sed petimus quid credendum sit, & quâ aquâ baptizandi simus, ut salvi fieri possimus. Verba enim Evangelij absolute inquirunt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* Sed non declarant credendum esse in Deum vel aliam rem, nisi baptizandum aquâ Spiritûs sancti, aut alia communi aqua, liquore, vel quomodolibet. Absolute etiam: *In nomine Patris, Filij & Spiritûs Sancti* baptizari jubet: & hîc non aperit: de quo Patre, Filio, aut Spiritu Sancto: Unde necesse est ad alia præcepta deveniri. Quemadmodum Christus vult per universum orbem terrarum Evangelium, atque regnum Dei prædicari, & Evangelia naturam, adventum, vitam & Passionem Christi, errores nostros, ac modum vivendi ad vitam beatam adipiscendam, declarant. Quòd si hoc præcisè Christi discipuli omnibus hominibus prædicaturi erant: curiam ipsi homines eadem evangelij præcepta audire, intelligere, concipere & observare non debuerint? Nam si omnes homines audire nolissent, ad quid prædicaturi erant Apostoli? ex eo quòd omnino sine proposito fuisset. Unde aperte probatur qualiter quispiam in quantum potest addiscere debeat, quæ cunque in lege continentur. Quippe quod per creditum absolute, si non scimus præcisè id quod creditur: nunquam salvi fieri possumus.

Quoniam

Quoniam etiam Hebræi & Mauri in Prophetis suis credunt, & alii quamplures, qui nullum Deum cognoscunt, aliquas creaturas credunt, utpote Solem & Lunam, quidam etiam nonnulla bruta animalia. Idcirco oportet quod Deum sciamus ad hoc, quod ipsum verè credamus. Nam quum regnum Dei prædicare dicat, de ipso Deo intelligendum est.

Deus enim & regnum suum convertuntur, & sic qui ad sciendum omnia in lege contenta insudare nolunt, tanquam rudes dijudicandi. Qui si fortè in fide parentum salvari præsumunt (opinio siquidem vana) hoc enim privilegium tantummodo pueris atque insensatis datur: & non iis qui ætate & loco habiles ad sciendum hæc & alia in lege necessaria, taliter quod excludenda est illorum opinio, qui contenta in lege, quamvis scitu difficillimâ, exigere atque operari nolunt.

Sciendum est autem an quisquam potuerit gratiam nancisci: ne in talem peccati labem incideret. Circa quod in superioribus capitulis aliqua exempla adduximus. Videlicet quod decens erat aliquam personam purè humanam sine aliquo peccato habere, ut cum Deo posset tota humanitas uniri. Si enim non fuisset aliqua creatura pura & legitima, quæ totaliter munda atque immaculata intelligitur, non videtur aliquo modo Filium Dei humanam carnem assumpsisse ex causa: quod illa humanitas tanquam spuria & Filius Dei legitimus fuerit.

Hanc materiam in tres partes dividemus. In quarum prima quid originale peccatum sit, pertractabitur: & quatenus in humanas ingredietur, & curetur, & qualiter aliqua persona peccato carere potuerit.

Secunda de quibusdam auctoritatibus in laudem Genitricis Dei mentionem faciet.

Tertia quod beata Virgo integram gratiam necessariò sit sortita, priusquam in ea peccatum esse potuisset.

Quonam pacto dum de conceptione disputaturi sumus, in primis de instanti vera conceptionis nostræ conveniendum sit: quum in instanti unionis hominis & mulieris, homo ibi non generetur præter embri-um quod absque anima generari incipit.

CAP. XXXII.

QUUM de conceptione Dominae nostræ acturi simus, congruere videtur, quod primum de universali hominum conceptione dicatur: Si enim ignoramus, aut non rectè aperimus, quid in unione patris in matrice mulieris ponatur, haud secus quàm cæci ambulamus. Communiter pro illa prima parentum unione conceptionem nostram nuncupamus. Verumtamen super hoc multa discernenda sunt. Quoniam semen in matrice mulieris positum, de quo homo postea generatur, nullo pacto est homo, quandoquidem humanitas tanquam ultimata forma totius post unionem animæ & corporis se habet: & tamen tanquam propria passio animæ & corporis, quemadmodum probabitur in tertio libro, agendo an totum & partes integrales simul idem sint. Et si dicis quòd semen humanum est, intelligas ab homine assumptum, tamen non homo, nequidem verè humanum: Nam sicut corpus nostrum post animæ separationem non est homo, nec animal rationale, similiter neque humanum. Quapropter non rectè dicitur ego sum conceptus in unione Patris & Matris meæ, nisi quòd materia vel semen, de quo ego generatus sum, est concepta.

Quisque enim nostrum de corpore & anima rationali constat: & in ea prima positione seminis in matrice, non solum intellectualis anima, sed ista quoque sensitiva deficit. Unde rectiùs dicemus, quòd vera conceptio nostra seu humanitatis vel rationalitatis principium fit in eo instanti, quo rationalis anima in membris infunditur, & hoc modo etiam intelligi potest auctoritas David dum dicit: *In peccatis concepit me Mater mea.* Quum dicat me, & in semine non de ordine dici potest: quia variæ speciei à spermate sumus.

Et si quis infert, ut nonnulli solent, ceu latius deinde videbitur, quod tota humanitas sit maculata, gradatim de hoc petendum est. Quonam pacto hi humanitatem intelligant: utrùm ex natura animæ

an corporis, an verò utriusque simul. Non potest de anima assumi : quoniam nova simpliciter creata ; non de corpore , quoniam corpus per se insensatum ac sine intellectu. Et ubi nulla distincta cognitio neque sensatio , nullum itidem peccatum. Non de natura animæ & corporis simul. Quum anima & corpus de variis naturis consent. Non de natura seu humanitate universali tanquam exemplari : quia hoc modo humanitas abstracta vocatur : & omnia abstracta universalia. Ulterius ac fortius inquirunt, humanitas tantum humanitas , equinitas tantum equinitas absque aliqua alia composita consideratione : Quumque exemplar fore tanquam æternum ipsa humanitas vocetur : impossibile est juxta naturalia merita , quòd inferiora præsertim accidentalialia universale maculare queant.

Amplius concessio, possibile esse humanitatem abstractam maculatam esse , quum simplex atque indivisibilis sit, eo quòd abstracta , dicendum esset quod humanitas Christi maculata fuerit , & est : quia humanitas in abstracto , si datur , semper manet indivisa , in eo quod abstracta. Et si indivisa humanitas Christi est unita atque indivisa cum humanitate omnium hominum : licet quòd nos longe aliter de humanitate sentimus, ut in aliis locis patebit.

Præterea quomodo ostendis ad probandum intentionem tuam , quòd humanitas universalis atque abstracta semen hominis maculet, antequam rationalis anima infundatur : quum universale abstracto omni actu saltem particulari careat ? Et dato quod posset , sub quo colore sit ? Quoniam nec semen illud neque embrio , priusquam rationalis anima in eo fundatur , est habile ad gloriam , Et quod habile sit ad maledictionem , ut ad inferos descendat , absolum videretur , quum omnia ambigua æque ponenda sint : & quod , priusquam embrio idoneus ad assumendam gratiam sit, peccatum in ipsum ingreditur , admodum discordat.

Item embrio , ut asseruimus , ante animæ infusionem non est homo , neque similis Adæ & Evæ , quando præceptum Dei transgressi sunt : & oportet quod rationales , sicuti ipsi erant , essemus originalem maculam contrahendo.

Et si opponetur quod patres habent fomitem seu quandam maculam , quam in filiorum semine ponunt : hoc non congruit. Quum plerumque ipsum semen disperdatur. Unde stultum est inferre : quod maculatum vadat : eo magis quod hoc proculdubio contra legem arguit , quia in lege scripturæ perfectorem legis præstolabantur : quem

nos Christum esse dicimus, & ipse ad delendum originale peccatum nobis baptismum impendit. Quod si penitus ipsum non delet: minime lex nostra vocanda est perfecta: quod erroneum atque culpandum esset talia cogitare.

Et sic in Evangelio habemus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: Et cum peccato nullus potest esse salvus: unde confitendum est, quod dum homo baptizat, omnis originalis macula expellitur taliter, quod difficile erit ut collocatum fundamentum inveniatur: quatenus dum homo & mulier semen in matrice mulieris ponunt, illic possit originalis macula occurrere: quamvis macula aut potius gratiæ carentia interveniat in eo instanti, quo rationalis anima in corpus hominis infunditur. Tunc enim humanum animal rationale, seu homo, & non prius, sicuti post mortem, seu animæ separationem, homo fit, & consequenter peccare non potest.

Et sic ad probandum intentionem nostram contra adversam opinionem tenentes, plenè sufficit eorum auctoritatem adducere, quum dicant in eo instanti quo Joachim & Anna ad collocandum semen, de quo generata est Domina nostra convenerunt, etiam Spiritus Sanctus ad sanctificandum ipsum semen sive embrium interfuit. In quo nullatenus peccatum in eo semine esse potuit: quapropter ne aspicientes dubitent de gratia Domini nostræ illata, diu antequam necesse esset Deus ipsam providit. Nulla est enim necessitas de gratia usque ad illud instans, quo anima corpori infunditur, & beata MARIA per plures ante dies fuit quocumque bono munita, ut per omnes conceditur. Quia nondum erat mulier sive homo in confœderatione illius materiæ cum omnipotenti Deo. Et quoniam in principio conformari possumus, si intelligere nos ipsos volumus, ad quid amplius disputamus? præcipuè si oppositam partem assumentes, in hoc principio intentionem suam probare nequeunt.

Et secundum omnes sapientes, parvus error in principio maximus erit in fine.

Aristoteles: tunc arbitramur unumquodque scire, dum causas & principia rerum usque ad elementa cognoscimus, & hinc de omnibus originibus per quas gradatim descendimus assumendum est, licet quòd postquam effectibus, experimentis atque experienciis scientiam confirmamus, principia ipsius scientiæ vera esse præsupponimus: tamen oportet quòd in principiis conveniamus, & quòd omnes eam percipiamus, quemadmodum scimus hominem esse animal, eo quòd cum

cum sensatione vivit, & in principio generatus, & in fine corruptibilis, atque aptus natus ad ratioeinandum: & habita hac cognitione sine alio, dicimus homo est animal rationale & mortale. Sed in primis principiis convenimus, præsupponendo quòd ipsa scimus.

Attamen in vera hominum conceptione non rectè convenimus; maximè de eo instanti, quo originalis macula in hominibus ingreditur, aut quod sine sufficienti gratia ad vitam beatam reperimur. Quapropter in primis de hoc principio dignoscendum est. Namque ad alia posteriora transire stultum quidem est, in principiis disconveniando.

Quomodo magis propriè dicatur nos primorum parentum causa esse declinatos, quàm in ipsis peccavisse.

CAP. XXXIII.

Iuxta communem loquutionem dicitur quòd omnes in primis parentibus peccavimus. Sed hoc vocabulum assumi potest quòd omnes propter Adam & Evam peccaverimus: & hoc modo clarius procedi videtur: non enim sequitur quod omnes in Adam & Eva eramus, quando ipsi peccaverunt. Et si quisquam inferre vult quòd aliqua materia, quæ nunc est in nobis, tunc in primis parentibus fuerit; dico quòd ibi non eramus tanquam homines; & corpus sine anima peccare non potest. Quia animæ nostræ nondum creatæ erant. De anima verò Adæ & Evæ nihil in eorum progeniem transivit. Unde non est dicendum: quòd nos in eis peccaverimus, nisi quod ipsi pro se & nobis peccaverunt. Quum enim ut primiperi se habebant penes rationem: omnes subsequentes debebamus aliquod detrimentum aut commodum circa primorum parentum merita cognoscere. At quum suo creatori inobedientes fuerunt, non amplius principes existerent, & ideo nec salvari nec condemnari per eos potuimus; nisi quòd sine gratia sive in exilium destituti fuimus. Deus verò omnipotens semper universalem & particularem curam de nostra humanitate habuit, eo quòd non vult totum genus humanum causâ unius hominis & mulieris deperdere: quum opera suarum manuum simus: & ideo non asserimus quod ab Adam & Eva legem vel gratiam accipiamus, nisi tantùm ab ipso Deo opifice nostro. Sed quum ipse primiperus ac legislator noster sit, decentius potest, cui voluerit,

C c

gratiam

gratiam impendere, ut absque peccato generetur, & quòd non omnibus talem gratiam præbeat quo ad libitum debet: & in baptismi regeneratione tenendum est quòd omnes puri efficiuntur: quia aliter lex Christi non esset omnino perfecta, si nobis in baptismo aliquam maculam non dimitteret.

Et tunc dicere possumus quòd Adam & Eva majorem vim possidebant super genus humanum, quàm Christus Deus & homo: Quòd est falsum. Quapropter tenendum est, quòd semper Deus liberè potest nos cum originali gratia aut sine gratia ultro producere, licèt universaliter absque perfecta gratia ad meritariam gloriam generemur & nascamur. Sed cum baptismo puri efficiuntur, licèt quòd labenti tempore post baptismum peccare possumus, veluti Adam peccare poterat quamvis sine peccato formatus: Denique nos in Adam non peccavisse comprobatur; quoniam peccatum actuale non contrahimus; si autem simul cum primis parentibus peccavissemus, veluti & ipsi nos peccatum actuale contraxissemus.

Quid peccatum originale sit.

CAP. XXXIV.

ANtequam ulterius procedamus, decens erit explicare quid pro originali peccato intelligatur & quum superius ubi de peccatis tractamus diximus, originalem culpam admodum à mortali & veniali peccato differre, ideirco mortale aut veniale peccatum confessione indiget & pœnitentia, vel expulsiōe tanquam re positiva; & originalis culpa solum habilitatione indiget. Unde rectè diffiniendo dicemus originale peccatum esse carentiam sive gratiæ defectum ad vitam beatam consequendam.

Peccatum originale est privatio gratiæ, quæ à natura vel origine nobis fuerat promissa. Sed dicendo peccatum, videtur non esse solum privationem, quemadmodum in secundo libro patebit, ubi dicemus; quòd malum sit aliquod. Attamen hic distinguendum est inter obligationem & carentiam, quoniam ex actualibus peccatis aliqua qualitas sive obligatio oritur, & ista obligatio aliquid est. Sed in carentia originalis gratiæ sine gratia restamus, licèt nulla alia obligatione teneamur. Quamobrem nemo per originale peccatum potest ad inferos descendere: & ideo privatio & non obligatio appellari debet, quamvis ipsam carentiam peccatum nominemus, ex eo quòd quicquid bonum non est, nocivum imaginamur, & nocivum quoque

que videtur quandam peccati conditionem habere, & quanquam aimus bonam esse privationem, velut ubi in Evangelio. *Bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille*: Et non esse natum privatio est, & privatio in se neque malum neque bonum denotat: quando autem propter illam privationem utilitate caremus, ut dum visu deficimus, malam esse privationem asserimus. Et dum per res positivas maxima scandala contingunt, dicimus bonum esset si privatus fuisset: veluti dicendo, bonum est non cenare, & non cenare privatio est: sed quia cenare obest, imaginamur quod non cenare sit bonum: non propter ipsum non cenare, nisi quod cenare causat dolorem: & per hanc viam peccatum nuncupamus originalis gratiæ carentiam: ex eo quod quum caremus ad gloriam pervenire non possumus: & illud non posse vocamus peccatum, quamvis privatio gratiæ sit. Postquam vero nil præter gratiam deest facillima atque honesta res est quòd Deus suæ genitrici in conceptione ipsam dederit. Peccatum enim originale non est à natura, sed per accidens; ideoque à natura nil nobis abstergendum est: nisi de gratia providendum; quamvis Deo dumtaxat tale opus competat: & Deus non petit prius neque posterius, nisi quicquid melius est: & salvare melius ac laudabilius est, quam condemnare & decentius perfectam quam imperfectam gratiam largiri: & gratia ante carentiam perfectior est: quam gratia post carentiam. Et quia Deus cum matre sua perfectius operari debuit: sequitur quod Virgo integram in conceptione sua gratiam habuerit. Et ad originale peccatum redeundo, si assumatur uno modo, videtur quòd sit privatio: & in alio positivè privatio, dum nosmetipsos gratiâ carere prospicimus, & positivè, dum consideramus nos esse ab amore Dei alienatos: Quoniam primorum parentum crimine semoti à creatore nostro remansimus: Quumque illi qui actualiter peccant à Deo segregentur, sub eadem remotionis consideratione originalis gratiæ carentia peccatum nominatur. Attamen, quia originale non deducit nos ad inferos nequidem ad purgatorium, ita ut actuale peccatum, à nobis gratiæ carentia nuncupatur; & quia Domina nostra semper fuit creatoris & filij amica, similiter & in amore propinqua, nec unquam remota, quoniam carentia gratiæ nil aliud est quàm remotio ab amore & dilectione omnipotentis Dei, & quod beata Virgo gloriosa Dei genitrix MARIA interdum extra amorem creatoris sui esset, penitus denegatur.

Et quod originalis culpa sub similitudine peccatum dicatur seu

culpa, eò quòd per carentiam gratiæ ad gloriam inhabiles nascimur sive concipimur, de virtute vocabulorum comprobari potest. Nam penes omnes religiosos doctores peccata mortalia & venialia tantummodo actualia denominantur. Sed originale peccatum à nullo sapiente actuale appellatur, quocirca asserendum est culpam originalem nuncupatam esse solam gratiæ carentiam; veluti cæcitas est carentia visûs: sed peccata mortalia, atque venialia, quia actualia, non omnino tanquam privatio, verùm aliqualiter positivæ qualitates sunt, ut in secundo libro patebit, unde invalida est hæc consideratio, inferendo; culpa originalis est gratiæ carentia seu privatio, igitur peccata actualia sunt privatio boni vel nihilum: nam si hoc est carentia, & illud carentia sive privatio, nulla daretur differentia inter originalem carentiam & actualem culpam.

Concedendum tamen est aliquod contrahere debitum, quoniam extra amorem Dei tanquam exules sumus, & amicitiam petimus, sub qua petitione aliquam significamus obligationem habere.

*Qualiter decipiantur, qui dicunt totam naturam peccato
Ada infectam.* CAP. XXXV.

Sunt quidam prædicantes aut dicentes primum peccatum in naturam humanam ingressum, propter quod infecta fuerit, & fortasse hoc inquirunt non rectè quid humana natura sit percipientes. Videntur enim quòd eam à nobis separent.

Sed natura nil aliud est quam nostrum esse, & quòd simus ad talem finem directi; humanitas verò est nostræ naturæ conditio, utpote in leonis natura ferocitas: & quia natura sive humanitas nostra de esse hominis narrat: si ipsam separare volueris, manifestè patet quòd homine posterior sit quoad naturæ posterioritatem. Sed quoad ipsam rei perspectam veritatem non separatur, nisi quòd in quolibet particulari est intrinseca conditio. Species enim humana, nil aliud infert quam particularium hominum proprietatem seu propriam passionem, ut de risibilitate dicitur humanitas tamen intrinsicior.

Thomistæ disputantes contra Scotistas nolunt annuere unam esse naturam in unitate humana universaliter, extra varias res vel principia generationi occurrentia: ut de divina providentia, de stellarum influentiis & elementorum materia insinuant. Patres quoque ajunt
ad pro-

ad procreandos liberos occurrere ac si propinqua instrumenta dicerentur. Non est autem, ut prædiximus, una sola humanitas assumenda, sed plures: eo quòd humanitas unius non est humanitas alterius, licet omnes homines ejusdem speciei dicamur, id est, omnes similes: verùm similitudo istius non est similitudo illius. Ideo quum nostræ humanitates divise sint, una scilicet ab alia distincta, necessario sequitur quòd Thomistæ concedant originalem culpam in quolibet particulari esse distinctam, & non simul in una communi humanitate, & de hac universalium materia in quinto latius tractabitur, in quo videbimus, quatenus nulla humanitas universalis, nec peccatum universale sit, præter istam & illam humanitatem, & hoc & illud peccatum. Quia similia universalia solum imaginamur quòd sint: & commune nomen imponimus, sed non quod in re sint; ideoque nullus erit locus ubi universale peccatum in universalem humanitatem ingrediatur: ex eo quòd non sunt. Quocirca necessario patet nos manifestum fundamentum atque intentum habere. Quod nostra debilitas in quemcunque hominem in particulari ingrediatur, & non in aliquam humanitatem in universali. Unde prius sunt particulares, qui gratiâ careant, quum prius sint naturalia quam accidentalia, ex quo fit Dominam nostram prius fuisse mulierem in corpore & anima atque in Matrem Dei confirmatam & quod difficultas aliqua in ea comperiretur. Nam homo naturalis est, error autem accidentalis. Itaque tum in conceptione, tum extra conceptionem semper plena gratiæ extitit. Sub cuius rei fundamento nemo ex Thomistis potest aliquo medio partem suam tutari; quum totalis ipsorum intentio sit, quòd humanitas fuerit in universali infecta, quod est falsum.

Quòd si concedere vellemus, quòd homo in communi sit humana natura, nequaquam in eum potuit peccatum transire. CAP. XXXVI.

SI verò hinc concedere vellemus, hominem in communi esse loco speciei ante particulares, non ex hoc intelligitur Adæ & Evæ peccatum in ipsum hominem in communi fuisse ingressum: quoniam prior atque universalis erat. Unde propter qualitates particularibus contingentes nihil ad superiorem universalem & naturalem attinet, sed bene de universali ad particulares, ex quo sequitur, quòd si species

humana erat anteaquam particulares homines Adam & Eva peccaverunt, peccatum illud in eam naturam transire non potuit: ex eo quòd particulares & finito tempore & non ab æterno peccaverunt: quamvis contra infinitum peccassent. Quum finita sint opera hominum.

Et hîc priusquam ulterius aggrediamur, aliquid petitori sumus: primò quòd solvatur hoc. Si aliqua natura hominis universalis abstracta atque indivisa detur, quam in esse essentiæ nonnulli appellant, quomodo culpa particularium & existentium valere potest ad transfundendum in essentiã inexistentem & sine actu. Quum stare nullo modo possit, præsertim quòd essentiã imaginamini absolutam & ab omnibus considerationibus abstractam, in qua nulla qualitas, seu peccatum suppositari potest.

Præterea petimus, si Adam & Eva non peccavissent, utrùm natura seu essentiã, quam superiorem dicitis, erat in gratia Dei ad eundem in gloriam, & fruendum ipsã. Et si post peccatum natura universalis hominis est descensura ad consequendum supplicium in inferis, neutrum omnino stare potest. Unde probatur quòd si natura communis non est habilis ad recipiendum gloriam aut pœnam, neque gratia neque macula in ipsa stare potest. Quoniam frustra fuisset ibi manere, quum nunquam ad actum deduceretur, taliter quòd concedere oportet in isto, illo & alio particularibus hominibus originale in carentiam evenire, non autem in aliqua universali ac superiori natura. Quia similis consideratio nec naturalis nec theologalis est, eo magis quòd apud legem Christianorum damnantur asserentes, quòd omnes animæ sint ab initio mundi creatæ, vel essentiã ex qua postmodum emanant: eo quòd per simplicem creationem produci dicimus: & nullus meritum seu peccatum, anteaquam sit, contrahere potest.

Quòd si omnes homines in uno puncto baptizarentur, pro illo instanti aut anteaquam alij homines generarentur nullum esset originale peccatum.

CAP. XXXVII.

Quoniam verò extra particularia originale peccatum non invenimus, unde sustentetur seiscitabimur, & quo pacto omnia particularia universaliter complectatur: quod palam fit ex fide quam in Sacramentis

eramentis habemus. Quocirca dicimus quòd si Adam & Eva priusquam filios generassent baptismum suscepissent, pro illo tunc nulum in humana natura peccatum remanisset: hi enim duo parentes soli in humana natura erant, aut quòd ipsamet humana natura patrum officio seu proprietatibusungebatur. Quòd si ambo baptizati fuissent, pro illo tunc universa humanitas sine peccato exstirpisset: & eodem modo nunc esset, si omnes homines essent baptizati nec quisquam in matris utero remaneret. Quòd si deinde filios generarent filij quoque illam gratiæ carentiam haberent. Quapropter originalis difficultas in quolibet humano particulariter & non universaliter accidit.

Quomodo culpa originis in divina ordinatione sustentaretur, licet omnes homines baptismum suscepissent.

CAP. XXXVIII.

Fortè aliquis interrogabit: si originale peccatum non est in universali natura humana, baptizato unoquoque homine, ubinam illa originalis obligatio remaneret? Si enim tota obligatio per aliquod spacium deperderetur, nunquam amplius ad homines transiret: in cuius oppositum ita inferitur. Quod peccatum præsertim originale non est res positiva, nec qualitas in se, nisi quòd positionem quandam imaginamur, uti jam superius vidimus ob nostram privationem, sive defectum, vel gratiæ carentiam. Quapropter ista obligatio scilicet carentia in serie posita nobis per Deum manet, ut dum princeps super cunctis subditis subsidium statuit, & talis est conditio, videlicet quòd semel in vita solvant. Unde contingit nullum illorum esse in matris utero, & quod tunc quispiam princeps solvit: in quo quidem tempore nemo est debitis obnoxius; si autem ex illa progenie quisquam deinceps generatur & nascitur, debitor sub subsidio invenitur. Subsidium enim in Imperatoris ordinatione manebat, dicentis: Quòd quicumque sub Domino degit, tenetur solvere ducatum semel in vita, taliterque de originali carentia asserimus: nam licet omnes qui nunc nati sumus solvamus id quod soluturi essemus, unusquisque qui deinde nasceretur sub eadem lege particulariter invenitur. Quum divina ordinatio talis sit, scilicet; quòd omnes semel in vita particulariter solvant.

Attamen non est dicendum, quòd post baptismum homines originale peccatum retineant, & illud quo carent filii impendere nequeunt, licèt in primis parentibus peccatum positivum sive actuale fuerit, & propterea illius erroris ordinatio contra libertatem vel humanam gratiam facta fuit. Sed non propterea sequitur nos simul cum Adam peccavisse, nec nobiscum remansisse peccatum, nisi quod propter Adæ & Evæ peccatum patimur, aut in carentia gratiæ generamur. Lex enim universalis ita ordinata fuit, & non quòd patres in generando nobis aliquam inferant maculam, concessio nullam gratiam nobis præbere.

Ideo dum Joachim & Anna per circumcisionem habilitati erant de originali gratia, nullo pacto potuerunt in Domina nostra aliquam labem exhibere. Decebat enim quod in ipsa non aliter quam in aliis particulariter difficultas daretur. At quia ex mundi principio beata MARIA divinitatis instrumentum erat per medium humanæ salvationis, nullatenus in ipsam potuit aliqua difficultas intervenire, nequidem defectus seu gratiæ carentia. Quemadmodum inferius patebit.

Hic verò interrogamus, an remedium contra peccatum prius in Deo extiterit, an verò peccatum in Adam. Illud enim quòd prius fuit manifestè constat suas integrioris partes assumpsisse; & veluti soli Deo remedium conveniebat, ita & ipse Deus ab æterno præbet remedium, & eligit instrumenta, quibus uti volet, quæ sunt Christus & Mater: & quamvis Deus ipsos in tempore misisset in quantum humanæ personæ erant, tamen Deus eos ab æterno elegit: ac pro suo instrumento disponit: & talia agere soli Deo attinet, eo quòd Domina nostra non elegit Deum in filium; Sed ipse eam in matrem suscepit: & sic antequam Adam peccavisset, divina fuit electio.

*Quòd si humanitas esset in universali maculata: quum
verbum divinum sit cum ea unitum, etiam Christus,
in quantum homo, esset maculatus. CAP. XXXIX.*

Qui dicunt, quòd quædam humanitas universalis super omnes homines erat originali peccato infecta, forsità non satis respiciunt quæ & qualis ista humanitas sit: Si enim una humanitas universalis est & indivisa, ut plures ajunt, & originali peccato infecta sit secundum alios, Christus quoque maculatus fuit in eo quòd homo aut non unitus

unitus humanitati. Utrumque tamen fallum est ac legi repugnans. Quocirca tenere oportet ipsum fuisse humanitati unitum & sine aliquo debito vel carentia: & sic patet quatenus nulla universalis humanitas maculata sit: Sed quòd quilibet homo in particulari gratiæ carentia reperitur, hoc est, quòd Deus principio generationis suæ non præbet competentem gratiam ad vitam beatam consequendam, sive ad meritorium opus faciendum. Et quum hoc privatio aut carentia sit, patet quòd non peccatum, sed carentia vel gratiæ defectus ob Adæ peccatum, & sic Christus fuit nostræ humanitati unitus cunctis scilicet humanis, quoniam humanitas unius non est humanitas alterius: & ita Christus mundam habuit suam humanitatem. Sub quo intelligitur quod in puncto conceptionis anima & corpus ejus omnem gratiam vitæ beatæ competentem habuerit. Quoniam ante illam conceptionem corpus Christi non erat humanum nec humanitas nisi materia in elementis: nec anima erat humana, quia nondum creata: nec aliter de Domina nostra dicimus, quòd ante conceptionem suam non erat in aliqua humanitate. Quapropter non indigebat peccati mundificatione, sed gratiâ in sua conceptione, & quòd gratiam adinvenerit, constat ex eo, quòd secundum legem in instanti suæ conceptionis sanctificata fuit. At quia anima & corpus separatim non erant in aliqua labe, non enim humanæ erant, patet necessariò Dominam nostram in sua conceptione integram gratiam habuisse, & nunquam defectum sive carentiam. Quoniam autem originalis gratia, sicut theologi volunt atque exponunt, erat super animæ & corporis natura illata, sequitur nos esse ipsam recepturos, ex quo homines sumus & non prius: quamobrem particulariter huic & illi gratia exhibebatur, & non alicui universali naturæ. Quum verò universalis hominum natura non potuit originalem gratiam à Deo supernaturalem sortiri, nequidem maculari vel carentiam habere. Nam illo, quod nobis non competit, non propriè caremus, juxta naturam loquendo, quum enim homo non sit angelus, non dicimus ipsum angelicâ naturâ carere: & similiter dum homines non sumus, non competit nobis originalis gratia: per consequens minimè possumus maculam contrahere, præsertim quod originalis macula nil aliud est quam gratiæ carentia cum aliqua declinatione dilectionis ab ipso Deo, quemadmodum jam superius vidimus.

Denique necessariò de tribus unum in hac materia sequitur: videlicet quòd aut nullus in Adam & Eva propter eos peccavit, vel Christus non

stus non cadit in eadem specie Adæ, aut quòd in Adam peccatum contraxit.

Nullatenus est dicendum quòd Christus sit alterius speciei ab ipso Adam: neque est inferendum quòd Christus in Adam peccaverit: quia hoc hæreticum & absurdum esset. Restat igitur, quòd nullus in Adam & Eva peccaverit extra ipsos primos parentes solum. Et si fortassè inferatur, quòd caro Christi in illo instanti, quo Adam peccare voluit, fuit à carne Adæ divisa, hoc non potest stare juxta aliquod naturale fundamentum, nec quamcumque aliam rationem: humanitas enim nostra inter hominem & hominem per generationem tantum, & non aliter dividitur: & corpus Christi multò posterius, quam Adam peccavisset, est generatum: ergo humanitas Christi non fuit divisa ab humanitate Adæ ante primum peccatum: & quia humanitas Christi conjuncta primis parentibus non fuit maculata, nec aliqua alia descendendum, necessariò confitendum est, quòd unusquisque particulariter contra necessitatem sive carentiam originalis gratiæ, aut plenitudinem gratiæ in puncto infusionis rationalis animæ assumit.

Quo pacto capiatur nos non teneri pro originali peccato tribuere, nisi solum Sacramenta suscipere.

CAP. XL.

IN secunda parte, quam debitum appellamus, pro peccato originis nihil intelligimus, quod nos Deo tribuere oporteat: Sed quòd solum inclinato animo obligamur ad recipiendum sacramenta, ut inde idonei efficiamur ad gloriam: Dum verò dicimus, quòd nos nihil tribuere oportet, videtur Catholicæ fidei repugnare tenenti Christum pro humanitate solvisse: ex quo sequitur quòd aliquod onus habuerimus, & hæc pars bifariam solvetur. Primò, quòd Christus non solum legem nobis tradidit, in qua habilitari possemus propter carentiam nobis originaliter relictam. Quinimò voluit pro actualibus peccatis nos ad pœnam obligantibus solvere, nam merito passionis Christi de quibusque infernalibus pœnis ac de tormentis vel purgatorij cruciatibus excusamur, dummodo præcepta nobis tradita assequi voluerimus: & etiam quum in primis parentibus peccatum actuale fuit, ex quo originale ortum habuit, oportebat Christum pro Adam & Eva solvisse.

Secunda autem via in qua Christus pro nobis solvit, fuit ex hoc, quòd inter Deum & homines amicè jam reconciliavit, satisfactionem tribuendo per suam humilitatem & abstinentiam superbix atque ingratitude primorum parentum; unde nos quoque inclinatis animis ad petendum Sacramenta accedere debemus.

Quòd baptismus ad merendum habilitat. CAP. XLI.

Dicimus nos baptismo habilitari, propter quem opera nostra sint ad vitam beatam meritoria. Hic verò non disputamus adèd nos dignos esse, uti fuisset, si primi parentes non peccassent. Sed ostendimus, qualiter integram sufficientiam adipiscamur, ut in gloriam accedamus, aut opus Domino gratum faciamus, ad quod nec ubi sufficeremus, si modò in crimine versaremur. Quia originale peccatum nil aliud est: quàm habitudinis carentia, de qua per baptismum habilitamur: seu gratiam quàm carueramus assumimus. Et quum tepeamus nos fieri idoneos ad proprium finem nostrum, ibi originale peccatum non est considerandum ita ut actuale, in quo possumus partem delere & partem dimittere, utpote si essemus ad infernales pœnas condemnati, & per pœnitentiam sacerdos nos ad purgatorium destinat. Verum de originali peccato non imaginamur ejusmodi divisiones: quia baptizatus infans non remittitur ad purgatorij cruciatus, nec ad ipsos destinatur, si tunc moritur, ex eo quòd habilitationem atque amorem Dei dumtaxat expetebat, & sic quum baptizatur fit habilis ad vitam beatam, quod esse non potest, si aliquod peccatum in baptizato restaret. Quapropter quum Joachim & Anna, ut jam visum est, per circumfionem habilitati erant, non potuerunt in filia sua beata MARIA originale neque actualem maculam includere, quoniam servi Dei erant & ejus mandata colebant.

Quòd in lege scriptura non invenimus sacrificium quo mulieres utebantur, ut essent ab originali peccato liberata. CAP. XLII.

IN lege mosaica nescimus distinctè sacrificium, quo mulieres uterentur, ut se à peccato originis depurgarent: quoniam videtur quòd solùm masculi ab hebrais circumcidebantur, & tenetur quòd

salva sunt mulieres in ea lege honestè viventes : Quod minimè esse potest, si originale peccatum habuissent. Unde videtur quòd mulieres liberæ essent propter virorum circumcissionem : Sed si virtus circumcissionis ita sub tali fundamento extenditur, quantò magis virtus Christi quum Deus & homo sit potuit ac debuit suam matrem conservare?

Triplicem verò effectum baptismus operari videtur. Primò quòd inimicitiam inter Deum & hominem expellit : Secundò quòd nos Deo reconciliat : Tertio quòd in habilitate restituti sumus, ut meritum bonum peragamus.

Quòd nullum peccatum in generandis filiis committitur.

CAP. XLIII.

Quidam in perfidia asserunt, quòd in quocunque coitu inter matrem & foeminam peccatum committitur, propter delectationem in eo repertam. Sed mihi nullo modo fit verisimile, quum inter virum & uxorem coitus versetur cum desiderio liberòs procreandi, qui suum creatorem laudent, non autem propter aliam concupiscentiam aut mundanas delectationes : Si enim sub hac conditione coitus esset, peccatum propter illam exiguam delectationem, quam carnes sentiunt, fermè in quibuscunque exercitiis hominum peccatum caufaretur : præcipuè dum pro carnali delectatione ac sustentatione cibum assumimus. Nam si bibimus delectationem sentimus, & si comedimus, intereà legendo, scribendo & currendo & in quavis alia dispositione, in somno, & vigilia atque divini cultus contemplatione, quamvis dicere possumus, quòd absque cibus vivere nequimus : & quòd homo, licèt cum muliere non copularetur, viveret : nos quoque asserimus, quòd si omnes se excusarent, aut omnino invicem fugerent, humana species pænitus deficeret, veluti si non comederemus aut biberemus. Matrimonium verò à veteri & nova lege conceditur atque commendatur, quemadmodum & cibus.

Deus enim primis parentibus jussit ut crescerent & multiplicarentur. Noë similiter & filiis ac nuribus post diluvium idem præcepit, neque tenemus quòd matrimonium prohibuerit. Quamobrem sanè inferendum est hominem licèt & sine peccato posse cum uxore copulari, licèt aliqui dicant in prima innocentia homines nullam delectationem in generandis filiis degustasse, quòd nequaquam consonum apparet : nam priusquam Adam & Eva peccassent, Deus eis
diver-

diversos concesserat fructus, quibus cibari potuissent. Unde constat quod aliquam in cibando delectationem habuerint, maximè ubi scriptura narrat, quòd fructus ille veritus visui erat pulcher, & delectabilis gustui, quum quod homo iisdem partibus delectabatur; idem in generandis filiis habuisset, tamen debito modo intelligitur, ac sine polluta intentione, veluti nunc debent vir & uxor occurrere.

Contingit quòd homo in somnis corrumpitur, & membra delectationem sentiunt, & tamen non est dicendum quod illud sperma sit peccato labefactatum, licèt quòd interdum homo in illa pollutione peccat, si advenit ei ob aliquam pravam cogitationem in vigilando acquisitam: sed non propter hoc semen exiens peccatum in se continet: & probatur. Aliquis dicit verba incorrepta in execrationem creaturarum aut creatoris. Petimus nunc, an illa verba in quantum verba seu aër resonans peccatum continent? Si dicis quòd peccatum, necesse est ut ad inferos purgatum vadant, & non solum ad purgatorium, sed ad infernum. Quoniam illa verba in quantum verba nullam agunt pœnitentiam, & omnia maculata de præterito ad inferos de jure condemnanda. Verba in se non habent dispositionem confitendi, neque agendi pœnitentiam, ergo nullum habent peccatum. Quia ubi nulla est cognitio, neque dispositio merendi per se peccatum ingredi non potest. Quocirca, quod malè loquitur, tantummodo peccat, non autem verba in se peccatum habent.

Uterius, aliquis latro furatur equum vel decem aureos, petimus, an ille equus vel decem aurei maculati sint? Aut si quisquam damnatâ intentione arcem ædificat, ex qua viatores deprædari possit, utrùm illud ædificium sit maculatum? Ad quod respondere oportet quòd arx, equus, aut decem aurei furto subtracti nullum in se peccatum habent: Sed peccat is qui furatur, aut arcem cum intentione deprædandi ædificat.

Similiter homo & mulier dum ad filiorum generationem accedunt, solum peccare possent, si eorum intentio est damnata, sed opere vel in filiis nullum peccatum apponere possunt. Quisque enim per seipsum tantum mereri aut demereri potest, maximè, quòd ubi nulla sensatio & nulla intellectio, nullum potest ingredi peccatum. Uterius; ponatur casus quòd nullus homo det operam ad generandos filios, hoc sanè erit naturalis error in tota humana specie, & etiam error contra præceptum Dei.

Quum ipse dixerit non esse bonum quòd homo sine muliere ma-

neat, & sic Evam produxit, quam primo homini associavit ac simul manere jussit, & insuper quod suam speciem multiplicent, quod esse nequit non dando operam actui venereo, & post diluvium crescere & multiplicari jussit. Palam igitur peccatum in natura & contra præceptum Dei esset, si nullus homo operam daret ad generandos filios.

Nunc sic peccamus generando filios, & peccamus ipsos non generando, generare & non generare sanè contraria sunt quam ob rem confiteri oportet quod si non generando peccaremus saltem generando non peccaremus: intelligas, dum intentio damnata non fuerit, & quamvis damnata, sin opere exeunte nullum peccatum apponere possumus, ut visum est.

De quibusdam argumentis circa originale peccatum, & qualiter non sint ad propositum. CAP. XLIV.

IN modo probandi quòd omnes in originali peccato concipiamur plerique sunt decepti, quum rectam viam minimè assumpserint. Sanctus Thomas quædam argumenta adducit, quæ in hac materia non videntur conformia, ita inquit: Si infantes originale peccatum non haberent, frustra eis baptismus tribueretur: & sequitur. Nemo ex regno Dei eiicitur nisi per aliquam culpam, & ad hoc ultimum primò respondemus. Quòd nemo ex regno Dei, idest, ex vera gloria exclusus fuit, præter malos angelos, sed nos aliquod impedimentum propter primi parentis errorem habuimus, non tamen intelligitur nos esse ejectos: quum in vera gloria nondum fuerimus, & dimissâ hâc parte videbimus: ubi Sanctus Thomas ait:

Baptismus frustra præberetur infantibus, nisi aliquam culpam haberent: & hîc non oportebit plura verba adducere, quia, ut superius explicavimus, nemo ad inferos descendit ex solo originali peccato, nequidem in gloriam ascendit nisi alicujus præcepti vigore. Exempli gratiâ: accipiendo unum corpus animalis, quod grave non esset, tamen ad volandum & in sublimia loca perveniendum, levitate aut pennis indiget, & eodem modo dicimus, quòd quamvis homo nullum peccatum haberet, ipsum oportet baptismo habilitari ut ad gloriam idoneus fiat. Quoniam non solum à malo est abstinendum: immò & bonum exigendum, & sacramenta Ecclesiæ suscipienda. Nec dicimus nos non habere culpam, idest, originis carentiam, sed non posse aliunde habilitari, nam post peccatum primi parentis inhabiles

habiles existimus : unde assumendus est baptismus , dato quòd peccatum minime haberemus : Deus enim aliquam legem sine præceptis non statuit, per quæ possemus nostrâ libertate potiri , ac præmium mereri, si modo eam observaremus & pro transgressione pœnam.

Dicitur David in communi dixisse : *In peccatis concepit me Mater mea.* Sed ista verba nullo modo hîc generalia esse videntur : quia in peccatis ait , & non in peccato , & originale peccatum unum tantum est, eo magis, quòd quum de Domino loqueretur, videtur quòd universaliter dixerit, & alibi de seipso particulariter. Quoniam alio modo invalida fuisset confessio, quam de suis peccatis ageret, dicendo. *Omnes erramus,* accipiendo hanc causam sicuti est pro me ita etiam pro aliis. Sed quoad veritatem plerumque de se humiliter contristabatur.

Quod si parentes originalem culpam filiis contribuissent, existente ac vivente creaturâ in matris utero, si mater ejus baptizaretur, filio quoque baptismus proficeret : At quia oportet filium esse natum ad recipiendum baptismum pro se in particulari, manifestatur patres non inferre nobis habilitatem, & similiter dicendum est, non posse nos maculare, quamvis infans baptizari queat, antequam totaliter à corpore matris exeat. Verùm omninò opus est aliquod membrum foris esse, in quo baptismus operetur, & tunc pars pro toto valebit : & similiter in quolibet particulari carentia sive defectu accidit.

De pluribus qui conturbantur : quòd patres generent filios gloriæ inhabiles. CAP. XLV.

Hic verò nonnulli conturbantur circa conceptionem Domini nostræ, dicentes : peccatum originis esse carentiam justitiæ aut gratiæ, quæ homini supra naturam tributa erat : & isto modo opus est quòd patres inhabiles filios generent, postquam eis non tribuunt justitiam vel originis gratiam. In quo tamen parum transcendunt, quamvis clarissima ac facilis ratio sit. Unde dicimus, quod licet Adam non peccavisset, semen quod homo & mulier in matricem ponerent, invalidum esset : ad perveniendum in cælum seu in gloriam, antequam anima reciperetur, & hoc patet : quia quum mulieres gravidæ essent, viri ad eas accedere possent, & eo tempore non concipere, taliter quòd illud semen genitale non ad gloriam, neque ad pœnam, nisi ad elementa reverteretur, ex quo probatur, quòd in eodem statu innocentia inhabilis erat materia, quam genitores in filiorum conceptione

tione præbebant ad gloriam, donec membra organizata essent, & rationalem animam recepissent, atque in eodem instanti creaturæ originalis gratia à Deo daretur, & non solum materia seu embrio sine anima. Nos verò in statu nostro, quum in puncto conceptionis deberemus originalem gratiam sive perfectionem recipere ad meritorium bonum faciendum, inhabiles remanemus, uti anima & corpus ante unionem separatæ erant, ideoque pro nostra habilitatione sive gratia baptismo indigemus, quo in statu innocentiae non indigebatur; quoniam in merito patrum Deus gratiam super natura in nobis præbebat: nunc verò in merito sacramenti baptismatis gratia meritorie operandi datur: hæc & illa tamen gratia à Deo omnipotenti, non enim à patribus hominibus, impenfa est.

Quomodo semen nullam maculam habeat, donec rationalis anima secum copuletur. CAP. XLVI.

IN hoc capitulo mentionem superioris faciemus, quoniam in eo demonstramus, semen in se nullam habere labem, usque quo rationalis anima secum associatur: & eodem modo semen primorum parentum inhabile erat, antequam sibi anima adjungeretur: & quia apparet maculam non esse in materia quoad animam, cuique notum est ipsam sine culpa esse creatam. Quocirca solum restat ad probandum, an Domina nostra sanctificata fuerit eo instanti, quo anima in ejus membris fuit infusa. Quod pariformiter annuunt illi qui maculatam fuisse arguunt. Sed præsupponunt materiam patrum esse labefactam; quod in multis locis aliter se habere probamus. Impossibile enim esset legem nostram veram esse, si nos baptismus ex originali culpa non mundaret, vel, proprius dicendo, habilitaret: ex quo non habemus aliud sacramentum extra baptismum ad mundandum originale peccatum: & si nos non perfecte habilitaret, minime in amicitiam Dei copulareretur; & dum amicitiam Dei caremus, non possumus ad cælum ascendere, & si peccatum aut partem peccati habemus, nequaquam perfecte cum nostro creatore reconciliati sumus. Neque est dicendum quod infantes, si baptizati moriuntur, ad purgatorium descendunt, licet enim non reciperent baptismum, non irent ad purgatorium nisi solum ad lymbum, & quia lymbus non est locus pœnandi sequitur quod si fuerint baptizati ad purgatorium non accedunt. Quonia manifesta injustitia esset, supplicium recipere pro malo, quod non perpetravimus. Quocirca turpe est asserere

asserere quod Joachim & Anna in conceptione Dominae nostrae aliquam maculam contrahere potuerint, nam juxta omnes Philosophos tractantes de generabilibus & corruptibilibus fertur, quod spermata patrum non recipit intellectivam animam, donec corpus organizatum fuerit, & quod per plures dies moratur, & in hoc medio membra Dominae nostrae organizata erant, priusquam animam reciperent, & erant illa membra in quibus Christus carnem assumpturus erat. Itaque dicendum est, quod hoc instanti infusionis animae omnem gratiam membris competentem receperunt: Sed quia corpus sine anima nec mereri nec demereri potest, ipsa quoque mereri nequit, donec fuerit corpori conjuncta, asserendum est, quod Domina nostra gratiae plenitudinem habuerit in infusione animae cum membris, quomodo prius non erat mulier. Nam homines sumus per animae & corporis unionem, & non aliter. Ideoque gratiam habere possumus, vel sine ipsa remanere, in quo instanti Domina nostra idonea fuit ad ferendum Deo & ad fruendum gloriae.

Attamen, quia plura occurrunt agendo de conceptione Dominae nostrae, decet unum praecipuum fundamentum tenere ad quod semper redeamus; & in tali principio declarandum est, an originale peccatum totum sit ex parte animae, an totum ex parte corporis, aut utrumque; non totum ex parte corporis, neque totum ex parte animae, quod tali modo patet. Detur pro possibili quod baptizetur embrius, priusquam anima in ipsum infundatur; peto si ante animae infusionem in baptizando embrium pro tota persona valeret, aut si post nativitatem anima à corpore separaretur; & in hac separatione corpus baptizarent & etiam animam, posito possibili, & deinde anima ad ipsum corpus rediret, an ista ablutio in illa separatione pro tota persona sufficeret? Ad quod respondendum est, quod nullus istorum baptismorum pro anima & corpore conjuncti valeret: ex quo fit animam & corpus simul coinquinari, & ideo simul debent esse ad merendum ac demerendum, quia embrius non est homo, non persona, non rationalis, ergo non potest pro obligatione hominis persolvere, & quia salvare nequit, minime poterit maculare: nec est ex sola anima originale peccatum, quum simplex sit à solo Deo creata: & quia non de corpore tantum, neque de sola anima, sequitur utriusque esse, & quoniam utriusque simul, constat in Domina nostra nullo modo accidere potuisse. Quippe quod apud omnes embrius vel semen prius sanctificatum fuit, quam in ipsum anima infunderetur.

Et si quis infert, quòd pars peccati sit corporis & pars animæ, per principia sua, priusquam uniantur; hoc è converso tenetur, eo quòd tunc essent duo originalia peccata, & non unum tantum.

Et si dicis duas dimidietates peccati haberi, Respondeo non esse dandum medium peccatum, ut superius explicavimus. Quoniam autem de gratia animæ Dominæ nostræ nullus dubirat, patet quòd originale peccatum non contraxerit, uti nos in communi agimus, quia antequam rationalem animam habeamus, non possumus dicere quod quicquam à nobis contrahatur. Tunc enim non sumus illud quod post animæ infusionem.

Amplius petendum est quale sit hoc peccatum in embrio, quum ibi non sit superbia, nec inobedientia, seu appetitus comedendi, bibendi, luxuriandi, & aliorum similem. Non enim sentit neque videt. Quod si respondes semen illud habile esse ad hæc omnia inconvenientia, nos quoque idem de corpore Adæ dicimus, quod priusquam peccavisset peccandi aptitudinem habuerit, & magis propinquam quam semen in matrice mulieris positum, & propter hoc non dicimus, quod Adam maculatus fuerit, quousque ad actum peccandi devenit, & ideo anima & corpus prius uniuntur in actu, quam peccare queant. Nam Patres postquam baptizati sunt, nullum locum habent ponendi originale culpam in semine generationis.

De Thomistarum fundamentis super quid originale peccatum sit: & quomodo se habeat: ac de eorum solutione. CAP. XLVII.

Thomistæ volentes declarare quid originale peccatum sit, aiunt: Adam habuisse tria præcipua ac specialia dona. Primum videlicet, quod corpus ejus erat pœnitus animæ subserviens. Secundum quod sensualitas rationi parebat, & ista duo idem sunt, aut fere idem, quum sensualitas corporea sit vel ex parte corporis, & rationalitas incorporea ex parte animæ. Tertium quod creatori suo prorsus vacabat, & quia omnes istæ tres partes justæ erant, originalis justitia nuncupantur. Quoniam autem nos illam propter Adæ peccatum amisimus, in originali culpa remanere dicimur. Sed ad primam partem respondendo, ubi fertur quod in prima innocentia sensualitas rationi parebat, dicimus aliter actum fuisse, veluti per sacram Scripturam compro

comprobatur, testantem. Fructus ille vetitus, Pulcher erat visui & delectabilis gustui. Constat igitur sensus in aliqua potestate aut inclinatione contra rationem extitisse: Quomodo enim dicitur delectabilis gustui non intelligitur quoad rationem nisi quoad sensum, & ubi dicitur quod Adam suo creatori parebat, etiam ibi Adam & Eva aliter cum effectu de monstraverunt, quando actualiter contra præcepta sui creatoris extiterunt. Unde fit quod aliquam libertatem seu dispositionem habuerint ad sequendum & non sequendum creatorem suum, & de Domina nostra non tenemus quod eadem scandala intervenerint, quæ in Adam & Eva, ideoque beata MARIA dignior & non inferior fuit quam primi parentes in statu innocentia, eo quod in ipsa assidue sensualitas rationi paruit, & suum creatorem est assequuta: Quocirca nulla in ea labe includitur.

Et quum aiunt maculam esse in universali materia, palam delirare ostenduntur. Materia enim ex qua homines resultant, elementa sunt, & elementa nullum peccatum sortiuntur, & anima non prius, sed in eo instanti infusionis creatur, & corpori infunditur: At super creatione nulla est creaturarum essentia, ibi enim tantum sunt divina rationes creandæ, quas aliqui ideas appellant, sed istæ non sunt creaturæ, nisi Deus, & anima rationalis, nulla est præter istam & illam particulariter assumptam, & sic Deus omnipotens est prima origo, ex qua rationales animæ per primum esse emanant, tamen per extrinsecam emanationem vel dependentiam, & in Deo nullum est peccatum, nequidem in operatione sua, ubi aliquod medium extrinsecus non occurrat, & inter Deum & animam rationalem nullum medium interponitur, & sic patet nullum ibi peccatum includi.

Cur nec juxta alia assumpta à Sancto Thoma nec quavis alia ratione potest peccatum originale in humanam naturam transire: nisi in isto & illo particulariter esset gratia carentia: taliter quod per baptismum omnino habitamur absque quòd fomes vel scintilla remaneat. CAP. XLVIII.

Quum Thomistæ assidue refugium habeant dicendo quod originale peccatum radicaliter in esse essentia hominis positum sit, sive natura

tura hominis, de hac essentia merito videndum est, & hæc forte aliquid clarius atque altius super præteritis dicemus, eo quod superiora & inferiora occurrentia in hac diffentione cognoscantur, & principio sciscitandum est à modernis Thomistis quo modo commune esse essentiæ, aut humanitatem hominis intelligant, an Sanctum Thomam doctorem suum assequantur, an vero alteram viam per seipsos assumant? Si sancti Thomæ intentionem sectantur, ut asserunt, nullatenus peccatum, quum accidens sit & temporaliter causatum, in esse essentiæ vel humanitate transire potest. Nam pœnes hujus auctoris opinionem, ut in quinto libro tractaturi sumus, esse essentiæ unde descendimus, uel humanitatem vocabat, abstracta, absoluta, infinita, æterna, & à se; in quo nullum accidens cadere potest, ut per ipsos manifestatur. Abstractum enim dicunt ab omnibus accidentibus & variis considerationibus denudatum. Sed unum simplicissimum tantum absolutum esse inferunt, itaque pœnes auctorem vestrum peccatum neque sic neque sic in essentiam hominis transire potest. Quoniam infinitum seu æternum non patitur accidens, sive magis aut minus.

Præsertim quod etiam vos dicitis de mente istius auctoris, quod peccatum sit nihil, & nihil non potest transire vel converti in aliquid, igitur non transit neque maculat humanitatem in esse essentiæ.

Unde necessario deveniendum est ad hoc, quod concedatur originale peccatum in quocumque homine particulariter evenire, in puncto unionis animæ rationalis cum corpore. Quoniam illo tunc est uniuscujusque humanitas, & non prius. Nam falsum esset inferre, humanitas tua est humanitas universalis, nisi hæc humanitas est humanitas mea, & itidem de tua dicitur. Quapropter humanitas mea & humanitas tua altera & altera sunt, & non idem. Et quia dicitis illo tunc humanitatem existere, quando in pluribus particularibus dividitur, & non prius, in illo quod non existit, peccatum esse non potest. Unde perposita à teipso oportet confitearis, quod nec originale peccatum, nec aliquid aliud dari potest in communi essentia vel humanitate, nisi in ista aut illa. Insuper, dato quod sint similes essentiæ abstractæ, ut vos dicitis, efficienter à Deo tanquam à causa efficiente, de potentia ad actum deducitur. Quamvis hæc reductio, quidam dicant, quod creatio sit quod minime sibi tale vocabulum competit: Si de aliqua præposita essentia particularia aliqua liter originem deducunt, & quia Deus est efficiens & consequenter Filius MARIE Virginis, dum particulariter

iculariter de illa immaculata essentia efficit animam & corpus Matris constat manifestè quòd ipsam creat vel efficit particulariter omni peccato immunem.

Nos tamen asserimus, juxta sacram Scripturam, quod anima beatæ MARIÆ atque omnium hominum, sit a Deo simpliciter creata, sine quacunque materia vel essentia præposita, & materia corporum nostrorum, ab elementis evenit, & ita ostenditur sensibus atque intellectibus nullum esse Thomistarum fundamentum, asserentium quod Domina nostra originale peccatum contraxisset. Nam juxta opinionem ipsius Thomæ nullum peccatum potest in essentiam hominis transire; Quum abstracta & absoluta esse dicatur, ut jam visum est.

Demum nil aliud de hac materia dicere possumus, nisi quod opinio similis est, cum esse essentiæ creaturarum æternæ. Quoniam nonnulli Theologi nostri, ne Aristoteli & aliis similibus contradicerent videntur aliqualiter concessisse, aliquam essentiam abstractam æternam esse dandam extra Deum, per quam omnes creaturæ efficerentur, vel crearentur. Quod idem est creare aliquam materiam præsuppositam & efficere, quod est erroneum in Philosophia, ac multo erroneus in Theologia, tamen quum intrinsece remordeantur, aut cognoscant, quod similis essentia æterna stare nequit, in quantum eam diminuere possunt, ipsam voluerunt denominare sine existentia non hoc, neque illud imperfectum, sine actu atque diminutivum, hæc autem omnia sine proposito. Quia tantum est nobis quod sit materia existens & grossa, quantum & diminutiva atque inexistentia. Quoniam omnino creationem secundum religiosos intellectam depravat, & contra æternitatem Dei procedit, quæ quidem omnia pessimè sonant.

Et nec aliter, seu quovis modo: Thomistæ jam in his temporibus de originali peccato inquirunt, eo quod videntur se à cunctis hominibus tanquam obstinati in hac opinione tenere, & sic, dum prædicaturi sunt inquirunt, si sciretis quid peccatum originale sit, non miraremur, quum parvum ac minimum & tanquam fomes vel scintilla. Et hinc Respondetur, quod apud omnes peccatum magnum vel parvum male sonat, & quod melius est nos esse illo peccato immunes, & quia melius baptizamur. Quocirca omnes agnoscunt quod malum sit velle in Domina nostra similem maculam assignare.

Et quum dicitis quod originale peccatum sit tanquam fomes vel scintilla, hoc utique non est earentia, nisi positivum, quod dicitis vestris instat, ubi asseritis peccatum nihil esse, eo quod tantummodo boni privatio intelligitur. Et quum de actualibus peccatis hoc asseritis, multo magis de originali earentia affirmandum est, quod privatio gratiæ sit, non enim fomes vel scintilla, quum hoc rem positivam dicat & consequenter præcisè contra vos.

Dum autem ab aliquibus exemplatur quod in illa fomite manente in patribus sive particularibus generatoribus anima maculatur, dum embrius infunditur, ut albus pannus argentum fricando, licet argentum tertium videatur. Hæc utique comparatio de corporeo ad incorporeum invalida est, nam pannus & argentum ambo res corporeæ sunt, & parum in dignitate differunt, licet dicatur argentum aliquanto dignius esse. Sed embrius multo minus dignior quam anima, & sic eam maculare nequit. Corpus enim corporeas affectiones dare potest, & peccatum non est corpus, unde non se habet tanquam macula corporea, quia tunc habentes peccatum positi in statera magis ponderarent, quam non habentes peccatum: quod absurdum est, talia scilicet materialia seu ponderalia in spiritualibus considerare.

Et si quis opponeret quod hæc omnia secundum Philosophiam sunt, & quod nos hic secundum legem decertamus, etiam de lege videatur, quid dicat, aut quid spondeat, & ista sub paucis solvi possunt.

In Genesi seu in constitutione in qua per transgressionem primum peccatum extitit, ait Deus: *In quocumque die de fructu vetito comederis, morte morieris.* Et hæc verba non sunt dicta alicui naturæ abstractæ seu essentiæ sine existentia, nisi Adæ particulariter, quo ad corpus & animam. Et quum dicatur: *morieris*: quisnam dubitare potest, Si modo intellectu non caret, quod non oporteat prius vivere quam mori possumus? Quoniam illud quod non vivit mori non potest, & natura seu essentia abstracta non bibit, non comedit: nec moritur, & sic particularibus hominibus de gratia & peccato intelligendum est, non autem de aliqua universali essentia.

In novam legem deveniendo ubique seu per totam ipsam discurreres legimus quod Christus perfectus redemptor humanorum est. Iple enim inquit. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et hoc pro perfectione capitur. *Et qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* & nullus potest esse salvus: si aliquod peccatum vel peccati fomitem habet.

Sanctus Joannes: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri his qui credunt*

in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et hæc verba de baptismo præcisè inferunt: & ubi non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis: sub aliqua obligatione natos intelligebat. sed dicendo non ex sanguinibus: igitur sine aliqua macula, & ubi ait sed ex Deo nati sunt: ex Deo siquidem nulla nativitas cum peccato vel maculata esse potest. Unde absurdum erit tenere quod post baptismum aliqua fomes vel scyntilla peccati remaneat. Tunc enim lex imperfecta esset, & Christus non adimplevisset id quod promiserat, aut quod à prophetis de ipso vaticinatum fuerat. Quare dicendum est quod non potuit baptismum nos omnino mundare seu integram gratiam præbere, aut quod noluit.

Si non potuit, non est inferendum ipsum fuisse perfectum redemptorem, circa quod in maximum errorem laboreretur. Si noluit, non ostendit sua opera diligere: Nostra enim salvatio opus Christi est. Verum quia pro nobis mori voluit, quod ultimus ac perfectissimus amor est, inter omnes alios, veluti ipse demonstrat inquitens, *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: Et in majoribus ac difficilioribus nos adamat, sequitur quod in minoribus & facilioribus: Unde tenere oportet quod per baptismum integram gratiam Dei attingimus ad vitam beatam consequendam, & ubi gratia Dei simpliciter, ibi nulla fomes maledictionis seu peccati.

Præterea si aliqua originalis fomes post baptismum remaneret, ubi invenitur præceptum sive ordo, per quem à fomite mundemur, quia illam non confitemur, nec per eam ad inferos trudemur, nec ad purgatorium destinamur, nam per verba Christi: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*. Igitur non vadit ad aliquem locum pœnarum.

Jam verò satis constat pœnes Philosophiam & legem ubi macula aut potiùs carentia intervenire potest, & quod in particularibus sicuti Adæ & Evæ dum peccaverunt, & non in aliqua natura, in universali intervenit, & post baptismum nulla originalis peccati fomes remanere potest, nunc sic Domina nostra particularis in corpore & anima antequam plena gratiâ vocari posset, & erat generata ut Mater Dei esset, ergo non potuit aliqua in ea difficultas accidere, præsertim quod sanctus Joannes non dicit concepti ex sanguinibus & ex sanguinibus nisi nati, quod secundum animam & corpus intelligitur, & non secundum carnem solam, vel materiam, & in conceptione patres minime rationalem animam apponunt, nisi materiale semen, in quo

quo semine seu concurrentia natura tantum intervenit, non autem præceptum gratiæ nec maledictionis, nam prius fuit homo quam præcepta operandi meritorium vel demeritorium habuisset, idcirco peccatum tanquam accidens ac posterius est, & nullum accidens potest in naturam transire, non intelligas accidens sicut album vel nigrum, quia naturalia, sed quia entia, cum parva perfectione aliis entibus perfectioribus inherent, & hac in herentia accidentia denominantur, sed proprium accidens aut alienum à natura dicitur, quicquid casuale est ut domus: Quoniam artificialis ædificata, nunquam in naturale pertransire potest, & sic originale peccatum, eo quod accidentale seu casuale, nullatenus in aliquam naturam converti potest, & ideo natura humana sive elementa ex quibus corpora descendunt & animæ in creatione sua, nullam habent maculam vel alicujus peccati fomitem.

Unde tenendum est quod per baptismum totaliter habilitatur, & patet, quoniam non debemus nisi semel dumtaxat baptizari, quod si aliqua fomes restaret iterum atque iterum baptizaremur, quamvis assidue quadam sensuali concupiscentia & appetitu potiamur. Quod ita est in sanctis sicut & in vitiosis, & sensualis appetitus naturalis est, nec semper peccatum adducit. Si enim resistimus meremur, si autem eo moderate fruimur non peccamus. Quia dum cibamur delectationem sentimus, & si hoc ad sustentandam vitam agimus, nobis meritum resultabit, & non peccatum. Quidnam ergo argumentis indigemus, quum omnes Thomistæ atque alij negantes habilitatem in conceptione Dominæ nostræ, asserant quod Deus sanctificaverit ipsam eo instanti, quo materia, de qua generata est, in utero matris exitit? Quapropter si sanctificata, nullatenus animam maculare potuit sicuti argentum maculat pannum, neque aliusmodi, præsertim quod carentia, quum privativum dicat, nil tabefacere potest. Difficultas originalis est gratiæ carentia, igitur nil maculatur & quod tantum carentiam dicat per omnes sapientes doctores patet.

Quomodo tenendum sit quod quidam inquirunt dominam nostram in originali peccato fuisse conceptam: qui aliter fortassis animo capiunt. CAP. XLIX.

Multi dominam nostram in originali peccato conceptam fuisse aiunt: quos in animo aliud sentire arbitror. Sed solum dicunt

verbis ne se victos fateantur: in ea sententia quam semel sue religionis prædecessores assumpserunt. Nam dicendo naturam nil frustra agere: quum naturales cursus adeo laudabilem ordinem obseruent: quanto magis Deus qui summe perfectus est & naturæ productor?

Quocirca decere videtur ab istis interrogari cur Christus voluisset quod mater sua maculata esset: quoniam melius atque honestius erat eam semper observasse, quàm semel in macula desivisse & de-nuo sublevasse.

Sed si inferre voluerint animarum & corporum substantias à mundi primordiis fuisse maculatas: aut eodem tempore quo Adam peccavit, falsum quidem erit & auditu absonum. Animæ enim nondum erant nec ipsarum substantiæ, veluti iam explicatum fuit, eo quod oportet prius esse animas & corpora: quam eis obligatio imponatur. Quia aliter antea essent maculatæ, quàm suum esse daretur, quod est impossibile, maximè, quòd si anima impura crearetur, vanum atque erroneum opus Dei esset. Quod sibi soli competit: quum nulli alteri creare competat. Ex quo decet quod membra priusquam in eis anima infundatur, per aliquod spacium sint, in quo quidem tempore Deus matri suffragari potuit: eo quod non erat ei per communem viam remedium daturus.

Quippe & omnes Christiani tenemus, ipsam in matris utero fuisse sanctificatam, quæ prærogativa Helyæ, Hieremiæ, Sancto Ioanni atque Sampsoni secundum hebræos concessa fuit. Quoniam vero domina nostra perfectior extitit majus, sibi privilegium competit: non quod hoc nobis in contumeliam fuerit: quia Sanctus Ioannes beneficium habuit maius illo quod communiter hominibus tribuitur. Quocirca quum domina nostra Mater Christi fuerit, maiorem prærogativam susceptura erat, quam sanctus Ioannes. Nam, quemadmodum in quinto libro patebit, Christus fuit prima creatura in perfectione præ cæteris creaturis, & virgo secunda: Tantum enim perfectionis habemus: quantum & unionis eum Deo. Et quum Christus fuerit in primo gradu unitus & Mater in secundo, patet necessariò ipsos fuisse cæteris perfectiores.

At quia domina nostra ita erat cum suo creatore unita, oportebat quod perfecta esset in principio suo super omnibus creaturarum principiis extra filium. Quoniam autem quidam alii absque peccato creati fuerunt: a fortiori ipsa sine peccato & eum potissima gratia, sed talis opinio plerisque incorruptis competit: qui dum eis iniuriam

facere existimant: ubi non tantam corporis & mentis habilitatem aut divitiarum copiam, quemadmodum & aliis tradiderit. Verumtamen isti non reminiscuntur: quatenus Deo conpetat de suis operibus ad libitum disponere, & quod sensuales creaturæ Dei sunt: & tamen non attingunt ad gloriam.

Quapropter licet non ejusdem perfectionis cum domina nostra simus: sat est via atque remedium quod nobis dominus pro salute nostra tribuit, dummodo eum assequi voluerimus. Quod autem inquirant: quod appetitus in membris nostris manentes sunt originale peccatum: hoc nempe minime valet, quia manifestum est appetitum non esse peccatum: nisi quod potest esse causa peccati. Quoniam per appetitum multoties peccamus, & alias meremur. Primum enim est appetitus, deinde actus peccandi, & postremo obligatio appetitûs, ergo non est peccatum: nec valet inferre, habemus appetitum: igitur peccatum, quia Adam & Eva aliquod appetebant, ut patuit, quamvis sine peccato essent.

*Quod nihil de bonitate nostra abstulit nobis Deus,
ut eam matri praberet. CAP. L.*

Iam manifestum est Deum non fecisse nobis iniuriam, majori prærogativa matrem suam donando quam quod in communi datur. Deinceps quæremus, an nobis quicquam sit ablatum quod in Virgine poneretur, ut bona ac perfecta evaderet: Sed reor neminem latere, quod beata Maria nihil de nostra humanitate abstulerit. Verum quod luculentius atque verius dicere possumus, nos ab ea dignitatem habuisse, aut quod aliquam gratiam receperit, ut nostræ debilitati remedium adhiberet. Quod si illa perfecta esse debuit, ut filius Dei in ventre eius pro nostra salute humanam carnem susciperet, quanto perfectior virgo fuisset, tanto majorem utilitatem ab ea expectabamus.

Quam quidem materiam Deus aperte declarat: Vbi operarios redarguit, qui in vinea ad laborandum mane steterant, & postea de solutione conquerebantur, dicente domino vineæ. *Amice nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade, aut mihi non licet facere quod volo? Aut oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum?* Accirco quod Deus ab omni macula gloriosam virginem prætervaverit, quænam inconvenientia aut iniuria aliis exitit. Quidam verd iracun-
dia

dia moti ratione convinci nequeunt, quin immo credunt quod omnes sine exceptione peccare debuimus, & Christum extrahunt, qui unus est ex omnibus neque in hac reservatione Deus contra suum ordinem egit. Unde probabimus quod quamvis matrem præservaverit, nullatenus humanitati contumeliam fecisset. Quia licet inveniremus quosdam ex sanctis dicere, quod omnes eramus in peccato concepti, nonne majorem efficaciam verba Dei habent qui interdum expressè erga omnes loquebatur? Postremo autem alicui particulariter gratiam inferebat, veluti, quando cum diluvio minabatur dicens, *jam finis erit omnium hominum, delebo ipsos à facie terræ. Ecce ego adducam aquas diluvis super terram, ut interficiam carnem in qua spiritus vita est, subter calum, & universa quæ in terra sunt consummentur, & absque dubio tenemus quod Noë cum uxore, filiis ac nurbus cum pluribus aliis animalibus liber fuerit, atque exemptus, ab illis minis sub quibus quælibet mundi creatura erat, & tamen exceptio fuit, nec aliter intelligendum est circa auctoritates de originali gratiæ carentia.*

Nam quum Deus sineret matrem suam maculatam esse, videretur fecisse quemadmodum quædam animalia quæ dum obesse nequeunt detrimentum inferentibus, lapides aut propria membra eorum mordent. Attamen considerandum est Deum non fuisse ejusdem consilii & inperspicaciæ, ut omnino propter culpam populi, carnes & membra sua maculari permisisset.

Quum nil aliud in hoc facturus erat quàm præbere eandem gratiam, in unione corporis & animæ, quæ in baptismo omnibus datur, & de hac gracia præbenda citius aut tardius nemo injuriatur. Nam si hoc esset injuria: potius injuriatæ vocarentur quæ filios concipiunt & pariunt, eo quod cum doloribus partus edunt, ac virginitates corrumpunt, & beata Maria sola à corruptione Virginitatis, & doloribus pariendi conservata, quamvis in maledictione contra primam mulierem habeatur, cum doloribus omnes mulieres esse parituras habemus, quod in resurrectione Christi plura alia corpora resurrexerunt, & tamen nulla ex hoc injuria fuit illis, qui non resurrexerunt, quoniam partim per eorum merita, & partim per voluntatem Dei, actum est: & quicquid Deus vult & operatur de ratione potest, & optimum est.

*Quod Sanctus Thomas in alio loco habuit quòd
domina nostra libera esset, & quòd hic univer-
salem opinionem insequitur. CAP. LI.*

DUm aliquas Sancti Thomæ opinionones de anima inspicimus, non admiramur de eius sententia adversus libertatem conceptionis dominæ nostræ. Quum de anima tractando inquit, quòd organizato humano corpore, Deus non potest agere, quin rationalem animã in eo eret: similiter & in aliis hujuscemodi locis Dei potentiam limitare voluit, species in esse essentiæ æternas atque necessarias imaginatus est, quòd legi repugnat, sed forte hoc in aliis locis sequendo legem moderavit & in libro quod libetorum scribendo, utrum deus ab omni macula matrem liberaturus erat, asserit quòd eam liberare debuit, ex eo quòd melius erat absque peccato, quàm cum peccato, sed in decursu temporis oppositum dixit. Undè videtur quòd fuerit universali legi attentus, asserendo Deum noluisse, aut non debuisse ab originali carentia matrem liberare. Et in hoc passu non immerito videndum est, an Deus voluit ac debuit matrem à quacunque macula liberare.

Quod potuisset, nulli est dubium: præcipuè, quia in hac re non devastavit aliquem naturæ ordinem: nisi tantum accidentia: quia homo ex sua natura sine peccato creatus est. Sed si peccatum originis est per accidens, cur Dei potentiam impediabat, quin matrem ab eo custodire posset? & licet peccatum naturale esset, naturã Deo subicitur, de qua penes libitum disponere potest, & ipse Deus tenetur semper, quæ meliora sunt, operari, dummodo nemini contumeliam inferat. Sed hic manifestè patet: quod honos Dei esset suam matrem honorare, & Christi pariter laudi ascriberetur, ut ex perfecta & immaculata matre sit ortus, & hominum quoque ex propria specie talem habere patronam, & quod præservata fuerit nulli hoc dedecori obicitur, licet tenendum sit, diabolo displicuisse, quod nequaquam sibi injuria fuit, nam quamvis angelus malus fuerit effectus, tamen ab omni peccato mundus creatus: & similiter quòd domina nostra sine labe fuerit concepta, nil mirum nec cuiquam impedimentum: ex quo manifestatur, Deum ab omni peccato matrem salvam facere debuisse, ex eo quòd hoc melius erat, quàm in macula deliquisse. Quamobrem planè apparet quod idem egerit, quæcunque enim debet, potest ac perficit.

Quòd, qui aiunt Dominam nostram peccatum habuisse videntur sequi comparationem, quam aliqui de Cæsare & Alexandro faciunt. CAP. LII.

Forsitan Thomistæ voluerunt illam viam assumere, quæ à quibusdam capitur, dum de Cæsare & Alexandro comparationem faciunt, dicentes: quòd quum Cæsar ex magis infima progenie fuerit, & per semetipsum in sublimem dignitatem subiit, major sibi laus quam Alexandro adhibetur, qui regis filius erat. Sed talis comparatio minimè congruit ad propositum de beata virgine, quia inter hos duos imperatores principatus aut mundi honores expetuntur, & quoniam fermè æquales fuerunt, si Alexander multo plus quàm Cæsar adeptus esset, sicuti in principio, semper utique majus nomen obtinisset: & licet in operibus atque temporalibus rebus æquales fuissent, si simul invenirentur, Alexandrum præcedere diceretur, quum ait, ex sublimiori progenie, quod nempe ubique prospicimus. Si enim quisquam ex honesta familia ducit originem, quamvis in aliquibus deficiat, vel à recta semita declinet, & rerum indigens sit ubicunque degit, omnes eum majori honore prosequuntur, quàm si esset ex infima progenie oriundus, eò magis quod dum virtutibus erit ornatus, multò major honos adhibetur, quam alicui alteri suisimili in virtute, & ex vili stirpe nato. Quòd si illi, qui ex laudabilioribus parentibus nascuntur, primitus in aliquem errorem incidunt, nunquam ita se extollere queunt, quin aliqua tabes seu infamia remaneat, ut patet. Quod si aliquis spurius natus est, & post suam nativitatem legitimitur: quanquam virtute præditus, nunquam spurii nomen deperdet, nec ipsum pro legitimo honorant.

Alij furantur & luxuriantur in adolescentia, verùm in decursu temporis assiduè cum quodam scrupulo seu difficultate visi sunt. Quapropter eis decentius extitisset, ex bonis parentibus nasci, & bonos mores amplecti. Dum enim pater filio dignitatem daturus est, & in ipsius arbitrio generandi legitimum aut spurium filium manet, sine proposito videtur, ipsum generasse spurium, & postremò legitimare, quum in nullo decursu temporis, quamvis spurius filius bonæ indolis sit, possit illam partem labefactatam abstergere: quam in conceptione receperit, saltem quoad nominis vel honoris famam. Nemo

enim gloriari potest se in peccatum aut aliquam culpam incidisse. Quia aliud est bonis fortunæ indigere, & scire quis se divitem faceret: quam peccavisse, & postea devotè vel sanctè mori; nam quo ad paupertatem, homines non erraverunt, eo quod natura nos pauperes ac nudos producit, & in ultimis dierum ad eandem inopiam redigimur, & licèt donec vivimus nobis aliquid de temporalibus bonis affocietur, non tamen quòd in nobis proprie convertatur, ut sit de sanctitate aut errore.

Ad exemplum verò de imperatoribus redeundo, non videtur simile esse casui beatæ virginis, Quoniam inter eos dumtaxat de temporalibus bonis decertatur. Sed in virgine de dignitate & puritate inter sanctos, eo quòd Dominam nostram oportuit sanctam vitam degere, ut mereretur mater Dei esse. Quum autem ejus principium legitimum ac perfectum fuerit, laudabilius erat quàm si in ea quequam peccati intervenisset, nam si per maculam positam in principio suo est magis laudanda, quam sine macula, etiam inferre possumus, quod debuerat esse Mariæ Magdalenæ, & non virgini similis, ex eo quòd post plura peccata per conversionem fuisset admodum collaudata.

At vero talis imaginatio inanis esset atque absurda, quòd laudabilior sit maculata in conceptione: quam plena gratiæ. Nam reservatio, ut in peccato non caderet gratia est, & cadere non potest dici gratia. & quia melius est conservatio in bonum, quàm declinatio in turpe, cunctis constat, quatenus in domina nostra laudabilius erat quòd semper à peccato immunis esset, quàm cadere & deinceps resurgere. Et sic evangelium narrat generationem ipsius Mariæ, In principio inquit: *liber generationis Domini nostri Jesu Christi filii David.* Si verò Christus commendatur ex eo quòd ex optima generatione in quantum homo descendit, sequitur fuisse ei obicurum ex parentibus improbis devenire: nam tunc non diceretur in evangelio *liber generationis Iesu Christi.* Sed potius obligatio, & quatenus Christo laus adhibetur, etiam matri suæ tribuenda.

Qualiter parisienses articuli contra libertatem dominicæ nostræ minime sunt tenendi. CAP. LIII.

INter articulos parisiis reprobatos, etiam damnare volunt tenentes, quòd domina nostra sine peccato concepta esset. Verumtamen
parisi-

parisienses reprobationes à diversis hominibus, atque in pluribus temporibus factæ sunt, & quamvis præsumatur illos omnes doctos fuisse, non tamen legitur quod ex eis quisquam fuerit canonizatus. Quocirca ipsi quoque, tanquam homines, in aliquibus locis errare potuerunt, & quod interdum aliquis eorum errasset, per ipsosmet patet. Vnus enim ex reprobatoribus postea in reprobationibus suis fuit ab aliis reprobatus, licet tanquam sapientes honorandi sint, quemadmodum ipsi faciunt, dum aliqua dicta quorundam sanctorum damnare volunt, & itidem ubi rationem non ostendunt, neque de præcepto fidei, nequidem de universali concilio. Quòd si sit ita ut aiunt non cogimur ad tenendum ipsos, maxime dum verba quæ assignant, sibi ipsis opponunt, sicut ubi de conceptione Domine nostræ loquuntur: quia manifestè in contumeliam & absque respectu tendunt, & aliter quam res se habet.

Dicunt enim in principio esse contra fidem, quòd necubi reperitur: Quoniam, ut mox videbitur, veluti ubi Paulus inquit:

Omnes in Adam peccaverunt. In iis verbis nullam mentionem de primis nec de secundis personis agit: ideo non de omnibus absque exceptione, nec ullam aliam à posteris auctoritatem habemus, in qua omnes præcisè præter Christum peccavissent, & quòd efficacius est, quam plures sancti particulariter dominam nostram assernerunt sine peccato conceptam, utpote sanctus Alphonsus, & alii plures, veluti in hoc libro comprobatur, & tot sanctorum dicta denigrare, maxima est præsumptio: licet Sanctus Thomas ipsam cum peccato & sine peccato conceptam fuisse testetur. Et ubi posuit quòd sine peccato parisiis damnatur: & quàmplura etiam alia dicta sua. Sicut ubi tenet: quod una sola forma sit in homine: & quòd corpus Christi mortuum non esset idem numero, quòd vivum: Et isti ponunt quòd maximum esset inconveniens. Quòd tunc alia res fuisset, & non illud quòd antea erat corpus Christi, & quòd infusa rationali anima sensitiva & vegetativa destruantur: & similiter damnatur, ubi ponit, quòd aliqua res extra deum, habeat esse necessarium, & itidem contra quosdam alios beatos.

Sed ad propositum nostrum prosequendo, inquit, tenere dominam nostram sine peccato conceptam, est opinio falsa, scandalosa, præsumptuose asserta, & piarum aurium offensiva. Quòd si istas blasphemias de verbis suis intellexerunt, bene res se habet. nam manifestè contra libertatem, atque indigna audita sunt. At pro nuve
de falsi-

de falsitate dimittamus. Quoniam hoc in toto processu demonstratur, videlicet, quis nostrum veriore rationem habeat, Verum dicendo scandalosum esse tenendo Beatam Mariam sine peccato fuisse conceptam, ubique & semper inter Christianos experientiam comprobatur, qualiter scandala proflexerint à dicentibus quod peccatum contraxerit, & nunquam ab affirmantibus quod sine peccato fuerit. & ubi ajunt, præsumptuosè. Respondemus quod nulla sit præsumptio, asserere, quod mater Dei sine peccato concepta fuerit: hoc enim sapientia, benignitas, & bonitas maxima est, præsumptioni impugnans. Quumque dicatur piarum aurium offensiva, petimus: quam pietas sit tenere dominam nostram, esse in peccato conceptam, aut quis potest pius vocari qui scandalizetur audiendo dominam nostram sine peccato esse? inferendo, quod de Christo pietatem habeant, dum ajunt, quod mater ejus sine peccato fuerit. Quærendum est, an credant quod Christus eorum pietate egeat, aut quem filium viderint in contumeliam assumere; dum audiret, quod mater ejus præ cæteris creaturis munda esset. Dum autem inquit idem est unum hominem ab originali peccato exemptum esse, præter Christum, ac si decem homines ponerentur exempti, est omninò fallum. Quoniam nulla conditione decem invenirentur habentes eandem rationem exemptionis, quam domina nostra habuit. Quia non erant matres, neque patres Dei, sicut & domina nostra mater fuit. Ideoque in similibus locis, ubi contra textum & ordinationes concilij non tendimus, nequaquam sunt tenendi reprobatores, dum rationes non adducunt, & scimus nos adversus secundam creaturam mundi procedere, de beata virgine blasphemiam adducendo, quod est potissimum quando ipsam maculatam imaginamur.

Et si inferre volunt, quod causa honoris Christi domina nostra peccatum contrahere debebat. Responderetur, quod si verum esset, melius erit peccare, quam non peccare. Quod falsissimum esse constat.

Et si propter honorem Christi bonum fuit quod peccasset, similiter propter honorem Dei optimum fuisset Adam & Evam peccavisse. Quum Deus propter eorum peccatum, humanam carnem assumpserit, ad nos redimendos, & inde plures Deo laudes attribuímus, sed plures atque majores offerremus, si in statu innocentie omnes semper maneremus, & ex parte nostra nimium utilius sequeretur. Tandem tenere, quod bonum fuerit Adam & Evam peccasse, est omnimodè absonum, & similiter de domina nostra dicetur; nulla enim laus nec utilitas

utilitas alicui emanaret, quod ipsa peccavisset. Denique qui volunt mala bonis præponere, in alicujus nocimento absque utilitate alterius proculdubio invidi de bono proximi sunt denominandi, & invidia de bono proximi maximam denotat maliciam, & quod invidi aut inperspicaces sint, hi damnatores, de quibus hic agimus, probatur, nam si verum dixissent sequeretur Christum non potuisse per aliquos gradus perfectius quam omnes creaturæ, nisi quod omnes creaturæ fuissent maculatæ, ab aliquo peccato, quæ absurda excogitatu. Quoniam tunc omnes angeli in eo instanti, quo creati, & Adam & Eva ante peccatum, erant ita perfecti ut Christus, quia sine peccato. Sed hoc non est dicendum, quia tunc fuisset merito tenendum, quod Angeli qui nunquam peccaverunt essent pares Christo, quod longe aliter se habet, & sic Beata MARIA non debebat esse minor filio propter peccatum, nisi etiam minorum graduum perfectionis, & iste honestus atque commendandus ordo est apud omnes rationales. Non autem quod unus maculetur per aliquem errorem, eò quòd alius dignior vocetur. In hoc verò potest dici, quòd Deus ostendisset se invidum esse, quàm permittendo matrem mori, ut legem gratiæ imitaretur, tum etiam hinc fuisset habenda pietas de matre, ex eo quòd propter filii dignitatem esset maculata.

Quod Christus non redemit à peccato Dominam nostram in passione, nisi quod paradisi aditum aperuit CAP. LIII.

Quidam dicunt; quòd si virgo MARIA originale culpam non contraxit, Christus in passione sua nequaquam pro ipsa solvisset, quod falsum atque erroneum esse apparet: Quum tenemus quòd universalis humani generis redemptor fuerit, quòd si Beata MARIA redempta non fuisset, filius ejus nequaquam esset universalis Salvator.

Sed contra has objectiones respondendo aimus, diversimodè Deo subserviendum dummodo finis noster bonus sit, & in domo Dei multæ sunt mansiones: ideoque variis modis Christus potest humanos salvos facere. Quamobrem salvatio non strictè capitur uno solo modo, nisi lato, & in pluribus. Iccerico veluti aliqui redempti sunt post peccata, aut à macula sublevati, Domina nostra salva fuit vel reservata ne caderet. & hæc custodia verè salvatio est, & sic Christus in morte sua

te sua pro cunctis peccatoribus solvit, & quicumque in paradysum profecturi erant, gloriam aperuit. Quoniam ante passionem Christi nemo in gloriam intrare poterat, hoc est, ad fruendum divinâ visione. Et quum opus erat, quod beata virgo de prerogativis legis Christi lætaretur, hanc quoque de paradisi apertione utilitatem expectabat: ed quod cum peccato, aut sine peccato, nullus homo, priusquam Christus, in veram gloriam accedere poterat, licet in passione ejus plerique sancti Patres, qui jam antea obierant, salvi facti sunt, sed pro gloria passionem operiebantur.

Nam Domina nostra, ut per scripturas constat, jam diu ante passionem filii jamica Dei erat, & plena gratiæ; & quia plena gratiæ, sequitur, quod sine aliquo peccato. Quapropter erroneum est dicere, quod propter peccatum non potuisset in gloriam ascendere, quum nullum habuerit peccatum seu gratiæ carentiam, maximè quod Christus per verba sua bonos commendabat, dicens.

Non est opus benevalentibus medico, sed malè habentibus. & rursus sequitur: Non veni vocare justos, sed peccatores. Unde patet: Christum non solvisse in morte sua pro aliqua Beatæ Mariæ macula, nisi quod viam ad majorem beatitudinem tradidit.

In Evangelio, ubi de lavaero cœnæ agitur, Christus ait Petro: *Si non laverò tibi pedes non habebis partem mecum:* cui Petrus. *Non tantum pedes, sed pedes & caput.* Christus verò inquit. *Qui lotus est: non indiget ut caput lavet, nisi pedes tantum.* In quo apertè promittit, quod omnes cum peccato aut sine peccato, præcepta adimplere debemus. Quod postremò declarat. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Auctoritas verò de qua agimus dicit. *Qui lotus est non indiget ut caput lavet, nisi pedes tantum:* & sic anima virginis, quæ tanquam caput erat, non indigebat lotione, sed quo ad corpus indigebat mori ut univèrsale præceptum adimpleretur. Quoniam in separatione vel divisione inter animam & corpus nullum peccatum intercedit.

Quòd Domina corporaliter mortua sit, ut lex Christi adimpleretur, & non propter aliquod peccatum

CAP. LV.

QUando inquirunt, quod si Domina nostra peccatum originale non habuisset, nullo pacto mortua fuisset, quia aliter Deus injuriam ei fecisset

ei fecisset, non respiciunt quod innocentiae legem præterierit, & nemo in ipsa amplius salvari potest. licet nullum haberemus peccatum ob hanc causam, quod Deus voluit, ut lex illa præteriret, & novam exhiberet, nam sicut nemo salvari præter in mosaica lege, posteaquam lex gratiae venit, itidem de lege innocentiae tenendum est: ex eo quod jam præterierit.

Et in hoc passu non quærimus, an peccatum habeamus vel non habeamus; nisi quod lex innocentiae jam transiit, nec est amplius lex, & sine lege nemo salvari potest. Quamobrem necessariò opus erat, quòd Beata virgo Christi legem sequeretur, lex verò Christi est quòd omnes moriamur, & à mortuis resurgamus, & qui non moritur minimè potest resurgere, & secundum legem Christi, qui non resurget non habebit vitam, eo quòd Christus mortuus est & resurrexit, pro cuius imitatione nos idem facere debemus.

Nam dicente Evangelio quòd qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; & qui non crediderit, condemnabitur; istud præceptum oportet ad imitationem Christi observare; & quòd similiter moriendum atque resurgendum sit, ut lex ipsa adimpleatur: nam dum infantes baptizantur circa nativitatem observandæ legis causâ, patres vel patrini pro eis creditum pollicentur; & ita tenemus, quòd innocentes baptizati in fide parentum salvantur: Quoniam parentes promittunt eos christianam legem edocere; atque in ipsius cultum compellere. Quòd solum agimus ut observetur lex, nec aliter de morte & resurrectione intelligetur.

Cæterum pœnes naturam omnes morituri sumus: quum ex materia generabili & corruptibili componamur. Tamen in statu innocentiae per proprietatem, quam Deus in fructu vitæ posuerat; de ipso comedendo, vitam nostram præservabamus, donec Deus voluisset nos in alium mundum trasferre, verum perfecta gloria nequaquam in morte aut non morte corporis manet, nisi in translatione ad cælum, & divina visione, quòd ita moriendo quemadmodum & non moriendo haberi potest. Sed domina nostra non fuit nata ad manendum in terrestri paradiso, in quo est fructus vitæ, nisi inter peccatores pro eorum medela, nec habuit locum comedendi de fructu vitæ, extra quem non possumus nunc, nec in statu innocentiae longam vitam nancisci. Sed de fructu vitæ aut non vitæ dimittamus. Omnes enim Christum sequi oportet, si modo salvari volumus, vel cælesti gloriâ potiri, ut in plurimis verbis ipse facillimè videri potest, veluti dicendo.

Qui non manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, non habebit vitam æternam, & alibi pollicitus est se refulecitaturum in novissimo die manducantes suam carnem, & bibentes ejus sanguinem: & in his verbis atque aliis pluribus similibus de perfectione legis atque ejus conservatione agit, non autem quod peccatum habeamus, vel non habeamus, sed affirmat legem esse adimplendam, ut ad fruendum vitâ beatâ ire possimus.

Demum si Domina nostra mortua corporaliter non esset, duo potissima sequerentur. Primum: quòd non esset denominanda de eadem lege cum filio, secundum verò, quia dignior filio videretur, quòd hoc & illud dignitati filii opponeret.

Quatenus magna scandala intervenire soleant, ex causa accipiendi falsum principium loco aut in re.

CAP. LVI.

A Ssiduè magna profluunt scandala propter initum falsum principium loco aut re, nam dum quisque quòd tenere cœpit tutari intendit, plerumque in tantam obscuritatem vel mentis caliginem pervenitur, quòd arduum videtur, aliquam posse veritatem elici. Enim verò quidam extiterunt, non modo affirmantes Dominam nostram originale peccatum contraxisse, immo & ejusmodi opinione obsecati dicere ausi sunt, veniale peccatum commississe, inter quos quendam Gregorium ariminensem assignamus. Quamobrem lanè dicere possumus eos esse nigromanticis similes, quos ob eorum malitiam Deus sinit, ut ex malo in pejus deveniant. Quoniam expressè teneamus, quòd Dominam nostram plenam gratiâ Angelus appellaverit, dicens: *Ave MARIA gratiâ plena Dominus tecum.* Et *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi:* & mater Dei eris semper intacta. Quòd utique semper de præterito capimus, & præsentis atque futuro. Si enim de una sola parte temporis diceretur, oporteret distinctionem assignare de præterito aut futuro. Verumtamen absolute dicendo, semper intacta, pro quocunque tempore intelligitur, quamvis à quibusdam sempiternum pro longo tempore dicatur: & non præcisè pro semper, & adducunt pro exemplo, ubi Deus promisit David Regnum Israël pro se & sua progenie, sed ii admodum decipiuntur.

Deus enim talem promissionem fecit sub conditione, quod filii & successores viam observarent, quæ fuerit ab ipso David observata. Et quum Salomon memorationem ageret beneficiorum à Deo in patrem collatorum, dixit regnum fuisse patri & successoribus promissum, & Deus quoque Salomoni dixit. Quod prius promiserat genitori suo David & quod ipse rectam viam non observavit, propter quod regnum successoribus auferret.

Hic autem accipere possumus corporaliter dumtaxat sempiternè donec mundus erit, spiritualiter verò sine fine, quod nempe in Christo demonstratur: qui ex progenie David venerat, & in spiritualibus perpetuò dominabitur: pariterque quum beata Virgo semper intacta dicatur, palam intelligimus pro animæ puritate, quod spiritualis, & semper accipitur, quod in nullo puncto fuit tacta, nam licet hic non semper dicamus, intelligendo ab æterno, fuisse creatam: tamen hoc semper capimus, ex eo quod nunquam fuit tacta. Sed si quis dicat Dominam nostram aliquos labores tolerasse, inferendo, quod ab initio aliquam imperfectionem habuerit Respondemus, quod quandoque corpora defatigantur, nec propterea animæ onus vel meritum advenit.

*Unde assumant principium illi, qui dicere voluerunt
Dominam nostram veniale peccatum habuisse.*

CAP. LVII.

DEveniendo ad illos qui dicere audent quod Domina nostra veniale peccatum habuerit, videntur assumere principium ex Isaia, aut ex quadam Epistola Sancti Petri, ubi ait:

*Qui peccatum non fecit, nec est inventum in ore ejus mendacium, & in hoc nonnulli exponere volunt, quod nunquam fecit peccatum: quod de omnibus præsupponat: & sic si Domina nostra originalem culpam contraxit, etiam in ore ejus fuit aliquod mendacium, quod manifestè est erroneum: & ista auctoritas in simili loco incongruè est exposita. Quoniam Epistola atque prophetia antequam ad hunc passum deveniret, præcisè de Christo tantum loquebatur, & non universaliter, dum enim conditiones Christi enarrat inquit: *Qui nunquam fecit peccatum: nec est inventum in ore ejus mendacium*, quod de Christo dumtaxat relationem facit, non in communi, ut dicendo: quis non fecit*

peccatum? quia solùm hic Christum testatur ejusmodi conditionis extitisse. Attamen quidam Theologi quærunt ista in favorem conceptionis beatæ Virginis dirigere, aliique in oppositum, licet nequam sit proposito congruens: eo quòd pro tunc Sanctus Petrus & propheta in lege scripturæ de Christo solùm loquebantur.

Licet quòd Beatus Ioannes in Apocalypsi inquit. *Vidi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus.* & subdit: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.*

Prosequendo autem: & in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt ante thronum Dei, sub his verbis utique Beati Ioannis non de uno solo, immo de pluribus inferre potest absque macula esse, præsertim quòd peccatum in ore eorum inventum non sit, quamobrem si centum quadraginta & quatuor millia virgines Ioannes vidit absque peccato in oribus eorum, multò magis de Domina nostra firmandum est, nullum in ore suo peccatum extitisse.

Quòd magna sit temeritas imaginari Dominam nostram non habuisse quamcumque prærogativam. CAP. LVIII.

Quisnam dubitat non esse tributam quameumque prærogativam Domine nostræ, quamvis in scriptis particulariter non invenitur à Prophetis nec ab Evangelistis traditum? Nulla enim in Evangeliiis fit mentio, quòd Domina nostra genus duceret ex stirpe ac progenie David, neque habemus ubi baptizata fuerit, nec quòd Christus interrogasset, quid sibi videtur aut quisnam ipsa esset: quemadmodum ab Apostolis exquisivit. Quia non oportebat talem interrogationem à Domina nostra fieri, eò quòd nullum dubium habebat de Christi dignitatibus, ut in tempore passionis demonstravit, in quo omnes discipuli declinaverunt, sed Domina nostra semper & quotidie firma ac sincera fide perstitit. Et quum Evangelistæ ejus excellentiam cognoscerent, satis erat scribere Matrem Dei fuisse, in qua omnes excellentiæ continerentur.

Qualiter aperienda sit Via, ut nonnulli ab obstinatione sua desistant, asserentes. Quòd Beata MARIA propter originale peccatum, dolores atque mortem corporalem sit passa. CAP. LVIII.

INter alia argumenta, quæ Beatus Thomas adducit nonnulli sequacium ejus unum præcipuè inquirunt pœnitens insolubile esse, ita procedendo.

Propter peccatum Mors in hominibus ingressa est, & idcirco si peccatum non esset, Mors nostra minimè extitisset.

Amplius; nemo punitur nisi per aliquem errorem, & nulla pœna ante errorem datur, nisi post. Nunc sic; Beata Maria est mortua, igitur per aliquod peccatum sive errorem, non per peccatum quòd factura erat, nisi per præteritum.

Præterea quum Mors sit pœna, Deus vocaretur iniquus, si Matrem suam morti traderet, dummodo aliquam culpam in ea non profexerit.

Hæc autem verba licèt infima seu logicalia sint, aliquo modo superficialiter videntur in vulgus colorata. Sed quoniam hæc verba infima appellamus, decet quippe ad alia altiora fundamenta deveniamus ad aperiendum principia hujus difficultatis, & quia in Genesi principia nostra merendi ac demerendi scripta sunt, in primis ad Genesim occurrendum erit.

Scriptum est enim duas arbores in Paradiso terrestri esse, alteram scilicèt ad observandum vitam nostram, & alteram ad destruendum ipsam, hoc est, quòd dum comederemus de fructu vitæ, sine corruptione viveremus, & comedendo de fructu vetito morte moreremur. Undè varia occurrunt exponenda, quæ pro nunc dimittemus, tamen dicimus, dato quòd Patres nostri de fructu vitæ & fructu vetito comedissent, perimus, quis istorum fructuum erat alterum præcessurus, Non malus: quoniam semper anteponendum est bonum, eò quòd malum ad non esse aliquo modo aspicientiam habeat, & bonum esse & verum convertuntur. Quapropter si primi parentes de fructu vitæ comedissent, essent incorruptibiles facti, ut per verba Dei omnipotentis pater, qui projecit ipsos de Paradiso dicens.

Nunc ergo ne fortè immittat manum suam, & sumat etiam de lig-

no vitæ, & comedat, & vivat in æternum, emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram de quâ sumptus est eiecitque Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubiu, & flamineum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

In his verbis absque commento omnibus patet, quòd non morimur, ex eo quòd peccatum habeamus, nequidem pro pœna peccati quum Deus aperte dicat. Nunc ergo ne fortè immittat manum suam, & sumat etiam de ligno, sequitur quòd iam de ligno vetito & non de ligno vitæ assumpserit, & tamen inquit. Quòd si etiam de ligno vitæ assumeret, & comederet, in æternum viveret. Unde probatur quòd Mors corporea nostra præcise consistit ex eo, quòd de arbore vitæ edere non possumus.

Quapropter non significat aliquod hære peccatum propter quod morimur, & oppositum tenentes, nullam quidem consimilem nec alteriusmodi validam auctoritatem in suum favorem habent, & iam ipsi de fructu vetito comederant, & Deus dicit, quòd si de fructu vitæ comederent, in æternum viverent, hoc est, sine corruptione, ubi non invenitur, quòd Adam & Eva de fructu vitæ comedisent, & sic mortui sunt, ex eo quòd de arbore vitæ nullum assumpserunt cibum.

Quòd parvus vel nullus dolor fuit in morte Dominae nostræ, & quia in bonis non est Mors signum peccati, eo quòd non omnis dolor est pœna proprie dicta, idest, per solutionem errorum. CAP. LX.

BEatus Thomas tractando utrùm Christus à natura moriturus erat, asserit, interdum ad observationem vitæ, oportuisse de fructu vitæ comedere. Si verò Christus, in eo quod homo, ad vitam observandam de fructu vitæ indigebat, cur ergo idem de Domina nostra dicendum non erit? Quapropter non potest manere argumentum, dicens, quòd injuria illata esset Beatæ Mariæ in morte ejus, si peccatum non haberet. Tandem unum expetendum est, cur potius Dei genitrici illata sit injuria, ex eo quòd mortua ex parte corporis, quam si mortua ex parte animæ, quandoquidem in separatione animæ & corporis, nullus natura error sequitur. Sed de macula animæ odiosum

natura videtur, idcirco de hoc facta esset Dominæ nostræ injuria.

Uerumtamen si Christus naturaliter juxta quorundam Doctorum; utpote Beati Thomæ opinionem, ablatis quibusque respectibus quoad hominem moriturus erat, dummodo de arbore vitæ non cibaretur, & apud omnes constat nullum habuisse peccatum. Sanâ & istorum sententia, manifestatur Dominam nostram non esse mortuam, ex eo quod aliquod peccatum continuisset, nequidem mors ejus Maculam continere significat, nisi quod lex in qua manemus est omninò observanda, ut salvari possimus. Iam enim lex innocentiae perivit, quæ de re nullus in ea salvari potest: dato quod nullum contraheretur peccatum, & nullus sine lege salvandus, ideoque necesse est conditiones ipsius legis amplecti, ad hoc quod suis prærogativis gaudeamus.

Lex Christi mori jubet, & tamen non peccare, ergo non ex eo quod peccatum contraximus, in lege Christi morimur. Unde si beata virgo non fuisset corporaliter mortua, de lege Christi non numeraretur, quod malè sonaret.

Et ad Thomistarum argumenta præcisè respondendo, ubi dicunt propter peccatum mors in hominibus ingressa est: Conceditur, quod propter peccatum sumus à Paradiso voluptatis ejecti, sed negatur quod propinquè per peccatum corporaliter moriamur, nisi quod causa fuit, quod Deus ex Paradiso voluptatis Adam & Evam projecit, ne de fructu vitæ comedissent. Quocirca hæc exultatio, & carentia commisionis de ligno vitæ, propinquè nos ad corpoream mortem conducunt, non autem peccatum. Itaque morimur, eò quod naturam morituri sumus, & super naturam, quoniam de fructu vitæ non comedimus, propter quod argumentum adversantium soluitur.

Asserendo, nemo punitur nisi per aliquem errorem, distinguendum est de quo errore dicat. Utrum de proprio, an verò alieno, sive de hoc aut illo: Si de proprio tantum, aut alieno tantum, hæc utique propositio tanquam falsa. Quoniam sæpe justii pro peccatoribus patiuntur, hoc est causam malefactorum. Nam Beata MARIA in passione filii plures dolores passa est, & tamen hic ob nullum proprium peccatum passa est, præterquam ob Judæorum errorem.

Quando rex Herodes iussit necari pueros, innocenter ipsi pueri mortui sunt: & quantum sine culpa interempti Innocentes nominantur. Christus aequaliter fuit causa mortis eorum, & tamen nullum peccatum commisit. Vnde dicendum est quod propter Judæorum errorem in Passione Christi Domina nostra multa adversa passa est,

& Innocentes propter Herodis malitiam mortui. Rectè igitur inter pœnam & dolorem distinguendum est, ut melius quid dicamus, intelligi possit. Nam omnis pœna est dolor, sed non omnis dolor est pœna, assumendo pœnam pro debiti solutione, cum horrore facta, & de tali pœna nulla quidem in Domina nostra interfuit, sed quamplures dolores, quòd non erat alicujus debiti sive erroris solutio. Quoniam in Passionis dolore non pro se nec pro filio, nequidem pro Judæis solvit, sed solum doluit, in quo multa bona meruit. Quum verò mereamur dum ad compassionem malè se habentium cum dolore commovemur etiam in morte ad imitationem Christi, multa bona mereamur. Ipse enim super omnia unumquemque nostrum jubet crucem assumere, & cum assequi. Quòd nil aliud infert, quam vivere & mori, quemadmodum ipse fecit. Unde si Mater ejus mortua non fuisset, contra legem filii manifestè egisset.

Sequendo, inquirunt: Beata MARIA est mortua, igitur per aliquod peccatum sive erioem, non per peccatum quod factura erat, sed per præteritum. Ad quod respondetur: Beata MARIA est mortua corporaliter, conceditur. Sed quod per aliquod proprium peccatum, negatur, tanquam falsum, & dicendo, non per peccatum quod factura erat, nisi per præteritum, quia nulla pœna datur ante peccatum, nisi post. Respondetur, quod in Domina nostra non fuit pœna propter præteritum, neque futurum peccatum, quum ipsa nullum haberet debitum, sed dolores assumpserit, quæ pœnæ solutiones non erant, ut Christi legem adimpleret.

Cæterum, dum dicunt quòd, quum mors sit pœna, Deus vocaretur iniquus si Matrem suam morti traderet, dummodo aliquam culpam in ea non prospexerit. Respondetur negando, quòd mors in Sanctis sit pœna peccati, nisi dolor tantum merendi, aut habitus colligendi fructus bonorum operum; & quòd mors in bonis non sit pœna solutionis alicujus erroris, per omnes antiquos & modernos religiosos & irreligiosos patet. Unde fertur mors in bonis bona, & in malis pessima. Et quòd Deus esset iniquus dum Matrem morti traderet, si peccatum non habuisset. Respondetur, quòd potius iniquus ostenderetur, dum eam ad legem gratiæ non reduxisset, in qua moritura erat, nam honestius dicendum est in Deo, quòd matrem ad legem gratiæ deduxerit, quàm quòd post amicitiam & denominatam plenam gratiæ, ipsam ob culpam à primis parentibus deductam mori fecisset. Quæ de re omnia hæc adversantium argumenta absque fundamento frivola sunt.

Amplius de morte BEATÆ MARIÆ videndum est, qualis fuerit. Mors enim in se ultimâ assumpta, parum vel nihil dolet. Nam dum homo ultimâ moritur, jam ferè omni sensatione caret, veluti comprobatur in omnibus, qui aliquando per aliquem casum mortificati steterunt, quia post primum maximum dolorem, per quem membra ad mortificationem declinant, nil sentimus, ut patet. Quoniam eò tunc multa in nobis operantur, de quibus nil prorsus recordamur, nec dum similia in nobis fiunt, movemur, & sic dum anima à corpore separatur, membra aliquanto removeri solent, sed parum est comparative ad horribilitatem, quam in primo motu doloris ostendimus, quæ nos ad illam insensationem deducit. Unde palam constat mortem in se non esse maximi doloris, & quicquid non maximi doloris, minimè est valde timendum. Et quòd maximus dolor non sit, est protinus inter omnes homines divulgatum. Quum asseratur, quòd aliqui homines aut mulieres, per maximum displicitum vel gaudium alicujus novi, mortui sunt, & non per maximum discursum, sed festinati, absque pedum & manuum motione, & quòd hæc mors per retentionem anhelitûs fiat, vel ex eo quòd omnes Spiritus ad eor decurrant, & statim ibi totum humidum radicale consumant, saltem qui ex gaudio moritur confestim, sine membrorum motione, parvum vel nullum dolorem sentire potest, & si hoc in pluribus personis contingere potest absque dolore mori, quantò magis anima & corpus DOMINÆ nostræ absque tormento separari potuerunt? & ubi non dolor, ibidem nec pœna propriè dicta. Unum asserendum est, quòd alios plures dolores horribiliores in passione filii assumpsit, quam in separatione animæ & corporis.

Verumtamen valde mortem timemus, quamvis scandalosa non sit, eò quod in lege gelidi sumus, & causa nostrorum operum, quo ituri sumus ignoramus, & talis representatio horribilis est, non autem dolor mortis. Nam si apertè sciremus: eò quod in omnibus videremus se habere, quæ per spacium dimidiæ horæ post mortem, aut per aliud breve spacium resuscitaremur, & sine fine in summo gaudio maneremus, unusquisque mori veller. Unde nullam poenam in morte consideraremus, neque diceremus esse, nisi aliquàlter membrorum dolorem, licet parvus, de futura delectatione considerando, & anima nil pateretur in hoc nisi membra tantum.

Membra enim sæpè numero de peccatis nostris lugent, & tali luctu anima nimium gaudet. Nunq̄ sic, BEATA MARIA assumendo se-

cundum legem; eo modo quo disputamus, manifestè aut sine aliquo dubio, sciebat se esse ituram ad gloriam, atque in anima & corpore resuscitandam fore, & quòd sine comparatione melius post mortem, quàm prius se haberet. Petimus nunc, quàm poenam de morte habere potuit, aut quæ injuria est sibi illata, eò quòd ex erumnis ad delectationem deducta?

Conceditur quòd membra aliquem dolorem ob amicitiam cum corpore sensissent, sed quia corpus illud corrumpendum non erat, ut de ratione tenendum est, nisi integrè cum anima reuniendum, potius dormitio quàm mors in Domina nostra dici potest, & sic in Evangelio tractante de Lazaro habetur, quòd Christus de morte ejus dormitionem dixerit, eò quòd citò resuscitandus erat.

Domina nostra secundum plurimorum Christianorum sententiam resurrexit eo die, quo obiit; eo quòd ratio ita vult. Quum plures alii resuscitati sint, qui non ita amici Dei erant; sanè tenendum est, quòd **MARIAE** Virginis translatio potius est denominanda dormitio, quàm mors, & quòd parvum dolorem habuerit, necessariò probatur, quum sciret, quò itura erat, & quòd ad gloriam. Quapropter nulla sibi injuria inferri potuit, ex eo quòd mortua, nam potius est dicendum habuisse dolorem seu poenam; si dicere volueris, in filii passione quam in propria morte, quoniam de passione tantum habetur, quòd gladius pertransierit animam ejus; quæ quidem transitio potius dolet, quàm ultimata separatio inter animam & corpus, & tamen passio & resurrectio filii erat sibi revelata, nec quicquam dubitabat; nihilominus de filii dolore merebat: & de proprio dolore gaudebat. Si enim de filii dolore non doluisset, nimium doleret non doluisse, nam sæpe dolemus, non posse dolere peccavisse. Et hoc, modò concessio, quòd membra Dominae nostræ in separatione ab anima aliquantulum doluissent, anima de ejusmodi dolore gavisata esset, & forsitan tanquam dormitio, aut sine horrore fuit separatio in ipsa. Quia jam visum est in pluribus honestis personis, quòd loquendo, aut sine trepidatione animam Creatori suo destinant, quoniam in honestis personis plerumque hoc bonum expertum sit, quanto magis in Domina nostra, quæ poenitus beata seu sanctissima erat? in qua quidem moriendi facilitate non post dici poena solutionis alicujus debiti, quum poena solutionis scandalosa atque horribilis dicatur. In Beata **MARIA** non est scandalosa, non horribilis; igitur aliquantulum membrorum dolor, & non poena peccati denominari potest.

Et sic dato, quòd Christus à natura mortuus esset, si de fructu vitæ non comedisset, mors ejus sine dolore esset, & forsitan sine aliqua mortificatione, aut modo dormitionis: & de statu innocentiaè haberetur, quòd aliquo modo in translatione ex hac vita in alteram per modum dormitionis vel transfigurationis sterisset. In quo aliqua nova remotio, ultra illud quod esse solebat, dignosceretur.

Ulterius: Christus est circumcissus, & membrorum circumcissione dolorem adducit: & tamen Christus nullum continebat peccatum, siue originalem maculam ne quidem gratiaè deficientiam. Quod rectius dicitur, quia quamvis macula dicatur, dicenda esset gratiaè carentia. Sed ad rem, Christus in circumcissione passus est, aut pœnam doloris assumpsit. Et si dicis quod hoc erat ad exemplum aliorum hominum: respondetur, quòd circumcissio non fuit data per Christum, sed Abrahæ imposita deo neque Christus erat salvaturus genus humanum per circumcissionem, autem in Moysaica lege, nisi in lege gratiaè. Et si responderetur, quòd de lege gratiaè etiam est circumcissio: dicendum est, quòd nos tantum de præcepto Christi baptizamur: & non circumcidimur. Unde asserendum est: quòd Christus ne legem Judaicam exscandalizaret, circumcissus est.

Quemadmodum exemplum capere possumus, dum iussit Petro in capharneis didragmam censûs solvi, quem pro Romanis exigebant, ne populus scandalizaretur.

Sanctus Ioannes Baptista in matris utero sanctificatus, in qua sanctificatione gratiam habilitationis assumpsit, ut meritoria opera ad fruendum gloriaè exequi posset: Nihilominus circumcissus est, in qua circumcissione dolorem passus & tamen ipse non erat humanitatis redemptor, & ultra hoc baptizatus est & circumcissus, ut legem scripturis, in qua natus est, adimpleret, & baptizatus in observatione vel sequela legis Christi, & eo modo, quo circumcissus & baptizatus, etiam mortuus causaè observationis legis, similiter de Domina nostra dicendum est, quòd quamvis in conceptione sanctificata, oportebat baptismum assumere, & corporaliter, mori, ut Christi legem adimpleret.

Præterea deveniendum est, ut sciscitemur, an per naturam remoti ab arbore vitæ, & arbore mortis, morituri aut non morituri eramus, non enim immortales. Quia per naturam quæcunque ex contrariis constant corruptibilia, vel dissolubilia sunt: corpora nostra sunt huiusmodi; igitur per naturam corruptibilia: & corruptio non datur in animalibus

malibus sine morte; ergo à natura mortales, dummodo per gratiam non conservaremur. Non invenimus aliam gratiam juxta sacram scripturam nisi in arbore vitæ, sequitur quòd dum de ea non cibamur à natura, mortem obiremus, licet peccatum non haberemus, & probatur.

Non datur arbor vitæ neque arbor mortis, nec aliquid aliud præceptum, unde sine præcepto nullum esset peccatum, & tamen naturà essemus mortales, igitur non morimur ex eò quòd peccatum habeamus.

Benè asserimus quòd si patres nostri non peccavissent, omnes homines de fructu vitæ comederemus, & cum illo vita nostra sine corruptione observaretur. Sed quia peccavimus, non comedimus de fructu vitæ, & quia de fructu vitæ non comedimus, morimur. Non est autem immediata causa mortis comestio vetiti fructus. Quoniam in similibus locis, illud quòd est causa causæ secundæ, non est causa causæ tertiæ: exempli gratià.

Deus est causa Luciferi, & tamen non est causa peccati ipsius, & similiter comestio de fructu vetito est causa, quòd de fructu vitæ non comedamus, & tandem non est causa quòd moriamur; quia hoc est, quòd de fructu vitæ non edimus. Nam, ut visum est, dato quòd de ipso comedissemus, si de arbore vitæ assumeremus & cibaremur, incorruptibiles essemus, & ideirco causa mortis corporeæ est, quòd de arbore vitæ non cibamur, non autem peccatum,

Et probatur taliter dicendo, Aut quòd corpus est potius obnoxium quàm anima, aut non potius obnoxium: quomodo nullum irrationale peccare potest, Quum ibi non detur scrutatio seu vera cognitio inter bonum & malum. Corpus est hujusmodi: ergo perse peccare nequit, & si simul cum anima peccare potest, semper anima, eo quod intellectualis, in peccato principalis erit.

Nunc sic: nulla anima ex solo originali peccato est mortua; mors enim animæ infernus est; & nulla anima condemnatur ad inferos, nisi propter actuale peccatum, ut in hoc libro visum est, ergo nullum corpus ex originali peccato moritur. Quum non sit major ratio, quòd corpus peccato moriatur, quam quòd anima nequidem tanta: ex quo fit, quòd non per peccatum, nisi quòd de arbore vitæ non cibamur, obimus, eo quòd à natura morituri, & fortitudo ad resistendum corruptioni mortis, in cibo vitæ consistebat: & sic remoto fructu à natura morimur, & tamen mors non significat peccatum, & patet.

pater: quia omnia animalia sensualia moriuntur, quamvis nullum peccatum habeant: & nos quoque naturâ morituri sumus, & naturâ minimè peccatum habemus, nisi ab accidenti tantum. Unde non sequitur, quicquid moritur, peccatum habet: quoniam in rebus de contrariis compositis mors naturalis est, & peccatum non naturale, sed accidentale.

Amplius, concedamus pro nunc, quòd Domina nostra in macula esset concepta, propter quam culpam mortua sit, ut tu dicis, asserendo; quòd Deus iniquus esset, si eam mori siverit, dummodo culpam aliquam non habuerit, Nos verò in hoc loco præcisè è contrario sentimus, asserendo, quòd si Deus punivisset matrem suam, aut ad mortem causâ originalis peccati deduxisset, magna in eo iniquitas perpenderetur.

Et probatur: juxta sententiam sapientum pravo animo denotatur, qui post amicitias, de elapsis inimicitis recordatur. In sacra scriptura tenemus Deum dixisse quòd post reconciliationem, de iniquitatibus & sceleribus populi non recordaretur, nunc sic Deus, si verbum divinum, Beatam MARIAM in Matrem elegit, quam in utero sanctificavit, in quo per novem menses mansit, & postmodum in eo quòd homo est ab ea educatus, quam usque in passionem & in passione in veram Matrem atque amicam honoravit, & tu asseris quòd deinde post omnes prærogativas & amicitias eam per justiciam mori fecerit, ex hoc quòd in originale culpam ceciderit. Quidnam horribilius atque absurdus & auditu indignus adduci poterit? Quum in omnibus principibus & aliis hominibus, qui rationem habent, sit penitus detestabile. Quòd post amicitias & initum fedus, aut ubi culpantibus paremus, ipsos demum puniamus. Quòd si in omnibus rationalibus hoc malum est, in Deo siquidem, quia summè bonus, pessimum ac nefandum esset. Sed quia in ipso nullum datur malum, nequaquam sequitur, quòd Matrem suam ob aliquam originale culpam mori siverit, postquam eam in matrem & amicam assumpserit. Quòd si hoc fecisset, quòd dari non potest, minimè de eo confidendum est. Scilicet, quòd interdum beatos, qui nunc sunt in gloria, ad inferos non præcipitaret. Quum nulla anima & nullus angelus sit potius cum Deo vel Christo confederatus, quàm Domina nostra ante mortem ejus.

Et dicis quòd eam mori fecerit propter jam indultam culpam, & error indultus, juxta punitionem idem est ac si nunquam erravissimus; nam parcere, seu sub amicis confederare, de quacunque pe-

naturam

narum remissione intelligitur. Verùm si hoc Deus adversus matrem egerit itidem tenendum est, quòd quandoque beatorum animas mori sinet, ad inferos eas trudendo, tamen quia nos non præsumimus, quòd talem pœnam matri suæ impendisset, nec concedimus, quòd aliquando beatorum animas mori faciat, qui mortem Beatæ MARIÆ causâ peccati post amicitias ponit, de necessitate oportet concedat, Deum esse iniquum, si quandoque beatorum animas, quæ nondum apud inferos steterunt, condemnat. Quia aliter minimè administraret justitiam & æquitatem, uti debet. Quæ quidem omnia inaudibilia sunt, & consequenter, quòd Domina nostra ob aliquam culpam obiverit, nisi quòd mortua ex eo quod de arbore vitæ non comederit, & quòd omnimodò Christum assequi debemus, si salvari volumus, ut ipse in pluribus locis testatur. Quia tanquam ultimum bonum seu meritorium dicit esse, quòd quis animam, idest, vitam pro amicis ponat: uti ipse pro nobis egit, & quia ultimum bonum nullatenus peccatum significare potest. Unde Thomistæ malè interpretati sunt asserentes, quòd omnis persona, quæ moritur, peccatum habere significat. Quia Christus mortuus est, & tamen non peccavit, nec peccatum habere aliquatenus denotavit. Naturâ verò lenescebat, eo quòd de arbore vitæ non comederat. Quocirca omnes sumus naturâ morituri.

Quòd si solùm mater ejus à Mortis corporeæ nexu liberata esset, assignare oportet ad quam similitudinem fieret, quum primi parentes, & Christus mortui sint. Si verò Beata MARIA non obiisset, ipsa sola in mundo immortalis, & tunc nullatenus esset filio similis, nisi admodum dissimilis, atque à pluribus dignior filio vocaretur, quod maximum esset inconveniens: èd magis quòd de fructu vitæ edere non potuit, ex eo quòd inter gentes degere oportebat, non autem in paradiso terrestri, ubi solus Helyas, Enoch, & Sanctus Ioannes sunt ad conservandum vitam per comestionem fructus usquè in judicium.

Et quia pro tanto tempore vitam prosperam in virtute ligni vitæ obtinent, asserendum est, quòd sine fine vivere possent, licet de ligno vitæ assiduè cibarentur, & tamen Helyas, Enoch, & Sanctus Ioannes sunt in originalinoxâ concepti: & de fructu vitæ comedendo sine fine vivere possunt, confiteri oportet Dominam nostram non esse mortuam propter aliquam originalem culpam, in quam incurrisset: nisi quod non comederit de ligno vitæ in paradiso voluptatis plantato.

At super similibus, nonnulli occurrunt eum expositionibus, in figura fabularum allegoricè ac sub diversis nominibus. Sed dum cum textu sacræ Scripturæ non conformantur, hæc dictio, significabat, si aliud non demonstrabitur, paucam infert efficaciam.

In Evangelio Christus inquit: *Amen amen dico vobis; si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum* Et alibi. *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* In his verò Evangelicis auctoritatibus proculdubio manifestatur, quòd qui præcepta Christi observat habet vitam in se, & non morietur in æternum: unde dicendum est, alterum de duobus esse dandum: aut quòd verba Christi vera non sint: aut verò quòd per mortem causatam à peccato seu culpam tantùm loquatur, non autem de morte corporea. Beata MARIA quodeunque præceptum usque ad minimum observavit; ergo vitam in semetipsa habuit, & in æternum vivet, & si per originale peccatum aut aliufmodi mortua est, verba Christi nequaquam promissa adimpleverunt, quod absit à nobis, talia scilicet imaginari, unde concedendum est Dominam nostram, non propter peccatum corporaliter extinctam, nisi ad imitandum filium, & quòd de arbore ligni vitæ non comedit, nequidem mortuam, eò quòd à Patribus generata, quia dato quòd de ligno vel lapide homo generaretur, oporteret quòd ad assumendam habitatem seu originalem justiciam, baptizaretur: & etiam hic homo morturus esset, si de ligno vitæ non comederet, & idcirco non decet, quòd leviter de originali peccato loquamur, si modo primitus varia ac plurima fundamenta non aspiciamus, & explanamus.

De doloribus seu planctu MARIE in lege veteri ac nova prophetizatum erat. Hieremias; *O vos qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Quòd utique in B. MARIA completum est.

In novo testamento dixit Symeon MARIE. *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Unde palam fit, quòd propter amorem filii plurima erat passura.

Christus in Evangelio. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Et subdit: *& eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Et hinc sine enygmate locutus est, qualiter Discipulos ad occisionem propter nomen ejus atque in odium omnium hominum mittat.

Alibi: *si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit,*

deinde subdit: *Non est servus major Domino suo.* In quibus verbis palam ostendit, velle quòd sibi similes in vita & morte simus.

Et rursus. *Non veni mittere pacem, Sed gladium.*

In passione ait: *Vos omnes scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim, percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis.* Et deinceps respondens Petrus ait illi: *etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Item: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Et omnia hæc scandala propter nomen ipsius Christi proveniebant, eò quòd de voluntate & jussu ejus erat, quod unusquisque crucem assumeret, & Christum sequeretur, & quod aliter discipuli ejus esse non possumus, propterea quòd semper honestus discipulus Magistro assimilari debet.

Et sic leus inquit, *Potesis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Hoc est, pati tormenta sicut & ego patior.

In responsione ad discipulos Joannis Baptistæ: *Et Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Et hic nullatenus intelligendum est, quòd Beatus sit qui in nomine Christi non patietur, nisi qui à fide ejus non declinaverit, & quia Beata MARIA semper stabilis in fide perstitit, ipsa tantum inter amicos Christi verè Beata. Et si de illis, qui per dolorem scandalizabantur intelligeretur, dicendo. & *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me:* de ipsomet Christo assumeretur, quod recte Beatus non erat: quum de passione ejus doluerit, sive timuerit & sic ait.

Pater, si passibile est, transeat a me, & calix iste, & legitur, quòd in illo tunc guttas sanguinis, propter horrorem mortis, intudasset. Quocirca intelligendum est beatum esse illum, qui de fide ejus tempore adversitatis seu scandali non declinaret.

In resurrectione Lazari Christus planxit, & similiter super destructione Jerusalem ploravit, & hic non lugebat pro alicujus salvatione, nisi ut cognosceretur, quòd humanus pius atque amicus erat: quòd si hæc omnia egit, ut nobis exemplum traderet, si nos idem non ageremus, in quonam dieis, quòd sibi similes essemus? Si enim jejunavit, & pro nobis passus atque mortuus est, hoc utique ad dandum exemplum. Si enim Deum non oramus: nec jejunamus: & suo nomine nullum supplicium patimur, quonam pacto inferre possumus nos Christum assequi, aut Christianos esse? Verumtamen contra irreligiosos & non in dimidio religiosorum, similia disputanda sunt, nam pueri, qui idoneas matres habent, cuncta hæc sciunt, quòd nos ad
similitu-

similitudinem Christi multa corporum supplicia dum hic vivimus, passuri sumus, & quòd mors in nomine ejus, sic, vel sic assumpta admodum commendatur, & quum Mater Christi præ ceteris de suppliciis filii percussa fuit, ipsa liquidem præ ceteris quoque meruit, & si magis ac magis passa, non peccatum, sed nimiam ac nimiam sanctitatem ostendisset. At quia omnia Martyria, quæ in scœminina specie honeste dari possunt, in Domina nostra completa fuerunt, pariter & ipsa omnium mulierum sanctissima appellatur. Demum si nullum passa esset dolorem, nec mortua esset, minime legem Christi sequuta fuisset, quòd absit à nobis, ut talia imaginemur.

Denique improprie similes declarationes Thomistis fiunt. Quum ipse Thomas habeat, Quòd dato, quòd Adam & Eva non peccavissent successio peccati potuisset, & juxta hanc opinionem nullum originale peccatum, neque aliusmodi, à primis parentibus contrahimus, nam si Adam & Eva non erant confirmandi ad merendum pro nobis, nequaquam ad demerendum, quia non est major ratio in malum, quàm in bonum, immo minor, & quia nondum continebant privilegium, ut peccare aut mereri non potuissent, per consequens nec potestatem ad salvandos vel condemnandos filios: & sic habemus, filius non portabit iniquitatem Patris, & quoniam primi parentes ante peccatum fuerunt in via merendi, ac demerendi, nec ullum originale peccatum continebant, Similiter asserendum est, quòd assumpto Baptismo, nullum nos originale contineamus peccatum, nam si eam Maculam haberemus, semper ad gloriam inhabiles essemus, quia non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, per medium Baptismi, nati sumus, ubi nulla culpa remanet, tunc enim verba Evangelii vera non essent, quòd stare nullo modo potest.

Quoniam pacto naturalis mors non significet esse causam alicujus peccati, quòd in nobis sterisset, neque signum peccati, quanquidem Christus in eo tunc mortuus non fuisset. CAP. LXI.

Quum autem Thomistæ inter alia nimium in morte Beate MARIE insistere videntur, volentes per hanc separationem originale pecca-

peccatum in ipsa ostendere, nos quoque aliquid rursus dicemus. E primum ita petimus, aut quòd separatione inter animam & corpus est peccatum, aut saltem signum peccati, vel non, si peccatum aut signum peccati, nullatenus negari potest, quòd Christus peccatum non haberet, aut saltem signum peccati. Et ipse in Evangelio inquit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et si in morte, aut melius in separatione corporis & animæ, signum peccati contraxit, proculdubio contra præceptum suum egit, quoniam hoc tenebrare & non illuminare videntibus fuisset, & sic absurdum est opponere quòd Christus peccavisset, cum nequidem signum peccati habuerit. Unde necessario concedendum est, quòd separatio inter corpus & animam nec est peccatum, neque signum peccati.

Secundum legem, nec per cælum, nec per terram, aliaque hujusmodi bona, peccare possumus, & si Christus egit id quòd circa omnes de universalis regula est effectus peccati, quomodo Salvare ipsum possumus quòd peccatum non contraxerit?

In alijs locis veluti in instanti conceptionis, omnia perfecta accipiendo & sine Matris dolore, pariterque in nativitate ab omnibus alijs hominibus valdè differens, extitit. Et hic non opponitur signum peccati, nisi tantum majoris vel minoris perfectionis signum: imo multo magis in morte esset ab omnibus alijs differens: si ibi peccatum vel signum peccati esset.

Præterea aut quòd Christus potuit nos absque morte, vel non, salvare. Si salvare: cur cum signo peccati nos redemit? Et si dicis quòd in hoc modo decuit. Respondetur: quòd nunquam error vel signum ejus decere potest. Quòd si nos aliter salvare nequivit, dubitandum esset, quòd non fuerit Deus & hòmò: sed absit nobis talia imaginari.

Et si asseris quòd cum morte sua mortem nostram liberavit: petimus de qua morte intelligas. Si enim de morte corporis, salvati non sunt sumus: quia omnes homines corporaliter morituri. Si verò de morte animæ, quoniam modo cum signo peccati tot bona causare potuit, quoniam natura stare non potuit? Et si mors corporis & animæ separatio est signum peccati, qualiter omnes morimur, Et dicimus quòd Christus nos à peccato liberavit?

Uterius animarum & corporum separatio, est omnibus animalibus, naturalis atque necessaria, sive essentialis. Et perficere id quòd essentia nostra sit, quisnam inferre potuit, quòd sit peccatum vel signum peccati?

ti? & sic non propriè mors circa illos qui arbitrantur, quòd pro separatione animæ à corpore, assumatur nisi mors per descensum animæ ad inferos, & esset largo modo pro corporis corruptione, & sic Mercurius Trimegistus asserit: Nulla res quæ semel vivit moritur, sed animæ a corporibus separantur, tamen ipse pro vita propria & non accommodata assumit. intelligas, quòd omnes animæ per naturam intrinsecam vivunt, & sic nulla earum mori potest. Sed quia corpus non propriè vivit, nisi accommodatè vel accidentaliter, neque propriè potest dici mori nisi consumi.

Et similiter in Genesi dum Deus dicit Adæ: *Ex omni ligno paradisi comedere, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, hic pro deviatione à gratia Dei, seu animarum poena, mors intelligitur. Adam enim non est mortuus, ea die qua de fructu verito comedit. Sed circa maledictionem adversus animam, eadem die mortuus est.

Denique naturaliter assumendo, aut secundum legem quàm nunc habemus, oportet quòd animæ & corpora separentur, si ad origines suas reverti volunt, & de eo, sine quo naturâ esse non possumus, neque est in lege prohibitum: nisi potius cum ipso nullum quidem peccatum haberi significat, quàm vis sæpe mortis scandalosæ peccatum, in malefactoribus significet. Sed similes mortes non sunt de essentia nostra intrinseca, & sic eas excusare possumus. Iccirco patet qualiter secundum naturam, aut legem Dei mori meritum & non peccatum, significet, & aliud inferre circa omnes sapientes contra dignitates Christi erit.

Verumtamen merito in hoc loco de morte Christi rursus aliquid dicendum.

Mors siquidem violenta sæpe à iudicibus pro peccatis extrinsecus adventibus ordinatur, eò quòd in tormento & agonia mortis, aliquam de commissis rebus satisfactionem patiens exhibeat, & sub hac communi ordinatione Christus, in quantum quòd homo & caput omnium, violenta morte potuit omnium hominum peccata solvere. Et ideo quando Christus mortuus fuisset naturali morte, aut sine aliquo dolore, seu non per hominum sententiam, tanquam pro præteritorum malorum solutione, nullatenus arguere possumus, quòd Christus cum morte sua nos salvaverit. Itaque potius per passionem quàm per mortem dicimus, nos ab eo fuisse redemptos, & si nullum dolorem in vita, neque in morte pro nobis sustinuisset, aliter nos Salvaf-

se diceretur, & non per passionem aut mortem. Licet quòd si ob nostram occasionem non fuisset, translatus esset ab hoc mundo ad alium, & non mortuus. Et tamen hic admodum advertendum est, quo semper ante oculos habeamus, quanta Christus diligentia in operibus ac verbis suis usus sit, ne videretur sic vel sic mortem ejus esse in ipso peccati signum.

Unde ait. *Vae autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et in aliis locis ostendit in hunc inferiorem mundum, ad patiendum pro nobis venisse, & tamen noluit tanquam homicida sui ipsius convocare illos, qui eum occisuri erant, ut ipsam occiderent. Alibi etiam in passione ut innocentiam suam aut nullum in eo errorem esse Christus ostenderet, Ait:

Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga & in templo quo omnes judaei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.

Deinde: *Si malè locutus sum testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cadis?*

Amplius: cum Judæis Pilatus loquens ait: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, Nam remisit illum ad nos, & ecce nihil dignum morte actum est ei.*

In quibus verbis per Christum pronuntiatis, & etiam à Pilato atque Herode, tanquam judicibus, patet qualiter Christus nullum signum peccati ipsius, in morte ejus intervenisse voluit, neque intervenit, & si in his, quæ ab extra sunt, Christus super se signum peccati consentire noluit, quanto itaque minus de intrinsicis? Si enim intrinsecè mors nostra peccatum continere significat, nulla quidem excusatione seu opere ab extra probare possumus, si morimur, nos peccatum non habere. Et quia Christus mori voluit proculdubio sequitur quòd mors in se nullum peccatum significat.

Omnes Prophetæ de vero Messia loquentes de judæis conquerebantur eò quòd per eorum maliciam Messiam occisuri erant nec unquam, ob ipsius Messia sed judæorum culpam id fieri finxerunt.

Et Christus denunciando discipulis istius mundi tribulationes, ait: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.*

Et in alio loco: *Beati estis quum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me.* In quo Christus palam docet, qualiter beati erimus si veritatem sive ipsum

ipsum Christum assequimur, & propter hanc sequelam alia gentes nos persequuntur. Tamen quod persecutiones non propter peccata nostra, sed ex eo, quod dum assequimur, & malè viventes reprehendimus, persecutiones patimur, & sic in his locis aliisque hujusmodi pluribus comprobari potest, nec in morte Christi, nequidem beatorum aliquod peccati signum interfuisse.

Et si opponeretur, ut à nonnullis fieri solet, quod mors Christi ad salutem animarum nostrarum omnino necessaria erat, & quod ob hanc causam Deus in Christo solusignum peccati mortem non esse derogavit.

Respondemus, quòd adventus Christi seu veri Messie erat proculdubio necessarius, non tamen mors, ut per omnes Prophetas de ipso Messia loquentes, comprobari potest, quia de morte ejus conquirebantur, & judæos valde reprehendebant, & admonebant, ne id ipsum patirant, eo magis, quod ante passionem ipse integram ostendit potestatem parcendi peccatis, atque perfectam legem exhibendi.

Quum dicat: *Remittuntur tibi peccata, vade in pacem & noli amplius peccare, fides tua salvum te fecit*: intelligendum est fides tua disposuit me, ut tibi gratiam darem. Tamen quia Christus omnino patiens promissus erat, ut è converso quam Adam se haberet, posita judæorum perfidia, oportebat quòd contra delectationes sensuum esset ad mortem, & non ad peccandum patiens, de quo siquidem extensius in tertio libro apparebit.

Sed hic alium casum ponamus, ut dicendo: *Domina nostra non contraxit originalem culpam*, ideo est sibi illata injuria, eò quòd mortua, esset injuria, quòd postquam nata scivit bonum eligere, & malum reprobare, & est cognoscere se nudam esse, & verecundari ad ambulandum nuda inter alias gentes. Nam primi parentes bonum suum cognoscebant, & non malum. Sed quia de fructu vetito comederunt, aperti sunt oculi eorum ad sciendum bonum & malum, & ad cognoscendum quòd nudierant, & verecundiam esse se nudos manere.

Positis his omnibus, petamus illos qui tanquam à casu loquuntur, quoniam modo hæc omnia salvare queant, quòd rectè se haberet beatam MARIAM nudam ambulare, & se nudam esse non cognoscere, nec verecundari ne quidem aliquam habere cognitionem de miseriis, & varietate hominum præteritorum, præsentium ac futurorum? Et quo facillius tale inconveniens intelligas, ponamus quòd baptizati patres,

aut ad christianam legem deducti, in vigore ipsius legis totum originale peccatum pro se & suis successoribus delent. Unde secundum te nullus istorum indueretur, nequidem cognosceret se nudum esse, neque mori. Quocirca libertas hominum ab eis esset ablata. Nam dum alii hoc privilegium in Christianis viderent, omnes ad ipsam christianam legem reducerentur. Et Deus in prima innocentia aliisque statibus, liberos & non coactos nos esse voluit. Et sic patet non decere, quod Domina nostra nuda ambularet, & quod se nudam esse non cognoverit. Idecirco mori licebat, quamvis sine originali peccato, & quod sciret bonum eligere & malum reprobare, in quo loco causam loci inferre possumus, quod homines qui nimium latum, longum, triplicatum, quadruplicatum induunt, multa peccata habent. Quia de nudatione nimium verecundantur, & sic plura perizomata super se apponunt. Quique minus induuntur, & paucam verecundiam de nudatione sua habent, minus peccatores sunt. Velut æthyopes atque alii, qui nudi manere solent.

Demum mors corporea duplex est, altera earum siquidem naturalis, & altera violenta.

Naturalis nullum continere peccatum significat. Nam à natura palam constat omnes homines esse morituros, & ideo antiqui sapientes quamvis vera lege carerent in diffinitione nostra mortalitatem posuerunt. Quocirca à lege capitur, quod si primi parentes non peccavissent, morte non moreremur.

Ulterius in ipsa lege habetur, esse valde dispares homines, qui Deum agnoscunt & sua præcepta observant, ab his qui Deum & legem negant, & tamen isti & illi omnes pariter moriuntur, & si causa peccati omnino morituri essemus, aut quod peccatum continemus, baptizati & credentes Deum, diutius viverent, & cum multo minori horrore morerentur quam non baptizati. Sed quum nulla inveniatur disparitas inter religiosos & irreligiosos, in longitudine vitæ nequidem in asperitate mortis negandum est, quod mors naturalis significet evenire ex eo quod aliquod peccatum in nobis steterit.

Mors vero scandalosa aliquod peccatum commisisse significat, & sub hoc ordine Christus scandalose mortuus est, ut pro sceleribus nostris solveret. Sed Mater ejus nullum debitum erroris pro se, neque pro aliis cum morte solvit, quoniam naturalem mortem, & non scandalosam, obivit, & Christus nullatenus mori voluit, quin prius constaret nullum in ipso esse errorem, ut vilum est.

Quomodo in prima innocentia absque alia confirmatione homines se habuerant, & cur lex gratiæ cum prima equiparatur, si modo non superat, unde sine blasphemia Christi legem innocentie super nostra commendamus. CAP. LXII.

IN superioribus capitulis multa super morte beatæ Virginis dicta sunt, ut palam constaret, qualiter mors ejus non fuerit signum continentie alicujus peccati, in hoc etiam sequenti quædam tangenda sunt, & quoad materiam plurima exaggerare possumus, quæ tamen quanto brevius poterimus, à nobis per solventia.

Præcipue quod multi in blasphemiam legis gratiæ de amissione status innocentie frequentius conqueruntur, ac si in eo tunc homines tanquam Dii, & nunc à quacunque benedictione Dei alienissimi, ac protinus destituti, & ut elarius procedamus, aliqua de statu innocentie tangemus, ut videamus quas prærogativas in eo tunc Adam & Eva possederint. Nam primitus Adam de limo terræ factus, & anima ejus à Deo spirata seu producta, attamen corpus de facie terræ plasmatum & Eva de costa hominis, in quo principio primi parentes parum à principio nostro differebant juxta compositionum excellentiam.

Cæterum inquit non enim Dominus Deus pluerat super terram: & homo non erat qui laboraret terram, & in eodem capitulo subdit: Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut laboraret & custodiret ipsum.

Deinceps quum serpens ad mulierem accederet dicens: Cur de ligno scientie boni & mali non comeditis? Respondit mulier. De omni ligno paradisi comeditus, de ligno autem scientie boni & mali præcepit nobis Deus ut non comederemus: ne forte moriamur,

Insuper in eo tunc nudi erant & non verecundabantur. Qua de causa in statu innocentie manere dicimus ad quam similitudinem, dum nunc parvuli sumus, innocentes appellamur, in qua innocentia seu pueritia nil verecundamur, quanquam nudi maneamus, nequidem de aliqua alia re, quam agere possumus.

Nunc verò assumptis his omnibus principiis, satis possumus de excellentia status innocentie cognoscere. Nam quum dicat: & homo

non erat, qui laboraret terram, hic palam asserit, quòd similiter in illo statu ipsam terram laboraturi in eramus, ut de laboribus nostris cibaremur: quia si ad vescendum laboraturi non eramus, cur ergo laborandum? Non enim induitionibus indigebamus, quandoquidem primi parentes nudi erant, & non verecundabantur. Quibus dumtaxat præceptum fuerat de assumendis cibis, & procreandis filiis, nullum autem de indumentis. Quocirca concedendum est, aliquos labores esse in eo statu capeffendos: & confirmatur, quum dicat, quòd *Dominus plantavit paradysum voluptatis, & posuit in eo hominem ad laborandum, & custodiendum ipsum.* Unde videtur paradysum voluptatis fuisse tanquam pomarium, & Adam & Evam ut laboratores vel hortolani, & in laborandis atque custodiendis pomariis aliquæ contingunt curæ ac defatigationes; sed dum laborarent, & omnes simul mutuo amore se amarent: cuncta prosperè eis succederent. Verùm similiter aut parum differenter in lege nostra contingeret, si quispiam in sanctitate degeret.

Et quòd ita esset plura exempla de lege Scripturæ & gratiæ adducere possumus. Nam Deus aspiciens bonitatem Moyfis, atque quorundam aliorum bonorum judæorum concessit, quòd dum Moyles virgâ mare rubrum tangeret, aperiretur, ut populus Israëliticus transiret. Quadraginta annis judæi in deserto steterunt, & Deus de optimis cibis utpote de manna & coturnicibus eis providebat.

Et postquam Moyles ascendit supra montem Synai, legem à Deo accepturus, non invenitur quòd comederit aut biberit, donec per quadraginta dies ibi demoratus est.

Elyas unico ac minimo prandio totidem diebus ambulavit, & multa itidem alia beneficia invenimus Deum in lege veteri suis servis impendisse.

Nihilominus omnes Prophetæ atque omnes sancti Patres incessanter Messiam perfectorem legis exposulabant; & quia perfectorem, sequitur quòd perfectam legem erat daturus; quam nos legem gratiæ esse dicimus, in qua habetur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, & qui non crediderit, condemnabitur. Signa autem illos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo demonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

Uterius, habetur quòd ipse Christus mortuos resuscitabat, pariter & suo nomine discipuli. Quinimmo pollicitus est nobis redemptor noster,

noſter quòd ſi tantam fidem haberemus ut granum ſynapis, & diceremus monti huic, tranſi, & tranſibit, præterea: omnia poſſibilia ſunt credenti; & quòd quæcunque poſtulaverimus patrem in nomine filii, dabit nobis, ſi firmiter crediderimus,

Amplius; per baptiſmum & bona opera, filii Dei efficiamur. Nunc; ſi omnia hæc ſimul, nonne cum lege innocentiae æquiparari poſſunt? forſitan quòd Adam & Eva plus quam Dei filii erant, aut majorem habebant poteſtatem, à Deo in lege illatam, quàm ad movendum montes de loco ad locum, & reſuſcitandum homines de morte in vitam.

Ad quòd reſpondendum eſt quòd non inveniuntur majores perfectiones juxta dignitates creaturis attributas, quam quæ ſunt in lege gratiæ promiſſæ. ſed quis eſt ille qui Chriſti legem adimpleat, & ad orabinus eum? quum ſoli Apoſtoli & quidam alii optimi Diſcipuli eam adimpleverint, & ſic ſignum credulitatis erat in eis; quoniam linguis loquebantur novis, infirmos ſanabant, ac mortuos reſuſcitabant. Nos autem nil de ſimilibus operibus agimus. Cur ergo legem blaſphemamus, & aliam commendamus, eo quòd in ipſa non ſtetimus? ſed ponamus, quòd nunc in lege innocentiae ſimus, & quid facturi eſſemus dimeſſamur, nonne Eva, quamvis ſine peccato aut Patrum carnali concupiſcentia producta, ſerpenti reſpondit: *De omni ligno para-diſi comediſmus, ſed de ligno ſcientiæ boni & mali præcepit nobis Deus ut non comederemus, ne forte moriamur?* in quibus verbis: *ne forte moriamur:* palam oſtendit de ipſo præcepto ambigere an per comestionem morerentur, & quòd dubitaviſſet in effectu comestionis comprobatur. Nam ſi omnia mala, quæ ſibi contigerunt, ſciwiſſet, aut tanquam îndubitata tenuiſſet, nunquam de arbore vetita comediſſet. Unde apparet quòd in lege innocentiae aliquantulo in credulitate ſua ambigebant, quemadmodum & nos, licet non tantum.

Ponamus nunc, quòd non in para-diſo voluptatis naceremur; & de ligno vetito cibari poſſemus, attamen contra præcepti juſſum, & nil aliud cognoſceremus: niſi contra præceptum Dei eſſe ſub pœna mortis, quòd non comederemus, aſſerendum eſt omnino quòd non ſemel, ſed pluries ac pluries comederemus, ſi fructus eſt delectabilis viſui & ſuavis guſtui; nunc enim plura habemus præcepta à Deo & hominibus ſub pœna mortis corporis & animæ, de quibusdam ſcandalis evitandis; & tamen ea plerumque perpetramus, & videmus quam plures homines ſaltem corporaliter defunctos eſſe, eo quòd ſimilia fecerunt. Quocirca concedendum eſt, per opera, quæ hic

agimus, quòd in paradiso voluptatis positi, etiam contra præceptum de fructu vetito atque aliis iridem, si essent, sæpe ac sæpius ambularemus, dum in libertate nostra Deus nos dimisisset.

Sed in hoc loco dicendum est, quòd forsitan hi, qui legem innocentie frequenter exclamant, nequaquam considerant quid dicant, aut de Adam & Eva conqueruntur, eò quòd taliter non laboraverunt, quòd in merito suo Deus omnes homines in bonitate confirmaret, ita quòd peccare non possimus. Sed ponamus quòd Adam & Eva non comederint de fructu vetito, quòd in sanctitate vixerint, & absque morte ad cælum deducti. Verumtamen hic sistendum est: videlicet quòd nullam per subsequentes proles confirmationem habuerint, Unde dicendum est in eodem inconvenienti esse, quo nunc sumus. Nam dato quòd Adam & Eva non peccavissent, nec in bono confirmationem habuissent, per nos omnes præceptum transgredieremur. Quamobrem dicendum est, quòd nos festucam in oculis Adæ redarguimus, & in oculis nostris trabem non cernimus. Uellemus in sudore alterius salvari, & nos omnes membrorum delectationes adimplere, faciamus secundum præcepta legis gratiæ: & quidquid nobis pollicita est tribuet. Sed sin violatam legem non observamus, cur quòd præmium non assumimus, tantopere conquerimur? Si enim omnes homines invicem perfecte amarent, quid mali adversus nos evenire posset: quandoquidem euncta ad victum & vestitum necessaria contineremus, nec ulla in visceribus nostris falsa cogitatio ingrederetur, neque odium inter proximum & proximum? & huiusmodi vita verè esset similis cum statu innocentie. Nihilominus omnes homines hoc cognoscimus, aliaque majora variabilia, juxta sensus placidiora nobis sunt, ut plures accumulare divitias, sumptuosa indumenta atque prandia, & proprias habitationes, possessiones & his similia. Quippe quòd nos tam gaudere videmur quando ditiores aliis in bonis temporalibus sumus; & quoniam hæc bona ad extra sunt, semper fastidia & nunquam verum contentum dare queunt. Veruntamen plures nunc divites sunt, quos si interrogaremus, an vellent in Paradiso voluptatis manere, nudi esse & non verecundari, laborare Paradisum voluptatis atque ipsum custodire, & unam tantum mulierem essent habituri, & non equitaturi: nec domos nec arces edificaturi, nequidem de quolibet fructu quoad visum & gustum placido comesturi, verè responderent, quòd ire nollent cum his conditionibus ad habitandum in Paradiso voluptatis.

Et sic sanè concedendum est, quòd legem innocentiae postulantes quid dicant nesciunt, & in execrationem legis gratiae loquuntur.

Nihilominus de differentia habilitatis ad gloriam adipiscendam, inter legem innocentiae & legem gratiae videndum est. Nam lex innocentiae potius videbatur naturalis in eo quod citius quam nunc sumus in eo statu habilitati fuisset, ad veram gloriam consequendam, & tunc omnes habilitati, nunc non omnes; tamen in ambabus legibus habilitatem super naturam à solo Deo illatam exposulamus. Quoniam gratia originalis, non animae neque corporis erat, sed in infusione animae in corpore Deus praebebat quamdam gratiam, tanquam supernaturalem, per quam habilitaremur ad nos uniendum per claram visionem cum ipso Deo. Non enim per naturam ipsum videre possumus, & in statu innocentiae hae gratia erat omnibus hominibus promissa.

In lege Christi non tam citò gratia super naturam datur, neque omnibus, praequam quarentibus ipsam: Et sicut in statu innocentiae gratia fuerat à solo Deo infusa absque alio medio in conceptione hominis; aut in eo primo instanti, quo homines sumus in lege gratiae per medium sacerdotis Deus dat gratiam, nunc prolongata est gratia usque ad tempus nativitatis. Sed oportet quòd ipsam petamus, eò quòd varii in credendo sumus: & aliquis Christi legem vult, aliquis verò non: Ideo petente sacerdote, quid quærimus dum ad baptismum accedimus, Respondetur velle Christianum fieri, & tunc sacerdos in nomine Dei, tanquam medium, per baptismum inhibet gratiam habilitatis ipsum baptismum sive gratiam poscenti. Nihilominus gratia in baptismo assumpta eadem est, quae in statu innocentiae in conceptione dabatur, & quia in illo tunc assumpta gratia homo esset habilis ad eundem in gloriam, itidem & nunc assumpto baptismo. Quoniam verò in statu innocentiae Deus infundebat gratiam in instanti unionis animae & corporis, etiam de ratione nunc eo instanti quo nascimur baptisandi essemus, Quandoquidem citius ad amicitiam Dei redigeremur, aut habiles ad serviendum ei essemus. Quique filiorum baptismum dilatant contra verum ordinem procedunt.

Nec conqueri possumus ex eo, quòd in puncto conceptionis habilitati non sumus. Namque immeritò esset habilitari eos, qui postmodum nolunt Christum assequi. Nostra enim lex non cogit nos ad ipsam, sed ad libitum statuit. Unde oportet quod per nos ipsos, &

jam adulti sumus, Christum credamus, & baptismum petamus; & quòd, si parvuli, parentes credant, ac pro nobis baptismum peteant: Mors enim per quam in statu innocentiae transituri non sumus, si legem Christi sectamur, infirmos sanamus, ac mortuos resuscitamus, jucunda nobis erit, non autem metuenda: Nam tunc sciremus nos esse resurrecturos, & ad possidendum gloriam ituros: Sed quia legem non amplectimur, de patratu scandalis timemus. Quisque enim malefactor timet apud justos principes accedere, & quoniam Deus summè justus est, mortem metuimus, eò quòd per mortem ad judicium ituri, & tamen oportet quòd omnes homines moriamur. Nam si soli Christiani non moremur, ceteri de necessitate ad legem ipsam venient, quandoquidem sine aliquo velamine miraculosa lex à Deo tributa esset. Quapropter omnis nostra libertas de accipiendo vel non accipiendo ipsam legem poenitus esset ablata, quòd fieri non debet, quum in via merendi ac demerendi simus: & viatorum est in aliqua ambiguitate manere, dum per plura optima opera Deus omnipotens non revelat ea, quae habituri sumus. Haec autem prerogativa Sanctis dumtaxat tribuitur, & non in communi omnibus hominibus, eò quòd in communi multa mala committimus.

Rursus ad cognoscendum inter gratiam legis innocentiae, & gratiam legis Evangelicae revertamur, ubi dicimus, quòd vel est idem vel non idem. Si dicis quòd non idem, petimus qualis erat originalis gratia sive omnibus hominibus in lege innocentiae promissa, & qualis illa quae in baptismo datur, & quo pacto differunt? Et si hoc assignare non potes, aut nolles, necesse est ut concedas eandem esse gratiam, & non aliam atque aliam, quamvis diversimodè tributas in lege innocentiae, siquidem omnibus, licet eam non peteremus, & in lege Evangelica dumtaxat ipsam quarentibus. In qua petitione ostendimus, nos carere gratia originali, super naturam illata, In statu innocentiae verò non, quum antequam ipsam postulare scirent, eis Deus tradidisset. Sed tamen in baptismo nostro eandem originalem gratiam in lege innocentiae promissam assumimus; probatur, quia gratia originalis solum originalis dicitur, eò quòd originaliter veluti in primis parentibus fuit, etiam in ceteris hominibus ventura erat. Sed de effectu ejus nil aliud sequebatur, quamabilitas faciendi opera meritoria. Per quae Deum videre possemus, aut verò in eo instanti quo anima rationalis & corpus conjungerentur, si immediatè aut festinatim anima à corpore demigraret, vel totus homo ab hac vita discederet, habi-

habilis erat ad fruendum Deo: & idem præcise dicimus de gratia in lege Christi assumpta. Nam si in eo instanti quo homo baptizatus est, anima à corpore discederet, habilis esset ad ascendendum in cœlum, & ad fruendum Deo, & posito quòd corpus eùm ipsa ascenderet, pariter & humanitate seu corpore Christi per claram visionem frueretur. Ita quòd probatur gratiam in baptismo assumptam eandem esse cum illa, quæ in lege innocentix dabatur. Nam ex assumptione per prius, aut posterius, nil in ipsa gratia removeri potest.

Quòd stat exemplo. Multa enim animalia ac nonnulla alia cæca vel clausis oculis in eorum natiuitate nascuntur, quædam verò dum nascuntur, apertos oculos tenent, attamen in posterum quum primùm oculi canis aperiuntur, tam distinctè vident, quàm oculi nostri, qui aperti sunt dum nascimur, & canis clausos ipsos habet, & sic post legem innocentix, ex conceptione usque ad baptismum tanquam cæci aut clausis oculis sumus. In statu verò innocentix ex infusione animæ in corpore videntes erant, id est, habiles ad Deo fruendum. Sed quum nos aperimus oculos cum baptismo, ita distinctè videre possumus, quemadmodum & in primo statu, quamvis laboriose pœnes membrorum sudorem, hîc autem de animæ beneficio tractamus.

Attamen Beata MARIA ab eo instanti, aut primo signo essendi, quo fuit persona, habilis exiit ad fruendum gloriâ. Nam nil aliud est originalis culpa, quàm originalis gratix carentia, quoniam ibi nullum positivum substantiale, nec qualitativum datur, nisi tantû deficientia, & Domina nostra nunquam difficultatem habuit, de aliquo bono attinente creaturis, ut amicæ Dei sint.

Et si inferetur. Post baptismum peccare possumus, igitur non pleni gratiâ, aut non omnino in gratiâ confirmati; hoc conceditur; Sed pariter de lege innocentix dicemus. Nam Adam & Eva per originalem gratiam, seu super natura à Deo illatam, ad faciendum opera meritoria habilitati erant & tamen peccare poterant, quia aliter non peccavissent, ita ut peccaverunt.

Rursus aut quòd lex gratix est ultimata, aut non ultimata. Si non ultimata, imperfecta. Si autem ultimata, perfecta, & quòd apud Christianos saltem ultimata sit, probatur; Quia ipsam sub hac sententia legem gratix appellamus, & lex gratix dicitur eò quòd in gratia eùm lege innocentix adæquatur, id est, dans eandem gratiam habilitatis ad fruendum gloriâ, quàm lex innocentix impendebat.

Uterius, si Christiana lex ultimata, necessario eùm prima convertibilis,

bilis, eò quòd quisque bonus finis cum principio convertitur, si fortassis non opponeres legem Christianam esse imperfectam. Nunc sic, si imperfecta non ultimata, nequidem ea lex quàm Prophetæ & sancti Patres amici Dei tanto tempore postulaverunt. Si verò ipsa est, ut nos affirmamus, confiteri oportet, quod æquiparans sit cum lege innocentia, quia finis omnium legum ac per omnes Sanctos Patres exoptata. Christiani asserimus illam esse ultimata, igitur inter nos tanquam hæreticus est habendus, qui legem innocentia, in blasphemiam legis gratia commendat. Et si dicis quod à nullo blasphematur, respondetur, quod quicumque de morte corporea conqueruntur, legem nostram execrantur; Quum Christus sæpe ac sapius mortem in nomine ejus atque aliorum amicorum laudaverit. Unde si ipsa mors mala, Christus, tanquàm ultimatum bonum in hoc mundo malum assumebat. Et quòd nonnulli de morte conquerantur, patet, Quum dicant quòd injuriam fecisset Deus Matri suæ, desinendo eam mori, si peccatum non contraxisset, & injuria non intelligitur in bonis, nisi in malis atque adversis, ergo si hi verum dicunt, lex Christi imperfecta, quia mortem suo nomine commendat. Sed sepeliendæ sunt hujusemodi phantasias, eò quòd incogitato modo dictæ.

Quamobrem concedendum est, integram gratiam in baptismo assumi; Nam stultum est inferre, partim habitamur, & partim non habitamur, eò quòd post baptismum quandoque delectabilia membrorum amplectimur. Ad quod respondetur, quod etiam in lege innocentia aliquid ultra debitum appetere poterant, ut in Adam & Eva expertum est. Quoniam ut similes Deo fieri possent, præceptum ipsius Dei transgressi sunt.

Et si inferis, quòd in figura serpentis à diabolo decepti, nos quoque ab aliquo extrinsecus manente decipimur, veluti à pulchra muliere, indumentis aut aliis divitiis. In quibus fortassè etiam angelus malus ad irritandum phantasiam nostram, ut malum perpetremus, accedit.

Si dicemus crebriores phantasias occurrere in mentibus nostris, quàm in Adam & Eva: Respondetur, quòd pari modo medicina purgandi culpa in nobis faciliior ac propinquior est, quàm in lege innocentia.

Ceterum omnes Prophetæ perfectam legem exposcebant, non propter delectationem corporum, sed ut animæ ad gloriam ascendant; & hoc est ultimum argumentum ac potissimum, quod nos contra Hebræos & Matros agere possumus, naturaliter capiendo, dum probare

barè volumus legem nostram esse eorum lege præstantiorem. Nostrâ enim in declinatione appetitûs sensuum frequenter, ac præciè ad beneficium rationalis animæ tendit.

Hic autem nostri, qui de morte conqueruntur, plane sensuum voluptates præferunt, quod verè est contra Christianam legem: hoc enim potius de lege Mahumetana quam de lege gratiæ, quum Mahumetus quascunque corporeas delectationes in hoc mundo & in alio sequacibus suis spondeat. Ubi non corpoream mortem, sed corporeas dumtaxat membrorum delectationes collaudat. Christus verò è converso: & qui Christiani sunt Christum & non Mahumetum assecuturi essent.

De prima institutione aut modo vivendi hominis multa dici possunt: Quum in principio genesis habeatur, & non erat homo qui laboraret terram.

Præterea: *Posuit Dominus Deus hominem in paradiso voluptatis, ut laboraret & essiodiret ipsum: & quoniam præceptum domini transgressus, ex paradiso exulavit, Nunc sic pœnes hæc verba: si Adam non peccavisset, omnes homines qui nascerentur habitaturi erant in solo paradiso voluptatis, pro quo dicendum est, quòd pauci homines fuissent, comparativè ad illos qui sunt. Quoniam locus ille parvam continet distantiam secundum magnitudinem orbis terræ: si tortè non diceretur, quòd miraculosè tot homines ut nunc sunt simul, absque impedimento alter alterius manere possent. Sed hoc à natura stare non potest, & si per universum orbem erant exituri ad habitandum, pœnes naturam in plurimis locis sterilitates, ac variæ temporum extremitates inventuntur, interdum multum caloris, & aliàs multum frigoris. Namque in iis regionibus ex quibus sol nimium distat sive prolongatur, homines qui nudi manerent, frigore haud parum compulsi essent; Verumtamen divino numine cuncta prospera, atque ubique evenire possunt. Sed juxta naturam in paradiso voluptatis, eò quòd temperata patria, facilè & quomodocunque sit, homines vivere possent, non tamen in quibusdam aliis, etii plures ac plures homines sumus, ex eò quòd Adam à paradiso voluptatis ejectus est, quàm si ibi tantum mansisset: dicendum est, quòd tot homines nunc salvantur, sicut & in lege innocentæ salvi.*

De paradiso voluptatis, aut loco in quo primus homo creatus fuit, & ad laborandum positus, naturali ratione probari nequit: Sed tantum quod de ratione in optima patria esse debuit, & pariter quod

quòd sine peccato productus, & quòd dissensiones inter nos positæ ab aliquo proprio errore nostro profluxerint, non autem à creatoris ordinatione, seu voluntate. Quod alibi diffusius à nobis probatur.

Quomodo videtur esse dicendum beatum Thomam assumpsisse Dominam nostram esse maculatam, considerando de universali natura humana in pura potentia maculata, & quia nulla talis natura dari potest, neque Domina nostra potuit esse maculata. CAP. LXIII.

DEnique in hoc loco Thomistæ respondere possunt, ut de more modernorum in disputationibus suis fieri solet, ita dicendo: duplex est actio; altera eorum in actu, Altera verò in potentia, sub qua consuetudine loquendi, etiam ad propositionem factam dicentem, Domina nostra non contraxit peccatum originale in actu potest responderi; non contraxit peccatum originale in actu; ergo non contraxit peccatum, non valet consequentia, quoniam duplex est peccatum, scilicet in actu, & in potentia: unde concessio Dominam nostram non contraxisse labem originalem in actu, non ex hoc conceditur quòd non contraxisset ipsa in potentia. Et forsità hæc fuit opinio beati Thomæ, quum sæpenumero per similem viam assumptam, intentum suum probare intendebat, ut de Sacramento altaris agendo, quòd accidētia in Sacramento ipso possunt sine subiecto manere potentialiter, tamen non in actu; unde ait duplex est inhzrentia, altera earū in actu, & altera in potentia.

Sed nos, ut in loco proprio patebit, nullatenus potentiam adhzrendi denominamus in subiecto manere sic, nec sic, nisi ab ipso omnino separatam. Unde non est dicendum, adhzret in potentia, sed nisi pro nunc manet hoc separatam; tamen habile ad adhzrendum & manendum quandoque in substantiali subiecto: unde similia ponere, potiùs causā evasionis quàm probationis est: & sic dum diceretur duplex est contractio peccati originalis, altera in actu, altera verò in potentia; potentialis negatur, quòd peccatum sic nec sic debeat dici; nam unusquisque homo, posito quòd in sanctitate degat, est habilis ad peccandum, sive in potentia ad peccandum. Sed non propter hoc est dicendum, quòd habet peccatum in potentia, aut quòd peccatum

eatum est in ipso potentialiter, quoniam dicendo peccatum est in ipso de virtute vocabuli ex parte peccati aliquid positivum in actu dicit: & etiam dum pronunciat, habet peccatum in potentia: & quoad veritatem illud, quod non est, à nullo habetur.

Et sic concessio, quòd materia de qua corpus Dominæ nostræ genitum est, in primo instanti posita in matrice Annæ fuisset in potentia, sive habilis ad peccandum, non ex hoc sequitur, quòd ibi fuisset aliquod peccatum sic vel sic; licet quod fuerat, nisi à Deo omnipotente Beata MARIA sanctificata atque conservata fuisset; nam veluti lapis non vocatur cæcus quamvis non videt, eò quòd non est de ratione ipsius visum habere, neque canis usque ad novem dies vocatur cæcus nec quidem videns, eò quòd nondum venit tempus videndi; sed prætereunte hoc tempore omnino cæcus vel videns vocatur, nec quidem materia hominis sine anima vocatur maculata, eò quòd non est apta ad videndum per naturam, videlicet ad accipiendam gratiam ad videndum Deum: nam hæc gratia aut carentia ipsius in unione animæ & corporis assumitur, in quo instanti, si gratia non datur, cæci vocamur, seu carentes gratiâ, ante infusionem animæ neque cæci, nequidem videntes.

Veruntamen per specialem gratiam MARIA, de qua corpus Christi generatum est, nunquam fuit in potentia, seu habilitate proquinqua, ne quidem remota ad contrahendum aliquod debitum seu carentiam gratiæ originalis, nam corpus Christi in uno & eodem instanti conceptionis fuit unitum animæ rationali & verbo divino, sed corpus Dominæ nostræ dicimus in primo signo esse conceptum, & in secundo sanctificatum. Unde minus perfectum quam corpus Christi dicitur, tamen simpliciter sine peccato: quoniam inter simplicia etiam gradus superiores & inferiores ponuntur, sub quo ordine bonum, melius, & optimum designantur.

Gratiâ exempli: omnes res in quantum sunt ad doctrinam de non esse simpliciter, bonæ sunt, & tamen non omnes optimæ, quamvis simpliciter bonæ, id est, sine aliquo errore, unde fit quòd optimè non tantum simpliciter dicit, sed super omnia alia bona perfectum & pari modo exemplatur inter contentionem corporis Christi & corporis Beatæ MARIE: quoniam corpus MARIE sine peccato, sed corpus Christi non tantum simpliciter absque macula sive carentia gratiæ, sed imo optimè bonum super omnia concepta.

Et quòd Beatus Thomas in hoc loco de peccato in potentia

assumpfisset, facile comprobri potest, aspiciendo in consuetudine sua procedendis; quoniam assidue in actu & in potentia dividit intentiones suas, & semper potentiam assumit pro quodam universali in esse essentia: sine actu, & humanitas secundum ipsum quaedam natura communis abstracta & in pura potentia est, & tamen maculata.

Nunc sic: ponatur naturam humanam universalem atque potentialem maculatam esse, petimus de quo peccato, an actuali vel potenciali? non de actuali, quoniam in pura potentia nullus actus datur, igitur de peccato in potentia non datur aliqua res in pura potentia, nisi imaginaria tamen pro illo quod in futuro esse potest advenientibus aliis operationibus, quæ nunc non sunt, ergo nullum datur peccatum in pura potentia.

Humanitas universalis secundum sanctum Thomam est in pura potentia, igitur nondum est res sed erit in futurum: & quando erit poterit peccatum contrahere, non autem prius, concessio tamen quod materia generabilis esset corruptibilis, habet aptitudinem ad transfundendum in corpora hominum, & quia corpora hominum habilitatem habent ad peccandum, simul cum animabus, etiam dicemus, quod materia generabilis, & corruptibilis, ubicunque manet, habet aliquam habilitatem ad peccandum, quandoque tamen advenientibus aliis variis dispositionibus atque operationibus.

Sub qua phantasia Adam & Eva priusquam cogitarent de comestione fructus veriti, erant maculati in potentia. Etiam Lucifer priusquam consideraret de ascensione æquali cum Deo, erat maculatus in potentia, sed sub hac imaginatione etiam Domina nostra & alii sancti manentes in gloria sunt in potentia ad peccandum.

Posita altera phantasia quod de triginta sex millibus annorum ad totidem alios annos unusquisque homo ad reveniendum in hoc mundo, velut erat reversurus est, & in hoc modo omnes homines in gloria manentes sunt peccatores in potentia, considerando de altero longo anno, quando resuscitaturi sumus.

Angeli boni quoque in potentia maculati sunt, quoniam si à Deo omnipotenti non conservarentur cadere possent.

Sed petamus nunc an verum vel falsum sit, dum diceretur, Angelus Gabriel est maculatus, nullatenus pro hoc nunc verum est, igitur falsum. Unde sequitur quod per istos imaginata nil extra imaginationem ponitur in esse, nam unaquæque res pro eo tunc quo est, necessario talis est, non de necessitate antecedente, nequidem consequente.

te, Videlicet pro illo quod fuit aut erit, nisi pro illo quod est in hoc nunc, & sic habetur quod unaquęque res pro eo tunc quo est, necessario est, & quia potentia dicit possibilitatem ad futurum, est impossibile quod pro hoc nunc sit res realis extra animam sub ea consideratione futura assumpta.

Et sic materia corporis Beatę MARIę, concesso quod fuisset in potentia contrahendi carentiam gratię originalis, videlicet apta, dum ad tempus completum simul cum rationali anima eveniret, non est dicendum ex hoc maculatam esse, quoniam in actu, materia illa erat sine peccato, pro quo instanti impossibile erat aliter se habere, licet aptitudinem contineret ad contrahendum carentiam originalem, atque actuale peccatum, si à Deo omnipotente conservata non esset.

Et hic non est dicendum, frustra est illa potentia, quę nunquam deducitur ad actum, quoniam hoc non tenet in omnibus nisi in bonis operibus tantum, ut Deo dante, in libro quinto patebit. Et sic Aristoteles inquit:

Melius est esse sanum in actu quàm in potentia, & melius infirmum in potentia quam in actu, sed hoc vocabulum, seu modus dicendi, plures errores in variis hominibus posuit, cum multi credant quod dicendo in potentia infirmus, omnino aliquam ibi esse infirmitatem, & secundum veritatem nil aliud hic dicitur quam melius est manere sanum, pro hoc nunc, quam infirmum, & post hanc infirmitatem posse sanari, nam dum infirmi sumus per nullam potentiam & nullum actum sumus in eo tunc sani, nisi quod habemus aliquam habilitatem ad sanandum de futuro.

Et inferendo, quod nullus nostrum est simpliciter sanus eò quod quandoq; infirmari potest, negatur quod pro eo tunc quo sani sumus, simpliciter sani non sumus, juxta valetudinem speciei nostrę, veluti de sanitate hominum assumendum est, nam optimum sanum, ut medici investigare solent, non tantum simpliciter sanum sed optimum vel omnino perfectum, & tale corpus hominum non datur, videlicet quod infirmari non possit, & tamen per gratiam specialem Dei potest conservari sine infirmitate proprię dicta, & etiam à natura sæpe conservatur. Veluti dum pueri juxta nativitatem occiduntur.

Et si apponeretur: hi pueri non erant simpliciter sani, quia potuerunt occidi, responderetur, quod hic de naturę generabilium & corruptibilium loquimur, & quidquid per generationem & corruptionem compositum à natura sumendo, quandoque separabile, sed cor-

pus quod melius contra hanc separationem resistit simpliciter bonum seu sanum vocatur.

Quoniam pœnitus optimum solus Deus, ab omni actu ab omni potentia male agendi alienissimus, sed creaturæ quamvis errorem de facto non habeamus, si Deus continuè non providet, cadere possumus, Verumtamen dum sine peccato in actu manemus, nullatenus dicendum est peccatores esse, nisi peccatum in actu perpetremus.

Et sic patet qualiter evitandæ sunt similes cautelæ, eò quòd ad disputandum cum rigore inter fugientes veritatem, valere solent: Valere intelligas juxta intentionem similium disputantium.

Nam dum sub sana intentione procedimus dicendo Iudas fuit pessimus homo, aut Lucifer Angelus pessimus, nos assumimus de illo quod attinet Iudæ & Lucifero, non autem de entitate sive de primo esse, per primum signum assumptum; quoniam hoc bonum, eò quòd per Deum creatum. Unde ad propositionem factam dicentem, Luciferum esse pessimum, non oportet respondere; distinguo de pessimitate, an simpliciter vel secundùm quid pessimum; secundùm quid; ergo pessimum simpliciter, non valet consequentia: quoniam saltem aliquam bonitatem entis habet. Sed nos non disputamus de bonitate entis, eò quòd ibi opus Dei est simpliciter, sed de illo quòd Lucifero attinet, juxta operationem ipsius loquimur, & sic simpliciter malus; & pariter in bonam partem sumendo, dum de Michaële Angelo loqueremur, dicendum est Michaël Angelus ex parte creationis per Deum facta ex parte ipsius Angeli simpliciter bonus est, vel sine peccato.

Et tamen si Deus ipsum Michaëlem Angelum non conservasset cadere posset. Unde non valet dicendo: materia corporis Dominæ nostræ habuit habilitatem ad peccandum; ergo peccavit: quoniam per gratiam Dei conservata est, & priusquam peccare posset sanctificata, idque priusquam anima in corpus infunderetur.

In quo tempore non potest denominari propriè de naturali ordine assumendo cum gratia; nequidem macula: quoniam ad hoc & illud est inhabilis embrio, quousque anima in eo infunditur; licet quòd potius cum gratia, quàm sine gratia denominari potest: quoniam virtutem sive gratiam corporibus attinet habere, & maculam peccati nullam sine anima continere possunt: quoniam peccatum in nullo quod intellectuale non sit ingredi potest. Omnis embrio est sine intellectu; Ergo omnis sine peccato.

Prologus secundæ particulæ.

IN hac secunda subsequenti particula quasdam super conceptione auctoritates inferemus, & in primis erit, an dicendo, omnes, aliqua interdum fiat exceptio: & postremò quasdam auctoritates insinuabimus, quæ integram Dominæ nostræ puritatem denunciant.

Quomodo intelligatur illa auctoritas inquiring: ex peccatis patrum damna sequentur filius usque ad tertiam, & quartam generationem. CAP. LXIII.

IN quibusdam locis tenemus, quòd propter peccata parentum damna subsequuntur successoribus usque ad tertiam vel quartam generationem, & in alia parte: quòd *filius non portabit iniquitatem patris*: & de quacunque manifestam experientiam cernimus: intelligendo primam de corporibus loqui: in qua non modò propter patres, verùm etiàm propter amicos & inimicos assiduè nobis detrimenta & commoditates proveniunt: veluti dum pater nobis divitias relinquit, & in sublimem statum evehit per aliquod tempus nobis & nostris successoribus duramus, pariterque ob majorum errores detrimentum patimur.

In secūda parte, ubi dicit quòd filius non portabit iniquitatem patris, de anima tantùm capitur. Nulla enim est causa, quòd pro patre filius patiatur, quoniam anima non est ab iis generata. Quia neque substantiam neque materiam tribuunt quoad novam productionem per corpus: & multò minùs per animam, & ita quamvis nimium peccator esset pater, si filius bona opera faciet, sanctus erit. Quod si pater honestus, & filii scelerati, hi dumtaxat condemnabuntur. Quia non dicimur hæredes quoad animam, nisi quoad corporeas possessiones ad extra manentes. Et quanquam auctoritas asserat, quòd propter peccata parentum damna sequentur filiis usque ad tertiam vel quartam generationem; nequaquam potest circa Dominam nostram de originali peccato intelligi, nec de illis, qui nunc sunt: nam solum usque ad tertiam vel quartam generationem dicit; & multæ generationes præterierunt, postquam fuit primorum parentum peccatum

ante conceptionem Beatæ Virginis : nec est dicendum quòd corpus sit infectum, & quòd deinde animam polluat, corpus enim per se non habet cognitionem neque legem : & sine lege extra boni & mali cognitionem peccare non possumus, uti patet per Apostolum Paulum dicentem.

Si legem non haberemus, nullum nobis imputaretur peccatum : & quòd corpus animam inficere nequeat etiam baptismo comprobatur : quum enim baptizati sumus, per aliquot annos peccare non possumus. Quousque de bonis & malis operibus cognitionem habeamus : ista verò cognitio ex parte animæ est.

Cæterùm si quisquam insensatus nascitur, aut postmodum propter ægritudinem tale malum evenit, si baptizatus est in fide parentum, tanquam innocens salvatur, quamquam sine peccato manere debet, dum infirmitas sibi accidit : & hi homines plurimum elaborant atque aberrant quoad corpora, neque ex hoc animas inquinare vel peccatis polluere queunt. Unde multò minus embrius in Matrice matris animam inficere potest, Quum pœnitens intellectualem cognitionem careat.

Quòd, ubi multi homines sunt, dici solet, omnes ; quamvis multi extra remaneant. CAP. LXV.

U Bicunque magnus numerus gentium comprehenditur, ex communi vocabulo dicimus, *omnes*. Sed dum postea id quod diximus consideramus, quosdam extra remanentes inveniemus : super quo quidem videbimus unam spiritualem ac temporalem auctoritatem de summo Pontifice : ipse enim non poterit quemquam salvum facere, nisi penitens voluerit legem gratiæ assequi, & ejus sacramenta recipere, seu observare mandata : & in temporalibus multos Pontifices cernimus adversus Neapolitanum Regem dimicasse, qui parvis est comparativè ad aliquos alios Reges, & tamen non poterunt regni Dominium dirimere, quamvis summo studio & diligentia inmitterentur : nequidem Urbinos & Columnenses per se sine aliorum suffragio subjugare, qui Romani proceres sunt. Quantò minus igitur alias magnas nationes convincere? Verùm dicimus omnia posse, intelligendo de eo quod Christus concesserit, utpote illos salvare qui suorum delictorum pœnitentiam exposcerent, & perversos ad tartara condemnare.

Et isto modo intelligimus dicendo *omnes* : quòd si verba Pauli dicunt : *omnes in Adam peccaverunt* : intelligimus de illis , qui sine gratia extiterunt eo tempore , quo ipsorum animæ cum corporibus junctæ fuerunt.

Quòd Christus de ordinaria potentia non potuit matrem labefactari sinere. CAP. LXVI.

Dicimus in Deo duplicem esse potentiam , alteram absolutam , & alteram ordinariam : sed quæcunque istarum sit solùm extenditur ad hoc , quòd non contradicat substantiæ aut divinæ ordinationi , contra quas nulla illarum esse potest. Quod manifestè cognoscimus Deum non habere potestatem creandi alium Deum sibi similem , nam primæ atque infinitæ causæ contradiceret. Quum duo prima & duo infinita esse omni modo repugnet : nec aliter de ordinaria potentia , dicimus quamvis hoc diffusius in alia parte tractabitur , hîc autem dicimus , quòd secundùm ordinariam justitiam stante institutione Deus non potest perversos salvare , ne quidem bonos condemnare. Tunc enim suæ ordinationi adyerlarctur.

Et per hanc viam ad Christum devenimus , qui Deus & homo est , nec quiequam agere potuit quòd sibi impugnaret : qua de re necesse fuit ut suam matrem omni gratiâ plenam crearet , aut quòd in aliquo puncto inhabilem non reliquisset , Quia hoc manifestè filio contradiceret. Quum omnes sciamus sibi fuisse majori honori atque sanctius totale remedium adhibuisse , antequam in necessitatem incideret , & sicut in pluribus locis probavimus , quatenus Deo licuerat pœnes libitum agere , ex quo nemo præter teipsum superior : & secundùm quod de colendis majoribus præcepit , meritò erat suam matrem veneraturus.

Quòd auctoritas Apostoli non dicit , omnes in Adam peccavisse. CAP. LXVII.

In juribus civilibus legitur , quòd in generali colloquio , qui loquitur , excipi solet : & pœnes hanc sententiam , videtur quòd Sanctus Paulus non peccaverit in Adam de originali peccato , dum ait : *Omnes in*

Adam peccaverunt : quod in eadem auctoritate propalatur dicendo : *omnes in Adam peccaverunt*, & dicere debuerat : omnes in Adam peccavimus, ut sine exceptione de omnibus intelligeretur, & de primis & secundis personis nil testatur, nisi de tertiis. Et quum neque de primis neque de secundis personis loquitur de virtute sermonis non de omnibus sine exceptione loquebatur. Etiam de Deo loquens Apostolus inquit:

Qui solus immortalitatem habet, & idem Apostolus firmiter tenet; quòd Angeli & animæ immortales sint, sed in modo loquendi seu causâ majoris perfectionis, *solus Deus*, ait, *immortalitatem habet*. Quoniam verò Deus integræ perfectionis est, & sine quacunque mutabilitate, ita quòd aliter sunt glossanda verba, quàm juxta litteram sonent.

Christus in Evangelio dicit : *inter filios mulierum non surrexit major Ioannes Baptista* : & hæc verba tantæ auctoritatis sunt, & magis expressa quam verba Pauli dicentia : *Omnes in Adam peccaverunt* : & determinatè habemus quòd Christus & Domina nostra ex mulieribus nati essent, & multò majores quam Sanctus Ioannes, ex communis itaque hominum regula excipiebantur, tamen si resurgere pro nativitate accepit, nam communiter pro resurgere à peccato ista auctoritas exponitur, qua de causâ ad propositum nostrum erit : quoniam Christus & Beata Maria à peccato non resurrexerunt.

Et sic Augustinus exponendo hanc auctoritatem videtur præcisè, saltem principaliter tenere : quòd dum verba Christi dicunt : *non surrexit maior Ioanne Baptista*, hoc resurgere de peccato originali ad gratiam intelligatur. Quocirca Augustinus ipse de Christo & Matre eius nusquam intelligit, quòd resurrexerint, quum majores Ioanne Baptista sint; & nemo surgit quin prius cadat. Et in hac expositione, quamvis aliam auctoritatem Augustini non haberemus, sola hæc sufficit ad manifestè probandum secundum ipsum, qualiter Domina nostra ab omnibus peccatis fuerit immunis, & quòd verba Christi dicant surgere propter originale peccatum. Sanctus Thomas & nonnulli alii Doctores taliter se habere affirmant. Sed tamen Sanctus Thomas postmodum vult solum Christum extrahere, & quoad veritatem & religiosorum sententiam, Domina nostra est major Ioanne Baptista. Unde non deest intelligere quòd surrexerit.

Quidam alii exponunt, *inter natos mulierum*, de illis esse intelligendum, Qui per semen maris & sæminæ geniti sunt, quia mulierum dicit & non virginum, Sed Christus de virgine natus est, hæc autem

autem expositio, ut opinor, minimè est ad propositum, nam sicut unusquisque masculus de specie humana, parvulus, magnus, virgo, aut non virgo est homo, similiter & omnes feminae virgines, aut pollute mulieres sunt, licet altera virgo & altera corrupta, Attamen ambæ, ista scilicet & illa, mulieres sunt, & sic Christus in cruce inquit: *Mulier ecce filius tuus*: & non ex eo quòd dederit sibi filium à carne genitum. Sed ex hoc quòd ipsa mulier erat & virgo velut in partu & ante partum. In prima impositione in formatione mulieris mulier vocatur, ut dicendo: *& edificavit Dominus Deus eam, quam tulerat de Adam, in mulierem & consociam suam Evam.*

Quòd Thomista nolunt exceptionem facere in eo: quòd Apostolus dixerit. Omnes in Adam peccaverunt: quàmvis ejusmodi exceptio ab eis in aliis locis assumatur. CAP. LXVIII.

Ubi sacra scriptura ait de Adam & Eva. *Ne forte immittant manum suam & comedant etiam de fructu vitæ, & vivant in æternum*; isti exponunt in æternum pro longo tempore, & non pro semper. Et hinc Thomistæ exceptionem faciunt, quàmvis Deus absolutè dicat: *Ne comedant & vivant in æternum.* Quoniam initio nobis duas arbores tribuit, unam gratiæ, alteram maledictionis. Quarum altera vitæ & altera mortis, & quemadmodum per scripturas apparet, homines nec senectute nec quovis alio morbo perituri erant, nec semper in hoc terrarum orbe moram habituri, nisi in prospera ætate ab hac vita in aliam transaturi. Quinimmo naturali cursu nequaquam potuissent humana corpora corrumpi, donec de arbore vitæ cibarentur & taliter intelliguntur verba auctoritatis, propter quod Deus ex Paradiso Adam expulerit, ne de eo fructu comederet ut, potuisset à quacunque naturali senectute se tutari, eò magis quòd adversantes liberè *MARIÆ* Virginis conceptioni, asserunt quòd propter comestionem de fructu vetito omnes omnino morimur, & non est magis ratio quòd fructus mortis adducat mortem: quam fructus vitæ vitam, immò minus. Loquens enim David de perfectione hominis asserit. *Dominus constituit eum super omnia opera manuum suarum*: Et hinc non excipit Angelos æcelos nec elementa, nisi quòd tantùm dicit, super omnia, sed intelligitur de animalibus terram & mare colentibus.

De quibusdam auctoritatibus Evangelij, quæ de omnibus dicunt. CAP. LXIX.

HAbemus in Evangeliiis auctoritates, quòd dicendo omnes non sine exceptione capiatur, veluti legitur, quòd Octavianus Augustus imperavit, ut universus terrarum orbis describeretur & universæ creaturæ, quæ in eo essent, inferendo, quod sub romano imperio degerent. Sed in nullis codicibus apparet sub suo imperio universum orbem terrarum subjugasse, nec Romanos cognitionem habuisse de insulis hac tempestate reperiis, ac de pluribus aliis quæ apud antipodes sunt, ne quidem de existentibus supra horizonem nostrum. Quoniam autem majorem partem subegerant, dicebatur universum orbem terrarum bello devicisse, licet aliqua provincia resisterit, neque in eo quòd imperabant, omnia animalia & alias creaturas describebant.

Item alibi Christus jussit Apostolis ut prædicarent Evangelium omnibus creaturis, & nullo modo apparet Apostolos in cunctis mundi regionibus prædicasse, verum quòd in discursu temporis omnes debuerunt in diversis locis Christi nomen intelligere, non tamen omnes. Quidam enim sunt, in quorum aures nondum nomen legis Evangelicæ pervenit, quum verò Apostoli in majori parte orbis terrarum fuerint atque in principalioribus provinciis, dicimus eos universis creaturis prædicavisse, licet aliqua fiat exceptio.

Magister sententiarum volens probare Christum non esse præcisè creaturam dicit, quòd non imperabat Apostolis ut Christo prædicarent, asserendo quòd qui omnibus dicit nullam exceptionem agit, sed quo ad veritatem scriptura non adeò strictè has sententias assumit, nam manifestè apparet Apostolos non omnibus creaturis Evangelicam legem absque aliqua exceptione prædicasse, quia saltem intelligitur, quòd hominibus tantum prædicaturi essent, & verba Evangelii referuntur ad omnes creaturas, quæ sunt Angeli, cæli, elementa, animalia, & plantæ, quamvis discipuli generaliter prædicaverint omnibus hominibus ubi fuissent, & ad eos venire voluissent. Sanctus Paulus ait peccatum propter culpam primi parentis fuisse ingressum, & per Christum undique abstersum. Et sicut omnes in Adam peccaverunt, ita & omnes in Christo salvabuntur. Verumtamen tenemus, quòd

Quod condempnati erunt plerique ex illis, qui obedire Christo nolent. Sed ex hoc non sequitur Christum non fuisse universalem redemptorem, quamvis aliqui non salventur, & Apostoli seu alii discipuli per totum orbem terrarum iverunt ad denunciandam Christi legem licet non sine exceptione.

Quomodo dicatur quod Angelus malignus in deserto Christum tentando omnia regna & principatus mundi demonstraverit. CAP. LXX.

IN Evangelio dicitur: *Ductus est IESVS in desertum, ut tentaretur à Diabolo*: Et deinde subditur, quod deduxerit, *cum in montem excelsum, & ostendit omnia regna mundi*, Et quoad veritatem nullus Mons vel terrestris culmen ita sublime est, quod inde totus mundus videri queat pœnes humanam visionem. Quocirca videtur dixisse omnia pro magna quantitate mundanarum delectationum.

David inquit. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Expositionem autem istorum filiorum omnes ad Apostolos dirigunt, quos palam scimus principes non fuisse super totam terram, assumendo totam sine quacunque exceptione: & quod dicamus super omnes homines principes in spiritali, multi enim fuerunt, qui Christianæ Doctrinæ seu religioni se dicare noluerunt, verum quod qui secundum spiritum vivunt, christianam regulam & Apostolorum semitam observant. Attamen exceptio semper reperitur, & eodem modo de originali peccato intelligitur.

Quod Christus dicit: nemo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum.

CAP. LXXI.

Aliud Evangelium inquit. *Nemo accendit lucernam & eam sub modio ponit, sed super candelabrum, ut videatur ab hominibus*, & quandoque accidit, quod cooperiatur lux, eam sub vase abscondendo, verum intelligitur, quod naturaliter & circa communem consuetudinem in sublimi candelam ponamus, semper autem aliqua exceptio

intelligitur. Redemptor noster loquendo cum Petro de correctione fratris inquit. *in ore duorum vel trium testium manet omne verbum*, & tamen minime intelligendum sit, quòd omne verbum quomocunque assumatur, sit in ore duorum vel trium testium, quoniam plura alia verba sunt in aliis hominibus, & etiam si decem vel viginti testes contra Duos vel tres accedunt, major numerus ibi prævalet, & tamen de communi ordine dicta duorum vel trium testium ad iudicandum per ip'a sufficiunt, & de tali ordine Christus locutus est dicendo, *In ore duorum vel trium testium manet omne verbum*, non autem quod omne verbum in dictis duorum vel trium hominum maneat, & ita de communi ordine atque pro majori parte assumendo dicendum est, *omnes homines in Adam peccaverunt*, non autem dicendum sit, omnes absolutè, quoniam tunc de Angelis & de Deo assumeretur, sed omnes homines est propemodum, aut quòd intelligitur de communi ordine capiendum, sed non propter hoc verba hæc restringunt ad intelligendum de omnibus hominibus absque aliqua exceptione.

Quomodo villicus in nuptiis, quibus Christus affuit, Omnes inquit primùm bonum vinum ponunt.

CAP. LXXII.

DUm in nuptiis Christus aquam in vinum convertit, & Architricino dederunt, ille ait: *Omnes homines primùm bonum vinum ponunt, postea verò quod deterius est*, & quòd hoc pro majori parte sit plerunque e converso videmus.

Ubi hebræi consilium faciebant de Christo, ut eum interficerent dicentes, *si ipsum dimittimus, omnes in eum credent, & Romani venient, & omnia nostra diripient*, in quo videtur quòd neque illi neque Romani in numerum sequacium Christi ingrediebantur. Ubi Deus omnibus salvationem promittebat, & quòd legem in cordibus hominum sculptam daret, & similiter quique populum suum docebit. Omnes enim à magnis usque ad parvulos cognoscent me, quoniam errorum suorum adjuvator ero, & peccatorum suorum non recordabor, per memetipsum juro, si non oriatur ab ore meo justitia, & verba mea non deficient, quia mihi omne genu flectetur cœlestium, terrestrium atque infernorum, & omnis lingua confitebitur. In expositione, quam Beatus Ambrosius super his verbis adducit. Negare, inquit, non possumus

sumus; quòd Deus non juraverit saluationem aut remedium cunctis gentibus, sed in declaratione ait, quod rotum pro parte assumatur, vel uniuersale pro particulari, uidelicet omnis terra pro parte terræ, totus mundus pro parte mundi & quòd saluus esse uult omnes homines, eò quòd de omnibus gentibus aliqui saluabuntur, & hoc modo dicimus, *omnes in Adam peccaverunt*, intelligendo de iis qui sub eius umbra peccaverunt, aut sine speciali gratia fuerunt. Aristoteles ubi de cælo & mundo tractat, ait, quod ubi tres sunt, dicitur omnes. Et tertio Topicorum, Nemo eligit iuuenes iudices, aut duces; quia non constat eos prudentes esse, sed eligit ad fortitudinem, & nemo sane de omnibus negative infert, & tamen quamplures uisunt, qui ob fauorem aut alium modum iuuenes quandoque in iudices ac duces eligunt, & quia sæpe hoc fit fere impossibile dici potest, quod ab ipso Aristotele ignoraretur, sed quia de communi ordine iuuenes non fiunt duces neque iudices, quum magnâ experientiâ ob ætatem careant, pro maiori parte seu de communi regula loquens ait, nemo eligit iuuenes iudices aut duces. Idcirco quamuis de communi ordine dicatur, *omnes in Adam peccaverunt*, non propter hoc omnino quacunque exceptione carere debet.

Christus inquit. *Nemo uinum nouum in utres ueteres ponit, neque uinum uetus in utres novos.* Verùm hoc de communi ordine intelligebat non autem semper ac pœnitus. Et dum Apostolis iussit ut ad prædicandum irent, ait, *eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*, & tamen in illo tempore atque in isto ab aliquibus dilecti sunt, sed quoniam maiori parti in odium, omnibus dicit.

Quòd secundùm uerba David priusquam in Virgine peccatum esse potuisset, erat Dei altissimi tabernaculum. CAP. LXXIII.

Ubi David dicit. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Videtur quod de Domina nostra loquatur & ad hunc finem in officio ac solemnibus laudibus vel commemorationibus Beatae MARIE cantat Ecclesia: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane à luculo.* Et principio dixerat, quod cum uelocitate eam lætificauerit; quàm si prius labi siuisset, quamuis denuo adiuuaret non uelociter

velociter nec tempestivè, sed nimium sero extitisset, & sanctificatio quemadmodum ostendemus non vult inferre aliquid purgari nisi bonis benedictionem dari, & quia Deus Matrem tempestivè adjuvit, & sanctificavit, clarè constat, quòd fuerit anteaquam in suis membris aliqua difficultas intervenire potuisset, eò quòd Christi tabernaculum erat, priusquam rationalis anima in eam infunderetur, ut de naturali jure & experienciâ patet, quòd corpus sine anima nullum habet crimen sive peccatum.

Sanctus Ioannes de Filio Dei loquens ait. *Quem pater sanctificavit, & in hunc mundum misit*, glossa exponit. Quòd eum gratiâ adimplevit, quoad humanitatem, & hîc comprobatur, quòd non sanctificaverit super aliqua macula, nisi bonum super bono addiderit, adeò quòd decipiuntur illi, qui tenent sanctificationem esse erroris liberationem.

In Dominica oratione dicitur: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificatur nomen tuum*; & non in Deo nec ejus nomine aliqua est imperfectio, & similiter Beatæ Virginis sanctificatio non infert, quòd mundatio sit, nisi boni super bono additamentum.

Præterea Ioannes quoque in Evangelio ait, *sublevatis IESVS oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Et subdit: *Ego te clarificavi super terram*.

Hæc verba Christi obscuriora sunt, quam verba sanctificationis, nam pœnes consuetudinem nostram loquendi clarificari intelligimus, dum aliquid nebulosum vel turbidum est, & ad claritatem deducimus. Sed sanctificare, semper alteram gratiam super bono poni intelligitur, illud enim quòd malum est nunquam sanctificatur, verum in clarificatione sæpenumero illud quòd maculatum erat clarificatur, & tamen Christus non intelligebat eum esse nebulosum, nequidem Patrem suum, aut quòd aliquam maculam haberent, & iccirco hîc clarificare pro aperiitione illorum, quæ multis incognita erant, Christus intelligebat. Quippè quod in operibus filii quamplures jam perfectiones Patris cognoverunt, & similiter per ea, quæ filius ipse à patre assumpsit in Deum notus atque adoratus est, & hîc manifestatio seu cognitio pro clarificare vel aperire aliqua creaturis arcana assumitur. Ulterius in hoc psalmo procedendo inquit: *Benedixit te, Deus in æternum*, quæ auctoritas fortissima atque clarissima fortassis super omnes in veteri lege positas de exemptione Beatæ Mariæ affirmat, quoniam æternum nullum habet prius, nullum posterius, peccatum habet prius & posterius, constat, nullatenus in æternum ingredi potest.

Dolina nostra est ab æterno benedicta, igitur nunquam maculata, quoniam id quod aliquando maculatum, minimè ab æterno benedictum, nam peccatum continere sic vel sic, maledictio est, & non potest ab æterno benedictum & quandoque maledictum.

Quod de Virgine vaticinatum erat, quòd Christi mater esset, antequam in ea verbum divinum incarnaretur

CAP LXXIV.

CHristus in multis partibus declarat, de Virgine vaticinatum fuisse. Quòd Mater Christi futura erat per multos ante annos, quàm in mundum ad incarnandum venisset, sicuti Apostolis dicendo, *Ecce nunc Hierosolimam ascendimus, & omnia perficientur de filio hominis, quæ à Prophetis dicta sunt*, & hinc pro filio Virginis assumebat eam, igitur Prophetæ cum filio conjunctam vaticinati sunt. Quocirca apparet, quòd jam diutius, antequam in utero Annæ conciperetur, eam collaudare ac venerari inchoabant, Dei seu Messia matrem nominando.

Quid frater Vincentius historiographus sentiat, & de auctoritatibus quas de conceptione ducit.

CAP. LXXV.

FRater Vincentius historiographus ostendit quodammodo plura se vidisse præ cæteris, qui hæcenus scripserunt; & fortasse majori ordine utitur, tum distinguendo, tum verò enarrando ea, quæ dicturus erat, & semper ita se in scribendo addixit, ut nulli affectu suffragaretur, nec cuiquam adversaretur. Erat Sancti Dominici cœnobita, Tamen tenet Dominam nostram sine aliqua macula fuisse conceptam, licet non multas auctoritates adducat, sed solum in suum propositum unam Sancti Alphonsi Toletani Archiepiscopi, & Sanctum Augustinum medium, in utraque parte relinquit. Ait enim in libro de natura & gratia. Ubi de peccato loquimur, Dominam nostram excipimus. Qui autem Sanctum Thomam sectantur, dicere audent, quod à quibusque Sanctis traditum sit, Dominam nostram in originali peccato fuisse conceptam, quod longè aliter est sentiendum, quia saltem nemo illorum, qui in primitiva Ecclesia steterunt, talia

verba descripsit, Sed potius è contrario. Et Beatus Hieronymus asserit. Omnis plenitudo, quæ in Christo fuit, in Matre quoque permansit, licetè diversimodè.

Auctoritates principalium Doctorum dicentium Dominam nostram non esse in peccato conceptam.

CAP. LXXVI.

Hieronymus nono Isaia: In aula virginali & nulla forde maculata, de Spiritu sancto verbum concepit.

Sanctus Leo: In MARIA nulla læsio esse potest verecundiæ, in qua fuit divinitas humanitati conjuncta atque unita.

Augustinus: Ista est Virgo quam Deus elegit sibi & ante principium mundi electa fuit, ut sancta sit & immaculata; Mater Dei & filia ab æterno incorrupta, & ab omni macula perservata.

Sanctus Dominicus: Quemadmodum primus Adam fuit de terra Virgine & nunquam maledicta, ita etiam in secundo Adam oportuum fuit sic esse, idest, de Matre nunquam maledicta.

Sanctus Basilius: Virgo MARIA non fuit subjecta alicui delicto, neque potuit originale peccatum contrahere. Quum in utero matris suæ sanctificata fuerit. Hic verò verè intellexit qualiter macula non potest ingredi ante infusionem animæ.

Sanctus Bernardus: Non est inter filios hominis, qui in peccato originali non fuisset conceptus, nisi Mater Christi Immaculata & semper intacta.

Ambrosius, ut dicitur in Epistola ad Gabaonitas: Ista est Virgo, in qua nunquam fuit nodus culpæ, nequidem aliqua venialis peccati certitudo.

Sanctus Thomas Aquinas: Talis fuit puritas fortunatæ Virginis MARIE, quòd à peccato originali munda fuit.

Sanctus Anselmus: Si in Virginis propagatione aliqua originalis culpa fuit, hoc fuit suorum generatorum, non autem generatæ.

Sanctus Gregorius: Felix & sacra est Virgo MARIA & omni laude dignissima. Et videtur secundum eundem Gregorium, quòd Domina talem gratiam habuerit, quòd si ab ista auctoritate exceptionem facere cupient, multò magis exceptio fieri potest, ex auctoritate Sancti Pauli dicentis: *omnes in Adam peccaverunt.* Apostolus enim de magno

gno numero personarum loquebatur, & Sanctus Gregorius de Virgine tantum in particulari.

Hieronymus in sermone de Assumptione Domine nostrae: Peperit illum ex quo concepit, illum portavit à quo creata fuit, ille est auctor MARIÆ, qui natus est ex MARIA. Et non dicit quod ex Ioachim & Anna nata fuerit, nisi ex Deo tanquam principali auctore Beatæ Virginis, & hic non potest accipi alio modo quàm pro conceptione vel generatione, quum in verbis suis factos à creatis distinguat.

Origines in homilia super Evangelio Matthæi tractando de causa desponsationis Beatæ MARIÆ & Ioseph: Mater ejus, Mater Immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta. & licet Origenes canonizatus non sit, propter tria fundamenta in hoc loco integram sibi auctoritatem præbere tenemur, primò quòd sapientissimus erat, & multa bona scripsit: Secundò quòd Ecclesia tanquam in optimam expositionem hæc verba in officio posuit. Tertio quòd Hieronymus inquit, ubi Origenes bene, nemo melius, & ubi male nemo pejus. Nunc sic, aut quod in hoc loco bene dixit, aut malè; non malè, quia si malè Ecclesia non posuisset hoc in officio, igitur benè, & quia ubi bene (veluti per Hieronymum testatur) nemo melius, & non potest esse bonum, nisi verum sit. Sequitur quod in hoc loco Origenes optimè dixerit, & appellat Dominam nostram intactam atque Immaculatam, igitur sine quacunque peccati fomite.

Ad probandum quòd anima primò sit creata pura, verba Dei nobis sufficiunt. Ubi dicit, *morte morieris*, quòd si quispiam moriturus est, necessè erit ut prius vivat. Et mortem animæ esse dicimus maculam aut peccati tabem, prius itaque munda vivit, quam mors seu lues in ipsam ingrediatur, & quia anima Domine nostræ vixit, & vivendo membris fuit infusa, comprobatur nullum peccatum sive defectum intervenisse, & qui contrariam partem sectantur, cogitant quod prius anima moriatur, & postmodum vivat. Quod unicuique ordinationi videtur absolum.

*Quòd Ecclesia in favorem & laudem Virginis multa
Celebrat neque aliquid in oppositum*

CAP. LXVII.

IN lege Scripturæ quamplures auctoritates comperimus, quæ ab Ecclesia commemorantur in Virginis laudem, nec ullam in con-

trarium legimus. Quæ quidem auctoritates non imperfectam & maculatam assignant, immo totâ perfectâ & ab omni labe semotam quemadmodum habetur in Cant. Canticorum; ubi dicitur: *Tota pulchra es amica mea, dilecta mea, formosa mea, columba mea, speciosa mea, & macula non est in te.* Et in Sapiencia testatur: *Ante sæcula creata sum, & usque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.* Et de similibus in Testamento veteri & novo plura habemus, nec ullam particulariter dicentem MARIAM in peccato labefactatam, nisi universaliter loquendo dicunt, omnes, in quibus auctoritatibus nil prorsus certificari potest, de MARIA Virgine dixisse, & in favorem plures palam atque particulariter loquuti sunt, unde pro certioribus clariora tenenda erunt, eò quòd distinctè de ipsa Virgine agunt, præsertim quòd omnia in Evangeliiis contenta saltem aliquantulum in lege innocentie, naturæ aut Scripturæ principium assumunt, nunc sic: *Pulchra est amica mea, dilecta mea & macula non est in te*: aut quòd ista auctoritas est concedenda vel neganda, non neganda ergo concedenda, quam Ecclesia assumit de Beata MARIA dictam esse, unde concessa, nulla alia disputatione opus est ad cognoscendum à siue tenendum sine macula Beatam Virginem processam esse.

Quòd secundùm verba quæ Angelus Domine nostræ protulit, tenendum est in ea nunquam aliquod peccatum seu labem occurrisse. CAP. LXXVIII.

IN lege gratiæ Angelus ad Beatam Virginem loquendo ait: *Ave gratiâ plena*: Et etiam vocat eam semper intactam. Quum verò plena sit gratiâ, & semper intacta, latè patet in ea nunquam aliquam maculam intervenisse: *Benedicta tu inter mulieres.* Unde non communi via nisi quadam præ ceteris mulieribus excellentia. Deinceps in salutatione Elisabeth; ipsa Elisabeth dicit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*: Et saltem de similibus auctoritatibus nullam Thomistæ inveniunt ad eorum propositum, nisi cujusquàm moderni, qui disputando de hoc peccato talem exæperit opinionem. At nos itidem ex parte nostra modernorum auctoritates habemus, & antiquorum illæ supersunt, de quibus nullam Thomistæ seu Albertistæ adjuveniunt. Verùm de modernis alii concedunt, alii negant, veluti Thomistæ inferunt nihil à Hieronymo scriptum fuisse, quòd Scotistæ super hac materia

materia attribuunt & Franciscani inquirunt quandam Epistolam Sancto Bernardo olim falsò appropriatam, & idem de aliis auctoritatibus aiunt. Quapropter decet antiquas auctoritates inflectere, quæ à nemine denegari possunt.

Tertia Particula.

Quod Domina nostra Mater Dei erat, anteaquam peccare potuisset. CAP. LXXIX.

IN prima parte satis manifestè probavimus, originale peccatum nihil aliud esse quàm inhabilitatem ad gloriam consequendam, aut exilium in quo creatura remanet eo tempore, quo anima in corpus infunditur, ex quo deinde nihil est purgandum nisi habitandū; ideoque necessariò constat, quòd integram gratiam Virgo Beata habuerit multis ante diebus, quàm anima corpori infunderetur, quoniam ipsa Christi Mater erat, de quo major dignitas atque prærogativa emanavit, quàm haberi potuisset. Dico autem Matrem quoad formationem & membrorum distinctionem, os & carnem in quo divinum Verbum corpus, sivè humanitatem assumpsit, ad eò quòd hoc ipsum sufficit; ut ostendatur, quòd integram omnino gratiam habuerit, antequam in ea posset quicquam debiti aut imperfectionis esse; non tamen dicendum est, quòd corpus Christi sit spermate generatum quemadmodum & alii homines, sed quòd puro sanguine generatum fuit, ita quòd caro Christi erat eum carne matris conjuncta. Quòd Sanctus Anselmus & quamplures alii testantur, quamvis cogitent interdum oppositum libertatis sustentare. Dicunt in puncto conceptionis *MARIÆ* carnem Christi inhabilem fuisse, quod fat est juxta has auctoritates, ut manifestè cognoscatur Dominam nostram non potuisse Maculam contrahere. Quum in ea caro sive sanguis manserit, de quibus generandus erat Christus, & non solùm generandus, sed dicunt quòd in Matre caro ejus erat inhabilis, hoc est, in tempore conceptionis & in carne Christi, absit à nobis tenere, quòd aliqua indispositio accidisset.

De eodem.

ET siasseris, quòd in creatione vel unione animæ cum corpore non totam gratiam sibi debitam recepit. Respondeo de creatione, deinde de infusione.

De creatione absurdum esset dicere, quòd propter crimen hominis Deus suum opus maculatum aut imperfectum ageret, dico opus suum, ubi non occurrit alia causa præter Deum potissima, præcipue in creatione animæ Matris suæ. Anima enim pars Matris erat, in quantum mulier est, Mater animâ & corpore constans. Et hîc non est inferendum, quòd nondum erat Christus ad observandum Matrem suam, quia talia dicendo maximo errori esset, videlicet quomodo Verbum aut secunda persona in divinis sit filius Dominæ nostræ, quoniam pars Christi, & ista pars illa erat, quæ Matrem observare debebat. Christus enim in quantum homo non erat daturus gratiam, nisi in quantum Deus, quum verò Deus ipse gloriosam animam creavit, manifestatur illam creavisse tanquam partem Matris ad unionem corporis.

Quòd si corpus organizatum fuit ante animæ infusionem, illa quidem membra Matris Christi erant in quantum homo, & etiam in quantum Verbum divinum ex eo, quòd in ventre Virginis debebat per novem menses manere, & quia Mater, constat pœnes naturam quòd integram gratiam inferre debebat, ne in aliqua privatione aut inhabilitate inveniretur, quoniam unaquæque Mater suapte natura filium diligit, & filius quoque Matrem.

Quod si quis infert nos incertos esse, quod Deus hac gratia Matrem dotaverit, dico nobis naturales atque morales rationes sufficere. Et quum oppositum tenentes demonstrabili ratione careant parvi pendenda est eorum opinio, quum sit citra moralem atque naturalem disciplinam & rationem.

Et si dicis animam Dominæ nostræ perfectiorem esse potuisse, respondeo quòd Lucifer perfectior esse potuit, quàm fuit super creatione per confirmationem post aliqua opera sua, & ita Adam & Eva quum mereri & peccare potuerint, Quamobrem non totaliter perfecti quamvis sine peccato creati. Attamen Beata Virgo fuit cæteris præstantior propter filium, ex eò, quòd plus Deo unita, ut in locis suis patet,

patet, & de hoc latius in aliis capitulis pertractabimus, hinc autem dicimus, quod firmiter tenendum sit, animam Dominæ nostræ majorem in tua conceptione perfectionem habuisse, quam aliquam aliam creaturam præter animam Christi, quod ex eo manifestatur, quod digniorem atque eminentiorem finem ac medium sortita sit, quam quævis alia creatura vel Angelus, sive Adam & Eva. Quinque medium & finis ejusmodi erant, necessario oportebat, quod principium medio & fini corresponderet, & à fortiori inferimus, quod quum Lucifer, Adam & Eva sine peccato creati fuerunt, multo magis Domina nostra quæ dignior ac præstantior erat.

Quòd tenendum est Dominam nostram filio similem fuisse, quo ad non contrahendum peccatum.

CAP. LXXX.

Aliqui difficillimum esse arbitrantur, quod Domina nostra Christo similis esse potuit, quo ad non contrahendum originale peccatum, nec conjiciunt, quomodo in aliis rebus gloriosa virgo majorem habuerit prærogativam, quam ipse Christus. Major enim dignitas est esse Matrem, quam esse filium, & Matrem Dei quam mulieris filium, & sic etiam post partum Majori laudi ascribitur esse Virginem & generare, quam esse Virginem & non generare. Ideirco, quum in iis tribus tantâ excellentiâ Matrem Christus decoraverit, æquum est, quod eam in conceptione liberam fecisset ad filii similitudinem in quantum non eam in aliqua labe dimiserit, quamvis non æqualiter digna fuisset in gradibus perfectionis.

Quisnam Principalis finis fuerit, quòd Domina nostra in mundum venisset. CAP. LXXXI.

IN hoc sequenti capitulo aliquid videndum est, quis fuerit principalis finis, quod Domina nostra in mundum venerit, quoniam manifestè tenemus finem esse principale principium, quo movemur & quum finis per quem ordimur optimus sit, principium quoque optimum esse apparet. Et quia macula pessimū finem habet in principio, & è converso bonus finis Immaculato principio uitur, finis à nobis
con.

considerandus est, quo Beata Virgo concepta fuerit. Ipsa enim sola & nulla altera fuit ad hunc finem concepta, quòd scilicet Deus in ea pro humanitatis remedio incarnaretur. Quapropter necessariò conuenit quòd materia & forma Beatæ Virginis semper libera fuerit, nempe quòd remedium erat illis qui prius venerant, & deinde nascituri erant, adeò quòd si quando non fuisset pro tali principio generata ut Mater Dei, esset solùm pœnes naturam ut veniret pro remedio præteritorum præsentium ac futurorum, dicebat quòd cunctis temporibus pura atque Immaculata esset, namque aliter secundum naturam non potuisset omnibus lucem inferre, videlicet præteritis præsentibus & futuris, eò maximè, quòd ejus conceptio principaliter ad hunc finem fuit, scilicet quòd in ipsa Deus incarnaretur, unde impossibile esse animus quòd in ea peccatum intervenire posset, istud enim Dei totalis finis atque opus erat, quòd nemo fidelis christianus sine maximo conscientia discrimine denegare potest.

Et inferendo quòd de fine conceptionis Dominæ nostræ aliqua pars Ioachim & Annæ competebat, ex qua maculam concipere potuisset, asserimus, quòd Deus corporeas & incorporeas creaturas comprehendit, & quòd in qualibet ipsarum plena libertate & potentia utitur. Quocirca confitendum est Dominam nostram in hunc mundum venisse principaliter, ut Mater Dei esset, quàm filia Ioachim & Annæ, & similiter quod Mater Dei sit perfectiori modo quàm filia hominis & mulieris, & quia principalior fuit conceptio, ex quo Mater Dei erat, necessariò oportebat cæteros fines principaliori parere, præsertim quòd Ioachim & Anna in obedientia Dei & absque venerea seu damnata libidine filiam generaverunt, neque est præcisè dicendum, quòd in manibus eorum fuerit ad non generandum eam, quum ab æterno seu creatione mundi Deus ipsam in Matrem elegerat, & quoniam prius fuit electio, quàm maculari potuisse, consequenter post electionem non permisit, quòd in maculam laberetur.

Quod absolum sit dicere Deum voluisse Matrem multorum numero connumerare. CAP. LXXXII.

Dicendo quòd pro observatione legis, quam Deus universaliter stabilivit inter humanos, voluit ut Mater sua in medio multorum ingrederetur, pro cuius solutione jam superius diximus, conceptam fuisse

fuisse ad hoc quòd Mater Dei esset, quam non intrat in normam aliorum hominum, ubi aliqua dignitas interveniebat, seu errorum excusatio. Deus enim (ut alibi diximus) suas ordinationes mutavit pœnes creaturam merita aut demerita, ut constat. Quoniam mortalibus uno tempore legem naturæ, deinceps Scripturæ, & postremo Gratiæ exhibuit, & liberum quoque arbitrium, ut juxta libitum benè ac malè operemur. Verumtamen tenemus, quòd Deus liberum arbitrium ab aliquo particulari abstulit ipsum abstrahendo, veluti dum cor Pharaonis induravit, ne permetteret ab Ægypto Hebræos exire, aut Deum eorum adorare.

Similiter suprâ communem consuetudinem Deus permisit, ut Job in divitiis ac membrorum angustiiis temptaretur. Christus Sancto Petro dixit: *Rogabo Patrem, ut non deficiat fides tua.* Itaque non fuit in ejus arbitrio ut pœnitus defecisset. Quoniam pro eo Christus rogabat, & taliter multa exempla insinuare possemus, quatenus Deus post communem ordinationem aliquos bonos liberat, & adversus scelestos malum Angelum sinit, & dato quòd non inveniremus apud omnes vetustiores Doctores ipsos determinatè scripsisse, quòd in conceptione Dominæ nostræ nulla Macula fuerit, sufficit, quòd alias Majores perfectiones ostendant, quàm quòd sine peccato concepta. Et qui in Majoribus, potest à fortiori & in minoribus, quia Matrem Dei nominando omnes perfectiones creaturis competentes concluduntur, quæ tot & tales fuerunt, ut nemo hominum eas intelligere potuerit, & quum hoc manifestum sit, infima atque incongrua est illorum opinio, qui contendere volunt, quòd aliquam Maculam habuerit, quæ quidem pars nimium aliena est à persona, de qua propter dignitatem ejus sufficienter loqui nequimus, ut dicendo perfectum aut imperfectum in eodem subjecto, quòd nullo pacto esse potest, & de perfectione omnino certi sumus.

Qualiter falsa sit illorum opinio, qui aiunt Beatam Virginem non potuisse gratiam nancisci, antequam generata fuisset. CAP. LXXXIII.

UBi aliqui dicunt Dominam nostram non potuisse gratiam habere antequam generaretur, palam delirare videntur. Quoniam per multos annos, priusquam generata esset, fuerat sibi promissum

millum Matrem Dei se futuram, & in virginitate parituram, in quibus quidē promissionibus nō oportebat alias leviores particulas enumerare.

Quòd, ut scandala evitentur, deberet in hac materia Dominicanorum Fratrum opinio cessare.

CAP. LXXXIII.

SI aliud non esset, quàm ad evitanda scandala, Thomistarum opinio pœnitus cessare deberet, quamvis respondere poterint, quòd etiam opinio fratrum Sancti Francisci desistere debuisset. Quum inter ambas partes differentia versari soleat. Ad quòd respondemus, quòd quamvis differentia videatur ab his duabus Religionibus dependere, ex Dominicanis tamen scandalum emanat, quoniam apud omnes homines cujuscunque conditionis sint extra fratres Sancti Dominici dicitur Dominam nostram sine aliquo peccato fuisse conceptam, & audiendo quòd sine peccato concepta fuerit, nemo aliquam alterationem mentis assumeret, imo potius gaudebit. Unde videtur ex Dominicanis solum provenire scandalum. Dum enim de hoc ipsi loquuntur, omnes gentes communiter scandalizantur.

Quidam eorum ajunt, quòd illi scandalizantur, qui non bene sciunt quid sit hoc originale peccatum; sed respondemus, quòd quamvis omnes distinctè nesciant quale sit originale peccatum, saltem omnes cognoscunt aliquam imperfectionem significare, & attribuendo Beatæ Virgini peccatum dicunt quòd in aliquo instanti imperfecta fuit, qua de re omnes cognoscunt, quòd melius sit eam esse immaculatam quàm maculatam.

Quòd omnes gentes fatentur in Virgine nullam potuisse esse maculam, præsupposito quòd Mater Dei sit.

CAP. LXXXV.

INter Christianos communiter tenetur Dominam nostram absque macula conceptam fuisse, & omnes alii, ut Hebræi, & Mauri inquirunt & annunt, quòd si Domina nostra Mater Dei fuit, in conceptione ejus nulla intercessit macula, licet Mauri absque quòd teneant Christum fuisse Deum, ajunt Dominam nostram primam fuisse inter natas mulierum, & Hebræi quoque tenent Matrem Messiaz

magnas

magnas habituram prærogativas, quamvis non concedant Messiam esse Deum & hominem, positis verò eisdem conditionibus, quas nos dicimus, omnes inquirunt nullam in Matre Christi labem esse potuisse.

Demum absolutè dicere possumus quòd Thomistæ extrema accipiunt. Sed si ipsimet id videre velint, eorum corda scrutentur, quia fortasse nullus ipsorum super ista defensione vellet se ad periculum capitis offerre, de quo aliquam experientiam habemus, quoniam, ut publica voce fertur, Parisius quidam fratres illius Ordinis voluerunt eandem opinionem prædicare dicentes, quòd eam essent usque ad necem defensuri, quamvis in ignem ponerentur, qui tandem ad ignem coacti promiserunt nunquam amplius opinionem illam fovere, tum etiam coram Ludovico Mediolani Duce, vidi Beatum Bernardinum de Feltro voluisse ingredi cum alio fratre Sancti Dominici in fornacem ardentem, ut videretur quis eorum citius cumbureretur, ad hoc quòd veritas hujus quæstionis cognosci potuisset, tamen alter noluit. At verò Beatam Virginem immaculatam esse affirmantium plerique invenirentur, qui potius igne comburi paterentur aut quacunque morte obire, quam à tali proposito desistere.

Multifariè igitur apparet in isto casu nequaquam tenendam esse Dominicanorum opinionem. Si enim summus Pontifex ordinaret, quòd omnes tum litterati tum alterius cujusque conditionis venirent, utpote Christiani, Judæi & Mauri atque omnes eorum opiniones audiret, si unus ex voto Thomistarum esset, ex aliorum parte infinitus fere numerus, & postquam adèd manifesta est disparitas, meritò Pontifex deberet & posset determinare, quòd de Domina nostra vera habeatur determinatio, quòd absque aliqua peccati macula vel defectu gratiæ concepta fuerit. Sed quòd totaliter purissima & plena gratiæ sit, èd magis quòd si oppositum tenentes mentiuntur, eorumque animæ simul cum corporibus in horrendis cruciariis punientur. Quique oppositum tenent, in nullo periculo sunt oblati, & quamquam è converso narrantes veritatem dicant, nullum de eo præmium expectant, quoniam multò securius esset ac sine timore dicendo beatam Virginem nullum habuisse peccatum, quamvis actualiter habuisset, & si considerare volent, reor eis aliquid timoris occurri, quum sint coram Virgine ante tribunal de factis rationem reddituri.

Qualiter si primi parentis successio peccare potuerat, quamvis ipse non peccasset, possemus sine peccato concipi, & quia peccavit nos quoque peccamus.

CAP. LXXXVI.

JAm in hoc libro & alibi etiam ad probandum, quod originale peccatum inter humanum genus sit ingressum, pro fundamento assumpti, quatenus primus parens tanquam Pater totius humanitatis peccando contra universum genus humanum quandam intulerit contumeliam, & hoc ipsum, ut opinor, communi via Doctorum minimè repugnat. Ipsi enim atque omnes præsertim religiosi de primorum parentum peccato conqueruntur asserendo, quod peccatum ipsorum fuit præcipua nostrorum errorum causa, Verumtamen dum alibi quasdam à nonnullis Theologis illatas sententias perspicimus, haud parum admiramur eò quod, postquam concesserunt quod peccatum Adæ potissima causa fuerit, in qua nostra sunt contenta peccata, seu fundamentum, de quo errores nostri profluunt, ajunt, Quod licet primi parentes non peccassent, eorum successio peccare potuerat, nec in uno peccato tantum, immo & in pluribus; hæc autem opinio (ni fallor) varia incongrua gignit, & hoc præsertim contra religiosos, quia dum dicitur: *Omnes in Adam peccaverunt*: intelligendum est, quod ibi omnes tanquam in origine quicquam demereri potuimus. Tum sic, si demereri, multò magis mereri, nam prius ac principalius est bonum quam malum.

Præterea aut est dicendum, quod peccatum Adæ fuit causa nostrorum peccatorum, aut non. Si causa, peccare non poteramus, si prius ipse non peccaverat, & si non causa, sine ipso peccare potuissemus, & tunc causa nostra peccandi in alio loco fundabatur. Unde dicendum est, eam fuisse in libertate positam, sicut & nunc, & non in Adam & Eva, Quo concessio de primorum parentum errore immeritò conquerimur, Quum non fuerint nostri erroris causa, tamen lex naturæ, scripturæ & gratiæ aliter denunciare videntur. Eo præcipue quod dicendo successionem posse plura peccata committere minimè hoc consonum apparet. In statu enim innocentis unum dumtaxat prohibitum comperimus, cætera hominum voluptati suggerentia, & contra unum solum præceptum minusque in pluribus peccare potuissemus

uissemus. Enim vero absque præcepto perdifficile est peccatum sciri, aut saltem æternale esse non potest, nam illud quod naturaliter causatur à natura est dissolubile; sed mortale peccatum pœnes religionum sententiam, æternum inveniet supplicium, & præceptorum cultus gloriam sine fine nanciscetur, Concedendum est talem durationem æternam propter legem fieri & non propter naturam, pro cuius rei probatione auctoritates insinuamus, velut ubi Beatus Paulus ait: *Si legem non habuissemus: peccatum non haberemus.*

Christus itidem asserit, loquendo cum Hebræis: *Si non fecissem in cæsigna, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* sub qua quidem conditione apparet, qualiter à Deo signa vel mandata habere oportet, ut peccare vel mereri debeamus.

Licet quo ad naturam cognoscamus, malum esse homines occidere, & aliena diripere, hoc autem dum hîc vivimus purgare possumus, seu animæ in pauco tempore post separationem, ut à Platone & quibusdam aliis ferebatur. Sed tandem omnes animæ ad cælum à planè redituræ sunt, ut illic cum anima mundi reuniri aut secum manere queant. Nos verò religiosi altiore mansionem pro bonis animabus assignamus, & pro malè viventibus multò deteriore, quàm Plato inferebat. Quoniam ad inferos ipsas præcipitari dicimus, in quibus sine fine cruciabuntur.

Et ideo si transgressio primorum parentum causa fuit, ut nos peccemus, ita pariter asserendum est, si Adam & Eva in sanctitate vixissent, quod nullo modo peccare potuissemus. Et peccare dicendum est, quod in comedendo de fructu vetito & non alijsmodi consistebat, quum Adam & Eva nihil aliud prohibitum habuerint, & in comestione fructûs fortè nullus cecidisset, quia dum serpensive Angelus malus ab Eva victus cecidisset, numquam amplius quemquam temptare ausus esset. Et nemo ex semetipso motus fuisset ad velendum vetito fructu.

Et si quis infert, quòd etiam in prima innocentia potuerat homo hominem occidere, absurdum potius atque inhumanum fateor, primo ut per Genesim patet, nam scire bonum & malum in comestione fructûs consistebat. Quin immo observata, uti aiunt, innocentia nemo in proximum irasceret. Insuper minæ mortis solum in comestione fructûs versabantur, idcirco quousque homo immisit manum & comedit de fructu sapientiæ boni & mali, non cognovit se nudum esse, & quia in solo fructu tot erant fundata uti mors, scientia

tia boni & mali atque innocentia abjectio seu cognitio, quod nudi essent, videtur quod in nullo peccato præterquam in isto peccare potueramus, nec sine præcipuo dubio dicendum est, quod homo antequam de fructu vetito comedisset, in veniali peccato peccavit. Et si respondetur, quod obligatio in transgressione divina obedientia & non in comestione fructus consistebat, conceditur. Attamen dico, quod tunc transgressio erat quum fructus comedebatur, nec prius, quod satis apparuit, quia ante comestionem primi parentes innocentiam non perdidierunt, nec littera demonstrat, quod causâ cogitationis morituri essent. Et si dicimus quod cogitationes à natura peccatum causant, forsitan in statu innocentia alia præcepta habebant. Scilicet quod nullo modo peccarent, donec fructum vetitum comederent, & hoc non usu fit, quoniam in lege veteri plura habebant præcepta, in quorum transgressione peccarent. Nos verò nullum errorem committimus, quamvis ab eis transgrediamur. Et similiter si in lege innocentia nulum aliud præceptum colebant, nisi quod de fructu non comederent, non est dicendum, quod extra illud errarent. Et si adijcitur quod antea deliberatio fuerit quàm comestio fructus, & quod jam id ipsum peccatum erat. Respondetur, quod Adam & Eva liberi erant, & fructus obediens. Quamobrem si deliberatio non durasset, quousque comederent nullo modo fuisset peccatum, quoniam manente libertate non sunt omnino transgressi. Nam quum dicimus deliberatum esset ipsum utique tanquam in actu positum dijudicamus, quia omnimodo poneretur, si aliquod impedimentum non irrumperet. Et sic Adam & Eva in deliberatione peccaverunt: Sed simul cum actu comedendi. Tandem quum hic de originali peccato peragamus contra tenentes, quod absque exceptione omnes in Adam peccaverunt, seu quod nemo extra Christum sit sine originali macula conceptus, nos ita aimus: Dato quod Sanctus Thomas & quidam alii dicant, quod licet primi parentes non peccavissent, successio diversimode peccare poterat. Nunc sic, si primi parentes non fuerunt nostrorum errorum causa, ut superius apparuit, aut quod sine ipsorum errore peccare potuimus, consequenter liberi remansimus ad merendum sine ipsis, quoniam autem non omnia peccata nostra in suis demeritis consistebant, nec agere potuerunt, quod in peccato vel non peccato conciperemur. Nam dicendo quod Adam & Eva in sanctitate persistentibus nos peccare potuissemus, igitur dato quod peccaverint, nos concipi & sine peccato remanere possumus, & quia plu-

res à fortiori juxta opinionem istorum Domina nostra non fuit originali peccato obnoxia. In prima verò sententia tenendum & quòd primum peccatum parentum ob nostros errores exereverit, & quòd si ipsi non peccavissent nos minimè peccaremus.

At verò juxta opinionem Beati Thomæ manifestè arguere possumus, quòd nullum originale peccatum contraxerit, & arguitur sic, primi parentes non peccaverunt, nos peccare possumus, ipsi peccaverunt; ergo nos nullum contraximus peccatum, & probatur, dicimus peccatum originale à nobis propter primos parentes contrahi. Contrahere autem ab alio culpam vel meritum æqualiter se habet, quia ubicunque est lex conditionalis dicens, si ita egeris bonum nansciferis, & sic malum est libera conditio ad hunc vel ad illum legem recipientes, id est, quòd ipsi patres ipsam conditionalem assumpserunt, ergo conditionaliter eam in subsequentiis transgigere potuerunt. Nunc sic, aut quòd habuerunt locum communicandi ipsam successoribus, aut non habuerunt, si locum habuerunt, dummodo ipsi non peccavissent, nequaquam nos peccare potuissimus. Conditio legis est æqualis, Patres nostri peccaverunt, igitur nos in demerito suo peccamus, non potuerunt dare nobis gratiam, ut numquam peccaremus, ergo nec peccandi maledictionem, quia non est magis ratio, quòd præbeant maledictionem quàm benedictionem, immò multò minus. Quocirca videtur de conceptione pertractando, ponentes quòd quamvis Adam non peccaverat nos peccare potuissimus eò quòd in hoc loco contra communem dispositionem legis dicunt nequaquam admittendos.

Quòd Albertus Magnus & Beatus Thomas forsitan credentes, quòd intellectus denominatus materialis esset intrinsecè de materia productus in essentia animæ Dominae nostræ originale peccatum sunt imaginati, quòd contra Religionem & veritatem se habere videtur. CAP. LXXXVII.

Sæpenuero mecum ipse complectens, ubinam Albertus Magnus, Thomas, & alii similes adinverint, ut dicere ausi sint essentiam animarum esse originali peccato infectam, aut quòd embrius potestatem

potestatem haberet ad labefactandum animam in ejus infusione. Postremò aspexi qualiter hi auctores extra consuetam sententiam Religiosorum dicant, quòd nostra anima intellectiva sit in corpore creata quum verò in formatione primi hominis in Genesi scriptum sit: *Spiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ*, ab hoc principio Religiosi omnes dixerunt animam corpori infundi, & infundi deforis adveniens dicitur non autem intrinsecus creatum. Sed quum Albertus & Thomas Philosophiam Aristotelis admodum sectarentur, plerumque de obscuritatibus suis Partem aliquam eliciebant, quemadmodum hinc patet, nam cum videretur Aristoteles intellectum materiale per cogitativam capere, quam animam intellectivam nostram seu propriam formam dicebat esse, & insuper de mente ipsius talis forma est materialis, seu de potentia materiæ deducta, nonnulli hoc errore imbuti crediderunt animam nostram materiale esse, atque in corpore productam, non dicas creatam stante de potentia materiæ productam esse. Quocirca videtur Albertus intellexisse, quòd anima nostra esset ejusdem naturæ vel materiæ cum corpore, in qua natura vel essentia anima esset simul cum corpore maculata. Quæ tamen si ejus opinio fuit, in lege & Philosophia fuisset erronea, ut in pluribus locis hujus voluminis patebit, quoniam rationalis anima nullibi est in potentia corporis, vel nunquam corpus continet potentialiter seu virtualiter intellectivam animam, quum nimium variæ in essentia sint, & anima multo dignior: & deterius nunquam superius virtualiter continere potest, nec est locus, Ubi rationales animæ creantur propter ipsius corporis improprietatem, unde non creanda est in embryo, ne videatur intellectivam animam ab ipso corpore aliquo modo originem deducere. Sed quia Deus non indiget loco operandi ita potest creare animam rationalem, ubi est embrius, sicut & alibi, non tamen ratione ipsius embrii, sed quòd ita hinc, velut alibi. At verò causa dignitatis & quòd anima semper sublimia suapte natura appetat, tenendum est in cælo eam esse creatam, non autem in corpore, nam potius corpus per animam dicimus esse, quòd anima sit forma & corpus tanquam materia, & materia ad esse saltem perfectum per formam deducitur, & idè Aristoteles inquit. Anima est causa efficiens corporum animatorum & principium motus secundum locum & alterationis.

Et duodecimode animalibus. Corpus & membra pro anima sunt creata. Itaque non infert animam esse in corpore creatam, immò potius quòd substantia per se sit, & in secundo Mens dumtaxat, quæ sit,

divina est de foris venit & alia animæ ut vegetativa & sensitiva simul cum materia corporis nutriuntur, & alibi Mens, quæ de foris venit.

Et secundò de Anima. Intellectus separatur ab aliis potentiis animæ sicut perpetuum à corruptibili. Unde dicendum est, quòd quicquid postremò ab alio separabile, in principio separatam originem habere infert. Itaque proculdubio tenendum est, quòd dummodo Albertus superiores has auctoritates perspexisset, nunquam omnino dixisset Dominam nostram in originali peccato fuisse conceptam, nec quòd essentia animæ simul cum corpore infectaretur.

Recollectio multorum dictorum in conceptione juxta originem gratiarum & errorum capiendò, in quibus principaliter videndum est, ut quietem super hanc facultatem negociando capiamus.

CAP. LXXX.

Cum jam in superioribus pleraque de particularibus rebus, ubi peccatum originale consistere posset, aut non consistere, dicta sint, & quoque in quodam capitulo de peccato in esse essentia aliquid enarravimus, nunc verò ultimò de peccato in esse essentia atque in esse existentia rursus pertractandum est, ut cognoscatur ubi originale peccatum fundetur, quoniam in hoc tota consistit difficultas nostra, dum de conceptione Beatæ Mariæ decertatur; & quum sapientibus attineat, ante omnia in terminis convenire, atque fundamentum cognoscere, priusquam ad disputandum de proprietatibus illius fundamenti accedant, Condecens est, Ut nos similiter faciamus; & si in principio hæc via assumpta non sit, quandocumque ipsam inveniemus amplexanda est, ut per obscuritatem terminorum aut fundamentorum inexplicatorum tempus absque fructu non conteramus.

Et quia disputatoribus hominibus sequentibus sophisticam artem frequens est sapissimè inferre, distinguo, concedo secundum esse essentiam, & nego secundum esse existentiam, aut è converso quandoque dicunt.

In hoc loco omnia similia penitus fugienda essent, eò quòd hic quoad vires penes sinceram veritatem ambulare deberemus dicendo, hoc

est, hoc non autem prævaricando ea quæ plano modo intelligenda sunt, cum allegatione, tum de esse essentia, tum de esse existentia.

Sed de hoc, & illo, quid sit distinctè videamus, ne confusè laboremus, & in primis de esse essentia excutiendum est, licet de ratione competeret declaratio ipsius adducentibus ipsam, nos enim dum de Conceptione Beatæ MARIE & aliorum humanorum negociamur, minime esse essentiam allegamus, adversantes talia adducunt tandem qualis sit, vel quonam pacto esse essentia intelligenda est in hoc loco; & ubicunque de ipsa enarrant, inexplicatam eam dimitunt, habet esse à se, non habet esse à se, est, non est, inconfuso modo tantum dicunt, & juxta veritatem in hominibus non est nobis aliquam adducere rem, ignorando ipsius declarationem.

Tandem quia Thomistæ alii moderni & antiqui adducentes, esse essentiam, dum de conceptione tractabant, oportet nos ipsam declarare, ut non sit refugium insipientium, quoniam plerique ad sustentandas opiniones quas assunt, dum non valent sæpenuerosè ad esse essentiam, seu potentiale effugiunt. Verumtamen & si in aliis locis, esse essentia, ad cooperiendum aliquem valere posset, in hoc loco de conceptione agendo, nil ad propositum, quum nullum peccatum, in esse essentia, dari potest, ut per adducentes essentiam ipsam, probatum, quum asserunt, essentia tantum est essentia, id est, simplex res. Unde causa simplicitatis non habet unum, per quod cognoscatur, & aliud per quod ignoretur, hoc posito & ab adversantibus concessio facillimè videri potest, quoniam modo nullum potest manere peccatum in esse essentia, quoniam tunc non esset simplex non essentia tantum, non esse essentia, nisi composita & in esse existentia, quoniam si peccatum ibi subjectatur, ut proponentes ipsam cõfitentur, peccatum se habet veluti forma essentia, vero sicut materia, ubicunque enim forma, & materia simul dantur, ibi est existentia, non autem potentialitas pura. Unde probatur malè præsupponere, quid dicunt peccatum originale in esse essentia, tanquam in subiecto remanere. Præterea de esse essentia atque de peccato videndū est an alicubi simul manere queant. Esse essentia verò ut in aliis subsequētib; libris Deo juvante patebit, nil aliud est, propriè capiēdo, quam relatio imaginaria, quā nos in mentibus nostris ædificamus de rebus futuris considerando: talis relatio enim nil habet de actu præter imaginationem nostrā, & hæc est simplex essentia, nil actuale in se continens. Aliæ potentia veræ sunt semper in actu de præsentī manentes, verumtamen
quia

quia spirant ad futuras transmutationes hanc speciem dimittendo, & alteram acquirendo, veluti materia quæ nunc est in me in specie carnis, & postmodum transiet in aliquam herbam de specie alicujus plantæ, sub hac consideratione solet dici, herba futura est, in esse essentia hac carne nunc existente, quamvis nil de specie illius herbæ in hac carne sit, sed quia hæc materia in specie carnis nunc manens tempore decurrente potest in herbam transire, de hac transiitione considerando & capiendo hanc materiam aliquammodo conceditur, quòd dicamus herba est in esse essentia in hac carne.

Sed de peccato futuro non possumus simile adducere exemplum, quoniam nulla materia est nunc in hac carne, in hoc corpore vel illo transmutanda in peccatum nec in speciem ejus, quoniam peccatum non habet esse de se subjectale hinc vel ibi, & sic tantum est, quantum remanet subjectum, quòd peccatum ipsum causat.

Esse essentia, non potest peccatum causare, quum omni actu careat, saltem actu cognitionis non esse subjectum alicujus formæ remanendo, esse essentia, peccatum se habet tanquam forma, licet accidentalis in subjecto, igitur non potest in esse essentia subjectari.

Uterius, de esse essentia, aut verius de esse potenciali nostro ad hoc & illud operandum explicare decet, & in hoc loco melius potest dici peccatum originale in corporibus in animabus potencialiter manere, & non tantum in corporibus & animabus, verum etiam in elementis atque radiis stellarum, ut videri potest ita dicendo de communi sententia habetur, dum de esse essentia loquitur, inferre, filius est in esse potenciali in Patre; intelligas, iste homo est aptus natus ad generandum filium, in qua aptitudine fundatur filius, si quandoque generabitur.

Et pari modo omnes homines apti nati sumus ad malum quandoque operandum, & ab operatione prava seu contra legem peccatum oritur. Unde potest dici, peccatum futurum est nunc potencialiter in aptitudine nostra male operandi, verumtamen quia nil de aptitudine nostra aut alia pars transit in peccatum, nimium improprie dicitur peccatum in esse potenciali hominum manere nisi quoquo modo figurative dictum, sub qua figura potest inferre, quia aliqua pars elementorum transit in speciem corporum humanorum, unde peccare potest, etiam in elementis potencialiter est peccatum, peccatum in radiis calorum seu stellarum, quoniam calor, frigiditas, aut alie qualitates ab stellis eventientes occurrunt cum hominibus ad operandum,

dum, dum peccant, sed tale peccatum in esse potenciali, latissimo modo capiendo.

Tandem per omnia entia decurrendo, dum præter Deum caperemus, ibi inveniremus sic vel sic à natura procedendo aliquam aptitudinem ad committendum errorem, vel occurrendum ad ædificationem ipsius. Præsertim creaturæ quæ rationales sunt, omnes à natura possibilitatem peccandi adducunt, ut in lege de aliquibus Angelis & de Adam & Eva habetur, quia quamvis perfecti pœnes perfectionem creaturarum potentialitatem intrinsicè ad peccandum continebant, nam si talem aptitudinem non haberent, impossibile esset actu peccavisse, peccaverunt, & hi erant de perfectioribus creaturis, quas Deus creavit, constat omnes intellectuales creaturas aptas creatas ad bonum & malum agendum esse.

Verumtamen talis aptitudo non est peccatum, nec quidem semper peccatum causat, quoniam si illam potentialitatem ad bonum diligimus, & appetitui peccandi resistimus, meritorios gloriæ nos ipsos agimus. Unde in tali casu aptitudo peccandi & appetitus prosequendi ipsa sunt nobis causa merendi.

Quanam causâ nullatenus dicendum sit, aliquod esse peccatum in esse essentia nostra, licetabilitas peccandi sit peccatum, & verò non, quoniam siabilitas peccandi atque cupiditas peccatum esset, tum confiteri oporteret omnes Angelos & primos parentes nostros in peccato creatos esse, quoniam apti ad peccandum erant, & appetitum ad transgrediendum præcepta Dei adducebant, ut effectu probatum est, sed quia habemus tanquam erroneum in lege & natura, si quis diceret à creatione aut simplice natura peccatum contrahere, tenendum est Luciferum & omnes alios Angelos atque Adam & Evam immunes ab omni macula creatos esse, tandem cum possibilitate peccandi, de qua solus Deus exemptus est.

In quo Ordine aspiciendo sanè dici potest, solus Deus sine peccato, atque solus Christus quia Deus & homo, nam veluti Deus non compositus nec componibilis nec quidè peccatum habet, nec possibilitatem peccandi, ad similitudinem etiam de Christo, quamvis capiendo in eo quoddam homo asserimus ipsum solum inter omnes creaturas exemptum ab omni possibilitate peccandi esse, non autem compositum tanquam de potentialitate ambigua ad bonum & malum, nisi tanquam actus purus semper ad bonum directus, sub qua consideratione veluti dicimus, solus Deus bonus, solus Deus sanctus per summam perfectionem

fectionem etiam asserimus, solus Christus ab omni peccato atque potentialitate operandi ipsum immunis est, sed non ex hoc sequitur omnes alias creaturas peccatum contraxisse, concessio aptas ad peccandum esse, ut ab omnibus religiosis & irreligiis conceditur.

Sub quo concessio & à natura probato facile agnoscere possumus, qualiter nullus nostrum à natura contrahit peccatum, quoniam tunc sequeretur omne inferius suum superius maculare posse, quòd stare nequit, eò magis quia natura, dum universaliter capere velles, simplex est, & si maculata, composita ipsa describenda, quòd à natura ipsa non datur. Unde necesse est ad hunc & illum particularem hominem devenire, & in his particularibus peccatum aut meritorium indagari, non autem in universalibus tanquam abstractis vel in esse essentia: quoniam peccatum casualiter generatum, quicquid autem casualiter operatum particulare est.

Et insuper non omne illud, quòd à casu seu contingenter operatur, peccare potest, nisi id tantum quòd intellectuale est. Unde ortum habet, concessio quòd in cœtis, stellis, elementis & aliis corporibus simplicibus aut compositis consideremus aliquam potentialitatem ad deveniendum in aliquam speciem, ubi peccare possunt, talis potentialitas remotissima est, aut rectius loquendo imaginaria tantum, quoniam absolute impossibile est quòd cœlum elementa aut aliquod aliud corpus absque anima rationali conjuncta possent peccare, ubi impossibile est, sic vel sic capiendo à natura loquendo, quòd effectus sequatur, nulla ibi datur ad talem effectum potentialitas, nam potentia tanquam directio seu regula ad aliquem effectum futurum dicit, impossibile est consequi illum effectum, ergo nulla datur ibi potentialitas ad ipsum operandum.

Quocirca relinquendum est de corpore nostro Immaculatum esse, antequam anima rationalis in ipsum infundatur, quoniam impossibile est ipsum posse peccare. Unde neganda est in eo potentia peccandi, quoniam omnis potentia habet per suum correlativum aliquem effectum factibilem à subjecto, in quo ipsa potentia manet, nulla potentia manens in corpore solo potest esse medium, per quòd corpus ipsum peccet, ergo vanum elaboramus, considerando aliquam esse aptitudinem peccandi in corporibus absque anima, rationali & multo minus maculam.

Nunc verò superioribus visis absque argumentationibus atque auctoritatibus de conceptione Beatæ MARIE, qualis sit intelligere

quimus . tum posito esse Matrem Christi , & ipsum Deum & hominem , ut christiani habemus eò quòd facilius de gratiâ illata Beatæ **MARIÆ** concedamus , cum omnes probi filii patribus & matribus in quantum possunt honorem gerunt atque alia bona eis tradunt , & quia boni filii hoc faciunt , Christo quam optimus sit , perfectissimè attingebat , de Matre sua curam habere .

Hoc concessò (ut ab omnibus concedendum est) adconceptionem Beatæ **MARIÆ** deveniamus , & in primis ita dicemus . Nulla res irrationalis potest peccatum contrahere , omnis embrio est irrationalis , antequam intellectiva anima in ipsum infundatur , ergo nullus embrio priusquam anima intellectualis in eum infundatur , potest peccatum contrahere , embrio Beatæ **MARIÆ** prius conceptus fuit , quàm anima rationalis in eum infunderetur , igitur in illo ante nullum erat peccatum in embrione illo ; fuit sanctificatus embrio Dominæ nostræ ante infusionem animæ , ut per omnes conceditur , per quam sanctificationem non potuit amplius macula in eum ingredi , ergo derelinquitur Dominam nostram aliquam maculam contraxisse .

Nam pones legem , in primo gradu seu instanti embrio Dominæ nostræ est conceptus , in secundo utique gradu sanctificatus , & inter gradum conceptionis & sanctificationis nullus alius stetit gradus , tum oportebat in primo instanti esse , in secundo autem sanctificari , & quia inter primum instans & secundum nullum datur medium , primum fuit conceptio , & secundum sanctificatio , restat nullam ibi potuisse ingredi maculationem , quoniam in primo gradu seu in instanti conceptionis embrii , omnibus constat ratione & experientia nondum animam in embriorem infusam esse , embrio verò absque intellectiva anima nullam maculam peccati habet .

Insuper si embrio Dominæ nostræ maculatus esset , nullatenus in secundo gradu sanctificatus steterat , nisi in tertio vel quarto fortassis , & quòd ita sit probatur , quoniam de naturali ordine atque consuetudine nullum pravum seu maculatum tanquam bonum approbatur . Unde fit per prius esse à macula tergendum & in eo tunc approbato accedit sanctificatio , sic quidem benedictio est , & res bonæ benedicuntur , non autem pravæ , & ita in Genesi habetur : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat , quæ erant valde bona , & benedixit eis , & sic ubicunque Deus sanctificat seu benedicit , per prius ordinè vidit bonum esse illud , quòd sanctificat , & in signo secundo id benedicit .* Sub quo ordine tres gradus denotantur occurrere , veluti in exemplo

exemplo assumpto videri potest, quia in primo signo seu instanti Deus creavit, in secundo vidit cuncta quæ fecerat, quæ erant valde bona, & in tertio eâ benedixit.

Tum si cuncta, quæ Deus creaverat, mala fuerant, postquam in secundo gradu viderat, ipsa in tertio mundaverat eâ maliciâ, in quarto verò sanctificaverat; & pari modo in conceptione Domini nostræ agendum esset, ut naturalis & accidentalis ordo observetur, nam si cum Deus vidit embrionem Domini nostræ, ipsum maculatum esse cognovisset, in tertio gradu mundavisset ipsum à macula, in quarto verò sanctificavisset eò quòd bonum, nam sanctificare seu benedicere minimè aliquod imperfectum mundare dicit, ut nonnulli inconsideratè loquentes dixerunt, nisi id, quod bonum est, optimum agere, seu gratiam præbere, ut perfectum operetur ultra id, quod prius agere potuerat, & quòd sanctificatio mundationem alicujus maculæ non dicat, in pluribus auctoritatibus legis patet, veluti dicendo: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*: nomen Dei verò minimè tergendum, quia nullibi maculatum, sed quia Deus bonus est, benedicendum vel laudandum est nomen ejus, & ita quia conceptio embrionis Domini nostræ bona stetit, benedixit, seu sanctificavit ipsum Deus, ut perfectus fieret, sub qua perfectione ab omni macula aut potius obligatione simul cum infusione animæ ventura, ut in quocunque homine venire solet, observaretur.

De mundatione Domini nostræ à culpâ originali nullibi invenitur, & si maculata quandoque stetisset, necesse fuisset, ut legem perfectam habere ostendamus, quod alicubi lex ipsa faceret mentionem de mundatione Domini nostræ, non invenitur, & invenitur sanctificatio, aut secundo aut in tertio instanti prosequendo conceptionem. Compulsi sumus ad confitendû in Domina nostra aut in anima & corpore ejus nunquam stetisse maculam, quoniam si steterat, per prius erat mundanda, & deinceps sanctificanda, illud quod jam tertium invenitur; sanctificatio immediatè post conceptionem stetit, igitur ibi nulla potuit ingredi labefactatio, quoniam per prius oportebat embrionem conceptum esse, quam labefactaretur, dato quòd labefactari potuisset, quòd negatur, priusquam anima rationalis in eum infunderetur.

In sanctificatione autem plenam gratiam Domina nostra assumpsit, ut se observaret ab omni peccato. Unde palam à natura probatur, qualiter Domina nostra nullatenus maculam contrahere potuisset, uno tantum à lege concessio, quod ab omnibus conceditur, hoc est, quia

in ea die atque in instanti immediato, in quo fuit concepta, est sanctificata, nam si diceremus, quòd per aliquam morulam postquam anima rationalis Dominæ nostræ fuit infusa in embrione, Deus sanctificavit ipsam B. MARIAM, ibi stetit major disputatio atque dubium de exemptione Dominæ nostræ, causa, quia unusquisque nostrum in eo tunc, quò est homo, obligatur ad aliquid patiendum causa erroris primorum parentum.

Patiendi intelligas, quia à natura animæ nostræ causa perfectionis; post separationem à corporibus ad cælum ascendere deberent, ut in libro quarto latius patebit, non ascendunt nunc secundum legem, nisi prius ab originali culpa mundentur, & in hac parte inferiore sub cœlo manere aliquod est supplicium animarum, constat esse necessarium, quòd omnes homines per baptismum, aut per aliud Sacramentum ab ipsa culpa mundantur, postquam ingressa est, sed antequam ingrediatur, nulla oportet mundatio, nisi gratia observationis, ut macula non eveniat, nam medicinæ, quæ ante infirmitatem veniunt, non destruunt infirmitatem, sed defendunt, ut in infirmitates non incidamus, talis autem præparatio non vocatur propriè medicina, quum medicinæ tanquam relativè ad infirmitates videantur dici, sed dum bona assumimus per quæ ab infirmitatibus tutamur, talia bona aut cibi gratiæ conservatiæ potiùs quàm medicina nuncupari debent.

Et ita Domina nostra per gratiam sanctificationis ab omni macula seu obligatione observata est, non autem mundata. Tandem conceptionem & sanctificationem Beatæ MARIÆ in una & eadem die merito celebrare possimus, nam hoc & illud opus sanctum est, licet perfectius dicatur communiter loquendo sanctificatio, quàm conceptio; tamen quia Domina nostra ad finem, ut Mater Dei esset, generata est, etiam talis generatio omnino celebranda, & celebranda benedictio ipsius, & ita Deus die septima, quando cuncta, quæ fecerat, benedixit, tanquam in festo requievit, & nos quando aliquod bonum celebramus eam diem tanquam festum observamus ita quòd celebranda est conceptio Beatæ MARIÆ, & celebranda sanctificatio in una vel eadem die veluti stetit.

Sub quo ordine etiam in ea die, qua Domina nostra nata est, conceperat Filium Dei & suum, in ea die sola celebraremus nativitatem MARIÆ, & conceptionem filii, licet videretur principaliter esse celebrandam conceptionem filii.

De eodem.

ULterius de justitia originali, quidnam dicat, differendum est, quoniam circa dispositiones talis originalis justitiæ, multa obscura invenire solemus, tandem in principio communem sententiam hinc assequemur, quæ talis est.

Habetur, quòd de natura seu ab origine in statu innocentia tria dona erant nobis tributa. Primum quòd Deum in modo perfectò cognosceremus, atque omnes alias res. Secundum, quòd corpus perfectè animæ obediret. Tertium, quòd prava non appetere, quæ dona seu originalem justitiam per errorem primorum parentum perdidimus.

Unde videtur tantùm remansisse absque gratia veluti in puris naturalibus, ut in aliis solet dici, tamen non cum aliqua obligatione, sed quia hoc rectè stare nequit, nec habemus simile exemplum. Unde malefactores quando amittunt bonâ eis tributa, quòd etiam non sint in aliquo odio vel malevolentia cum illo, quòd eis bona prius dederat, & abstulit ipsa, sub quo Ordine asserendum est, nos non restituisse tantummodo absque gratia, immò etiam in loco gratiarum, quæ prius erant, tanquam inimici Dei facti sumus, quoniam prius amici, & postmodum non amici, non solùm enim non amici, immò inimici, quoniam nunquam contingit rationabiliter procedendo spoliare gentes, quæ amici nec inimici sunt, inimicos tantùm enim spoliamus; quamobrem asserendum est, quòd si nos tanquam inimici Dei facti non essemus, id est, in ira ejus non maneremus, nunquam nos ab originali justitia seu à gratiis prius illatis spoliavisset.

Nunc verò in his antepositis aspiciendo clarè concipi potest, qualiter quatuor magna dona in statu innocentia illata erant hominibus, Primum donum seu gratia amicitia cum Deo erat. Secunda, quòd Deum ipsam creatorem nostrum perfectè cognosceremus, atque alias res. Gratia tertia, quia membra nostra cum justo Ordine animam rationalem assequebantur. Quarta, quòd membra ipsa sive tota persona nostra parum ad prava opera declinabant, & dicimus parum eò quòd non simpliciter absque omni inordinato appetitu homo in prima innocentia fuit, nec quidem Angelus juxta creationem, quoniam locum ad merendum & demerendum homines & Angeli habuerunt, talis locus sic quidem dari non potest, si modo appetitum

atque aptitudinem ad bonum & malum operandum non habemus, & quod primi parentes nostri in statu innocentiae talem haberent possibilitatem in errore per eos commisso, probatum est, & pari modo de Angelis asserimus.

Licet quod in statu innocentiae omnes homines in communi capiendo multo magis amici Dei fuerant, quam nunc sumus, quamvis postquam baptizati sumus capiatur, licet in eo tunc ab omni peccato immunes reperiamur, tamen inter amicos Dei quidam propinquius quidam vero remotius, veluti inter alios amicos habetur, ut in amicis nostris comprobatur.

Et de consuetudine ubi major amicitia, major amor invenitur, & ubi potius amamus, majora dona offerimus. Et quum talis ordo naturalis sit, Deus benedictus quia potius homines in statu innocentiae amabat, quam nunc amat nos, posito quod baptizati sumus, minorem influit gratiam in nos ipsos ad sequendam originalem justitiam, hoc est, ad cognoscendum Deum cognitione perfecta ad sequendum membra animam, & ad fugiendum facilliter omnia scandala.

Et in his tribus donis nimium dimisit nos Deus in lege naturae de scriptura atque de gratia declinatos, ut patet, quoniam parum magis (si fortassis magis dicere volumus) sapientes sumus per innatam sapientiam baptizati quam non baptizati, nisi sapientiores in quantum veram legem assequimur, quod tanquam ad extra acquisitum.

In amicitia cum Deo enim nimium Religiosi & irreligiosi differimus, quam Religiosi amici Dei sumus, & si juxta praecipua ambulamus ad fruendam summam a gloria super ecelum ascensuri sumus.

Irreligiosi autem quamvis sectas suas hic vivendo adimpleant, numquam per simile opus animae eorum gloriam verè dictam fruuntur, quoniam amici Dei non sunt, & quia amicus cum amico simul verè hospitari potest, inimicus cum inimico verò non, tenendum est, quod tantum Religiosi simul cum Deo in gloria manere possunt, irreligiosi nequaquam, & quia Religiosi tale habent Privilegium, cuius principium est baptismus, necessè est confiteri in eo baptismum, non solum a culpa, aut potius obligatione ab errore primorum parentum orta mundari, sed etiam amici Dei fieri.

Nam a peccato mundari, & amici Dei non fieri parum hoc ad ascendendum in gloriam prodesset, quum unusquisque a natura amicos tantum hospitari vult, & quamvis praecipuum habeamus, dices quod
amicis

amicis & inimicis bonum faciamus, non ex hoc intelligitur, quod malignos ad societatem nostram attrahere debeamus ea malignitate stante, nisi bonum agendum est etiam perversis, ut vivant, & ad viam salutationis convertantur.

Sed ad propositum nostrum, dum à sacramento baptismi signamur, seu lavamur, amici Dei agimur, lento modo tamen ad id quod in statu primæ innocentie fueramus. Ut facile comprehendere potest sacram Scripturam assequendo, nam non solum in ea habetur, Deum omnipotentem hominem & mulierem absque peccato produxisse, etiam verò post creationem ipsos benedixisse, quæ benedictio tanquam sanctificatio se habet, quoniam hoc & illud gratiam impendit, & quia Adam & Eva immunes ab omni peccato producti, & postmodum à creatore suo benedicti, concedere oportet nimium amicos Dei esse.

Nos autem quamvis amici Dei assumpto baptismo, sub aliqua macula concepti atque nati sumus, & deinceps quamvis baptizemur, non sanctificamur, seu benedicimur à Creatore nostro ore proprio, ut Adam & Eva antequam peccarent benedicti fuerunt. Nihilominus cum omnibus his prerogativis eò quod simul cum libero arbitrio ad bonum & malum operandum tributis, peccaverunt.

In quo exemplo aspiciendo potest dici; homines post sanctificationem per seipsos movendo actualiter peccare possunt, ut de Sãpstone habetur; quia quamvis Christiani de Hieremia, de Domina nostra & de beato Ioanne Baptista habeamus sanctificatos in ventribus matrum esse, Iudæi quoque de Sampstone asserunt, fuisse in ventre matris sanctificatum, ut iuxta litteram in sacra Scriptura sonare videtur; tandem Sãpstone peccatum actuale quamquam commisit, licet in ventre Matris ab omni originali macula mundatus esset, atque amicus Dei factus, concedendum tamen quomodo cunque sit, quod post sanctificationem seu benedictionem facillimum est ab omni peccato actuali cavere, veluti Adam & Eva, quia benedicti & ab omni peccato immunes, paucis labore cavere potuerant, denique parvo appetitu vigente errore ceciderunt, & ita de aliis sanctificatis seu benedictis inferre possumus, videlicet quod dum hic vivunt aliquem adhuc habent locum ad peccandum, si volunt quoniam sanctificare hic vivendo non dicit ultimè in beatitudine confirmari, nisi habilissimum inter alias creaturas ad optimum operandum agere, tamen post sanctificationem per opera propria meliores fieri possunt, per ultimam confirmationem verò non,

& in statu in quo meliores fieri possumus, in virtute operum nostrorum etiam peiores nos agere possumus. Ieremias Beatus Ioannes & forsitan Beata MARIA indies in virtute operum suorum in merito ascendebant. Videtur posse dici: peccare actualiter potuissent, nisi à Deo omnipotente assidue conservarentur, ut de conservatione Beatae MARIAE penitus tenendum est, quoniam ipsa de principio ad ultimum vas electionis, in quo filius Dei humanam carnem assumpiturus erat, stetit taliter quòd semper Deus specialiter cum Matre sua fuit. Unde nullatenus post sanctificationem nec quidem ante, macula in Matre Dei cadere potest: non ante, quia embrio ipse nondum rationaliserat, atque in instanti immediato post conceptionem sanctificatus, non post sanctificationem seu benedictionem, quia ab ipsa sanctificatione continuatim Domina nostra observatur ut Filius Dei, tanquam natus à Matre quacunque immaculata ne deluderetur. Quamobrem oportebat, ut optima assuquerentur, quòd maiore benedictione Matrem suam benedixisset, dum eam sanctificavit, quàm dum Adam & Evam benedixit, ut in psalmo videri potest dicente. *Benedixit te Deus in aeternum*: de sola Beata MARIA loquendo, & id quòd in aeternum benedictum nullibi maledictum, peccatum autem continere maledictio est: tandem sanctificatio MARIAE Virginis ferme tanquam confirmatio in ultimato bono stetit, non dicamus in ea perfectione veluti & Filius, quoniam solus Christus non mereri non demereri per opera sua potuit, tandem quia Mater eius in secundo gradu perfectionis post filium ipsum stetit, parvulissimam possibilitatem peccandi habuit, parva possibilitas enim aberrandi eum parva gratia Dei continuata resisti potest, ut nunquam ad actum deducatur, eò magis quòd Beata MARIA maximam de primo ad ultimum habuit gratiam à Filio.

Quoniam manendo in ventre Matris in eo instanti conceptionis, aut in instanti ibi immediato per sanctificationem amica maxima Dei facta est non tantum in eo modo, quo Lucifer, Adam, & Eva ante lapsum steterunt, immò multo atque multò magis amica, veluti latè experientià comprobatum est, quoniam Lucifer, Adam & Eva actualiter in errores ceciderunt, Beata MARIA verò semper in optimis operibus conservata est.

Ubi argumentum maximum capimus, dum in experientia stare vellemus ad probandum Dominam nostram nullam maculam contraxisse. Nam si signum in nobis, quandoque maculatos stetisse, est, quia

quia omnes homines vniversaliter capiendo, ad malè operandum prompti sumus, & hodie vel cras de facto ad errores ipsos declinamus per operationes Beatæ MARIE necesse est è conuerso tenere, quoniam sæpe peccare, & nunquam peccare sanè opposita sunt. Unde diuersa ostendunt signa, ita quòd si peccare est signum alicujus maculæ in conceptione nostra siuè in infusione animæ in corpus, nunquam peccare signum erit nullum contraxisse peccatum in conceptione vel in infusione rationalis animæ in embrione Beatæ MARIE.

Et in hoc loco, veluti in alijs capitulis apparet, animaduertendum est, quòd si generatio assumitur pro eo instanti infusionis animæ in corpore, & corruptio per instans privationis vel declinationis formæ, quæ priùserat, ut de communi sententia Philosophorum habetur, nil ambigendum est de conceptione hominis capienda esse per infusionem animæ rationalis in corpore, quoniam generatio & conceptio per eundem terminum capitur, vel in eodem instanti actum perponentes Dominam nostram peccatum contraxisse. Conceditur generationes debere capi per infusionem animæ, igitur & conceptionem hominis, & si quis inter generationem & conceptionem insistere vult, aliquam distinctionem ponendo, concedat, ut concedere oportet à natura loquendo, quòd Domina nostra absque aliqua macula generata est, eò quòd per habentes oppositam opinionem aseritur generationes debere capi per infusionem animæ, nunc sic, per omnes sapientes tam irreligiosos quàm Religiosos, postquam semen hominis est in matrice mulieris, post quosdam dies infunditur anima, in semine ipso jam in figura embrionis organizato, habetur per omnes christianos disputantes de conceptione MARIE Virginis ipsam stetit sanctificatam in eo instanti, aut in instanti ibi immediato, quando Ioachim & Anna occurrerunt, tanquam propinqua instrumenta ad generandam filiam.

In qua Die conceptio & sanctificatio Beatæ MARIE celebratur, & in eo tunc animam rationalem minimè habebat, nequaquam abique anima maculari potuit, unde non tantum per rationem naturalem & auctoritatem, sanctificationem per omnes christianos Concessam, immò etiam per experientiam, quia nunquam Domina nostra actualiter peccavit, approbatur nullum contraxisse peccatum.

Ulterius, si quis forsitan opponeret animam infundi corpori eo instanti, quo sperma situatur in matrice mulieris, ultra sententias omnium Philosophorum asserentes, in embrionibus masculorum infundi

animas ad quadraginta dies, vel quadraginta & quinque, & in embryonibus feminarum ad sexaginta post coceptionem seminis, in experientia fundandum est, nam dato quòd non sit tempus omnino determinatum de quadraginta aut de sexaginta diebus, saltem in omnibus embryonibus concedere oportet animam sensitivam nequidem intellectivam ullatenus posse infundi in embryone, quousque ipse embrio est organizatus, quoniam sensitiva anima determinatis organis indiget ad oparandum. Et si anima sensitivâ in spermate poneretur, priusquam sperma ipsum in embryone organizaretur, frustrâ ibi anima sensitiva maneret. Et natura nil agit frustra, aut omnino ociosum & absque sensitivâ anima seu fantasia & aliis sensibus anima intellectiva nil in hominibus operari potest, ita quòd sine proposito in spermate infunderetur, quousque embrio organizatus sit, atque per vegetativam & sensitivam dispositus ad communicandum animam intellectivam, nam eùm perfectâ sit, imperfectis corporibus uniri noleret. Et quòd sperma non sentiat per aliquos dies quousque reducitur ad organizatum embryonem, in mulieribus & omnibus aliis sceminis sensualibus patet, quoniam dum aliquas sceminas gravidas de paucis diebus aperimus, illud sperma nil sentit. Unde fit quòd à natura loquendo nullus homo potest contrahere originalem maculam, sive debitum vel carentiam gratiæ per plures dies post conceptionem spermatis, materia, de qua corpus Beatæ *MARIÆ* est organizatum, fuit sanctificata in instanti post conceptionem, ut per omnes christianos conceditur, pariter concedendum est nullum potuisse contrahere debitum.

Uterius assequentes Aristotelicam doctrinam, ut Thomistæ faciunt, nequeunt inferre animam infundi in sperma in eo instanti, quo sperma in matrice mulieris collocatur, ut de mète Aristotelis videri potest, quoniam diffiniendo animam inquit, anima est actus primus corporis organici, sperma enim non est corpus organicum, quocirca penes hanc diffinitionem, negatur animam infundi in sperma, quousque in corpus organizatum sperma ipsum transit, organizatio expetit decursum temporis; Igitur anima non infunditur in corpore in eo instanti, quo homo & mulier dant operam generandi filios.

Demum dum de conceptione Beatæ *MARIÆ* agitur, ad hæc principia vel similia, ut in hoc capitulo posita sunt, occurrendum est, ne penitus tanquam insipientes decertare videamur, hoc enim inter assequentes doctrinam ignominiosum est.

Veluti dicendo, si Beata MARIA nullam contraxisset maculam, Christus minimè fuerat Redemptor universalis. Si Beata MARIA non habuerat peccatum, æqualis cum filio steterat, quod fuisset contra dignitatem Christi. Si Deus Beatam MARIAM tantum ab omni macula observavisset, magnam adduxisset injuriam aliis hominibus. Si Domina nostra nullam contraxisset maculam, injuriam fecisset ei Deus, permittendo ipsam mori.

Si Virgo MARIA nullam contraxerat labefactionem, sanctificata non esset, quæ verba ad Ephesios veniunt. Hæc & alia multa similia dicunt, quibus jam singulatim responsum est, quamvis omnia puerilia reputanda, & inter communes gentes merito disputanda, docti homines verò alia profundiora fundamenta capere deberent.

Quonam pacto probatur nullam rem seu naturam absolutam sive universalem dari præter istam & illam particularem, in quo peccatum aut gratia fundari posset. CAP. LXXXIX.

Cum à natura datum sit, ut facilius veritas cognoscatur, omnes viæ fugitivæ sunt destruendæ, nam qui obscure aut per abstractionem decurrunt, semper conclusiones dilatant, ita quòd de abstracta sive de communi humanitate diligenter videndum est, licet quòd de hac materia in quinto libro diffusè tractaturi sumus, etiam in hoc loco causâ necessitatis quasdam lineas ponemus, quibus patebit, quæ de causa nulla humanitas communis indivisa datur.

Licet communis in eò quòd unusquisque homo humanus, sive humanitatem continens, quoniam iste homo humanus, ille alius, & alius, & sic omnes. Et quia unusquisque humanus, cum omnes homines de eadem natura consideramus; naturam communem dicimus videlicet nulli homini negata, sed huic & illi & sic aliis communicata, & dum communicata dicimus, divisam intelligimus, & si divisam, non unica tantum, sed ad pluralitatem hominum plurificata; nam sola essentia divina indivisa suppositari potest, & quòd ita sit, ab omnibus Christianis, tam universalistis quàm particularistis conceditur.

Unde jam quidam Scotistæ dicunt nullum universale dari Realiter indivisum, nisi imaginarium, eò quòd plures particulares de una natura

tura sola sunt, videlicet non de diversis naturis, & tandem illa natura divisa in omnibus particularibus illius speciei, & tamen natura istius sive humanitas non est natura vel humanitas illius ab altera nisi altera distincta. Nequidem est inferendum, quid sit altera natura humana in nobis omnino indivisa, quoniam in eo tunc constarem de duabus naturis, altera earum distincta, & altera indistincta, quod non datur.

Ulterius, si aliqua humana natura indistincta in omnibus hominibus daretur, concedendum esset, totam humanam naturam frui gloria in cœlo, & totam cruciari in inferno, sequitur tota natura humana si indivisa datur, gaudere in gloria, & cruciari in inferis, quod à natura neque ratione stare potest, & hoc etiam concedunt universalistæ. Amplius, aliquod adducemus argumentum, quod in pluribus aliis locis diffusè facturi sumus ad probandum, quoniam pacto nullum universale reale per abstractionem assumptum datur, cum unumquodque abstractum simpliciter, cum isto illo & alio illius speciei convertit, nam hoc est verum dicendo, hoc est animal rationale mortale, illud animal rationale mortale aliud & aliud, nunc sic, nullum superius simpliciter cum suo inferiori converti potest, nequidem universale cum particulari, homo simpliciter convertitur cum isto & illo particulari, atque concreto; Igitur nullus universalis, nullus abstractus homo datur, cum homo simpliciter cum isto & illo convertitur, & universalis converti non potest, igitur non datur.

Et ut de homine exemplatum est, de humanitate communi & de aliis similibus universalibus intelligendum est. Nam hæc est vera humanitas istius hominis, est hæc particularis humanitas, & particularis humanitas illius & alterius; unde est impossibile aliquam humanitatem dari, quin cum ista & illa simpliciter convertatur, nulla humanitas universalis potest simpliciter converti cum ista & illa particularibus. Ergo si humanitas mea & humanitas tua sunt humanitates, nullum universale potest esse humanitas, humanitas mea & humanitas tua sunt proculdubio humanitates, oportet confiteri nullam humanitatem universalem indistinctam in natura dari.

Quoniam si natura humana nostra in omnibus hominibus omnino indistincta maneret, nullatenus plures homines essemus, nisi unus homo tantum, sumus plures homines, constat humanitatem nostram à pluralitate particularium divisam esse. Et in hoc modo argumentum Christiani assumimus, ad probandum in essentia divina non esse tres Deos, nisi unus tantum Deus, & quod natura divina ipsa indivisa in tribus

tribus personis suppositetur, nam si divideretur, veluti tres personas ponimus, necessariò tres dii essent concedendi, sed quia natura ipsa non dividitur, nullatenus tres dii esse possunt, licèt quòd unaquæque persona est Deus, eò quòd ad essentiam indivisam reducitur, sed nulla persona in quantum distincta ab aliis est Deus nisi identice, omnes tres simul Deus sunt, & unaquæque, quia essentia etiam Deus, sed non tres, eò quòd substantia divina indivisa.

Et si aliqua substantia vel natura divina remaneret, quæ in tribus personis non suppositaretur, illa esset Deus per se divisus à natura in tribus personis suppositata. Unde duo dii essent concedendi, unus per naturam suppositatam in tribus personis, & alter per naturam insuppositatam, sed hæc insuppositata tanquam superior vel abstracta se haberet, unde non ejusdem speciei vel naturæ cum suppositata, immò alterius.

In Deo datur una sola natura, & unaquæque persona divina est Deus; ergo simpliciter natura divina in tribus personis suppositatur, eò quòd unaquæque persona simpliciter cum Deo convertitur, quòd esse non posset cum aliqua natura insuppositata. Unde concedendum est, totam naturam divinam in tribus personis suppositari, & indistinctè, cum unaquæque ipsarum simpliciter converti.

Et in eo modo si humana natura nostra esset indivisa nos essemus plures res aequaliter assumptæ, sed non plures homines. Et si aliquam haberemus naturam super nos indivisam, illa esset homo per se atque distincta in specie à natura humana distincta atque in omnibus hominibus suppositata, unde animadvertendum est, quòd si talis natura indistincta est homo, nos homines non sumus, quoniam natura nostra in pluribus hominibus distincta est, & repugnat ei in nobis indistinctam manere, quoniam in eo tunc, unus homo, omnes homines essemus. Quamobrem in hoc distincta natura, in isto, in illo & aliis hominibus quiescendum est, non aut in aliqua alia natura humana universali, atque indistincta, quoniam talis natura nostra esse non potest.

Licèt quòd nonnulli Universalistæ, ut Burleus quandam absolutam naturam humanam indistinctam in omnibus hominibus imaginantur, unde inquirunt non posse dici hoc, homo est humanitas, sed, homo est humanitas, nam hæc locutio videlicet, homo est humanitas, particularitatem designat, & promendo, homo est species, quoddam indistinctum dicit.

Sed quo ad veritatem, ut rectius quid loquimur intelligatur, longius aliter disponendum est, quam isti gerunt, videlicet dicendo, homo est humanitas, aut hoc, homo est humanitas, cum nulla istatum viarum loquendi explicet intentionem auctoris vel ea quæ præsupponit.

Exempli gratiâ, ut verum esset dicendo hoc, homo est humanitas, siue natura humana, oporteret simpliciter quòd iste homo esset humanitas, sed cum unusquisque homo de anima, corpore & humanitate constet, non possumus ipsum tantum humanitatem denominare, sed potius humanatum, eò quòd actus humanos agere potest, & considerando quòd humanitas manet in anima & in corpore, veluti natura aut intrinseca proprietas in subiecto, potest dici, hoc homo, videlicet hoc subiectum est habens humanitatem, id est, naturam humanam suam.

Unde dicendo suam, rectè pronunciamus dicendo hoc: homo est humanitas, videlicet humanitas manens in hoc homine est particularis, & sic per hoc signum particularitatis eam ostendimus. Sed iuxta alteram opinionem dicentem absolutè, homo est humanitas siue humana natura, nullum signum particularitatis vel divisionis inter humanitatem istius & humanitatem illius designatur, nisi eadem natura in omnibus hominibus indistincta.

Quæ opinio nullo modo stare potest, quoniam illa talis natura non esset, natura nostra, cum nos à natura alter ab altero distincti sumus, unde plures homines & non unus solus, & si inferis, contingere plures homines esse pariter, nos proponemus totam naturam humanam contingenter, aut quomodo cunq; sit, divisam à pluralitate hominum esse, & vel extra accidens nullam naturam humanam per accidens universalem atque indistinctam in omnibus hominibus esse.

Tandem nonnulli de universali considerantes, inquirunt, duas humanitates in nobis esse distinctas saltem accidentaliter, quarum una constituit nos homines, & altera istum & illum hominè particulariter assumptum. Sed nos, ut superius sæpe asseruimus, quòd natura universalis seu indistincta nunquã cū particulari distincta convertitur essentialiter, nequidem accidentaliter; quoniam, ut in pluribus locis hujus voluminis patebit, nulla essentia siue existentia datur, neque aliqua essentia in qua omnis essentia tanquam indistincta sit, & sic quid inferius est, sic nec sic est in altero superiori, intelligas, in quantum hoc est inferius, & illud superius realiter assumendo, exempli gratiâ elementa
sunt

sunt superiora, in quantum elementa sunt hominibus, quia realiter in altera specie sive genere, & homines in quantum homines sumus, inferiores ab ipsis elementis omnino sumus, & tamen homines sumus de infusione animæ in corpore usque ad separationem, aut de generatione ad corruptionem, unde nullatenus dum materia nostra in elementis erat, homines eramus, sed materia elementorum tantum, & quia distinctè in quantum homines ab ipsis elementis, & nulla res datur, quæ essentiam propriam secundum speciem suam non habeat, sequitur essentiam hominum juxta speciem humanam assumptam esse distinctam realiter ab essentia elementorum, tanquam inferius à superiori, licet quòd imaginariè seu in modo prædicationis assumendo, ut animal & hoc animal, homo vel equus converti possunt, aut quicquid convenit uni, per se & alteri, sed talia superiora ut animal, in imaginatione aut termino tantum dantur, & nos de rebus extra animam existentibus loquimur.

Et animadvertendum est, quòd quædam universalia sequentes, dum ad similia deveniunt, in essentia & personis divinis saepe exemplari volunt, sed magni interest inter modum constituendi personas divinas, & constitutiones creaturarum. Nam cum Deus simplicissimus simplex actus purus sit, nullatenus essentialiter dividi potest, sed juxta intrinsecas operationes, tres personæ constituuntur, aut quòd dicamus Patrem per paternitatem seu per potentiam productivam activam, & Filium per filiationem seu potentiam producibilem passivam, & Spiritum, per mutuam spirationem Patris & Filii. Sed cavendum est, ne dicamus, Pater est hic Deus per Deitatem divinam, & Deus per absolutam Deitatem, nam in eo tunc quatuor Dei essent ut hic Deus Pater, hic Deus Filius, & hic Deus Spiritus Sanctus, & alter Deus absolutus per absolutam Deitatem: unde in quacunque persona erit Deus absolutus suppositatus atque indivisus, in tribus personis & in particulari, hic Deus Pater, hic Deus Filius, hic Deus Spiritus Sanctus, Dii distincti ab ipso universali Deo, quod absolum est in natura & lege talia inferre, & tamen sequitur Juxta exemplum ponentium Duas humanitates distinctas in hominibus, alteram earum indistinctam, per quam homines sumus, & alteram distinctam humanitatem seu particularizatam, per quam iste homo & ille homo constituuntur, asserendo quòd etiam in divinis, aliud universale, & aliud particulare datur, sed quomodo hoc sit, intelligendum est, nam in Deo divinitas, & hæc divinitas essentia, & hæc essentia Deus, & hic Deus,

idem simpliciter sunt, unde non plures Dii, non plures essentia, sed unus Deus, una essentia tantum.

Homines verò quia natura humana nostra pœnitus divisa ad distinctionem istius & illius hominis, plures homines sumus, non enim unus solus tantum. Nam non valet inferre in una sola natura divina sunt tres personæ distinctæ, ergo in una indistincta humanitate possunt esse plures distinctæ personæ, & quòd non valeat probatur, nam non tantum unusquisq; nostrum est persona ab aliis distincta, & filius illius & forsitan Pater alterius, sed etià unusquisque est homoper se ab omnibus aliis hominibus distinctus, & distingui non possent, si essentia nostra non distingueretur, & opponendo quòd accidentaliter tantum alter ab altero distinguimur; petimus, quòd accidens est hoc, per quòd distincti sumus, album, nigrum, frigidum, aut calidum, quale vel quantum? ut nonnulli de divisione primæ materiæ dicunt, sed quoad veritatem nullum accidens potest esse principium divisionis, nec quidem alterius operationis nisi substantiæ, ut in libro quarto patebit.

Insuper posito quòd accidentaliter, per quantum dividamur, ut de divisione primæ materiæ exemplatur, eadem est ratio, quòd per accidens dividamur, aut per substantiam, cum sic vel sic, ego essentialiter sum homo distinctus à te, & tu distinctus à me. Unde si aliqua datur natura indistincta in nobis non est de specie nostra, nequidem ad similitudinem de essentia & personis divinis, posita, ut explicatum est.

Quoniam in Deo sive in personis divinis nulla essentia sive divinitas abstracta tanquam universalis datur, nisi hæc divinitas sive substantia Patris, hæc substantia Filii, hæc substantia Spiritus sancti, non tres substantiæ, sed una sola substantia, tanquam concreta, indivisa, in tribus personis suppositata, tota in Patre, tota in filio, tota in Spiritu Sancto non tres totalitates, nisi una tantum tota, non ita tota in Patre, quòd non sit in Filio, & in Spiritu Sancto, nam in omnibus tribus personis æqualiter tota indivisa, tota in actu, tota hæc essentia, tota hic Deus.

Sub quibus proprietatibus nullatenus universalia abstracta, indivisa & supposita in hominibus, nec quidem in aliis animalibus dari potest, cum dicatur de universalibus loquendo, homo, humanitas anima, non hic homo, non hæc humanitas, nequidem hæc anima, sed per absolutam denominationem loquuntur asserendo universalia abstracta non esse in actu, & quicquid in Deo purus actus est.

Quamvis imaginantes universalia quinque in divinis exemplari soleant

seant afferendo ad propositum suum esse, & tamen in quocunque homine videlicet in isto & in illo, duos homines dicunt, esse alterum eorum universalem ab humanitate universali causatum, alterum vero particularem causatum à particulari humanitate, & non tantum universalem naturam humanam indivisam in omnibus hominibus considerant, sed etià universale corpus, per quod unusquisque nostrum, homo animal est, & animal particulare, quia hoc animal sub qua imaginatione etià est ponenda anima universalis intellectiva, seu rationalis in omnibus hominibus, per quam unusquisque nostrum animal rationale est, & altera particularis in quocunque homine ad causandum hoc animal rationale. Sed omnia hæc inconvertibilia sunt, videlicet universalis cum particularibus, ita quod ejusdem naturæ esse nequeunt, unde fit, quia, cum nos particulariter homines sumus, universalis natura indivisa non est homo, nam omnis homo cum isto vel illo particulari atque concreto simpliciter convertitur; abstractum universale & indivisum non potest nobiscum converti, proculdubio constat de specie nostra non esse, & inferendo quod aliqua forma elementorum vel cælorum est in nobis tanquam universalis, quæ de essentia nostra simpliciter non est. Respondetur quod talis forma erit concreta atque in actu operans, & insuper talis forma non est homo particularis nec quidem universalis, quamobrem concedere oportet universalis abstracta ut humanitatem, hominem, corpus, animal in terminis per formas definiendi plura particularia assumi non autem in re extra imaginationem aut terminum.

Et sic intentio nostra semper de homine isto & illo & sic de omnibus aliis est tractare, non autem de abstracto aliquo quin iste vel ille concretus sit, & cū concedatur homines particulares à particularibus humanitatibus animabus & corporibus causari, atq; in eis fundari, sufficit vobis; nam id quod in abstracto est, & sine existentia minimè de natura nostra, & cum à quibusdam dicitur, quod Petrus & Ioannes particulariter assumpti à petreitate & Ioanneitate particularizantur, sive ultimè alter ab altero dividuntur, quæ opinio stare nequit, quoniam nomina ad beneplacitum posita sunt, & ad extra: unde possumus remove petreitatem à Petro, denominando ipsum Andream, at ea quæ intrinseca sunt, ut humanitatem in homine à nullo humano removeri potest, dum vivit, unde nullatenus Ioannes est homo particularis per Ioanneitatem, nisi per humanitatem particularem seu animam rationalem, & corpus humanum ei propria & omnibus aliis rebus aliena.

ad Nunc verò probatur, qualiter nulla datur universalis humanitas, pater falsitas ponentium peccatum originale in natura humana abstracta, per quam maculatam naturam, omnes maculati generamur, & cum hoc non datur, ut probatum est, concedere oportet, quòd unusquisque in particulari contrahit debitum, aut potius carentiam gratiæ originalis post punctum generationis, videlicet eo instanti, quo rationalis anima in corpore humano infunditur, in quo tempore iam embrio Beatæ Mariæ erat sanctificatus, ut per omnes Christianos conceditur. Unde valde difficile est sustentatu, quòd Domina nostra labem contraxisset, seu carentiam originalis gratiæ, quoniam nullatenus dum homines non sumus peccare possumus, nam veluti post mortem habilitatem ad peccandum non habemus, cum homines amplius non sumus, nequaquam ante infusionem animæ rationalis in embrione maculam contrahere possumus; eò magis, quòd in Adam & Eva exemplum habemus, cum de animabus & corporibus constabant, dum peccaverunt.





TRACTATUS II.

S I V E

OPUSCULUM ALTERUM

ejusdem Petri Montis Philosophi, de Immaculata Virginis Conceptione, quod extat impressum in 4. Et etiam in libro ejusdem Petri Montis in folio, cujus Titulus est, De dignoscendis hominibus, impresso Mediolani anno 1492. apud Antonium Zarotum Parmensem, & per Magistrum G. Ayora Cordubensem latinitate donatum.

PETRI MONTIS

Philosophi, ad Serenissimam, Illustrissimamq; Elisabeth Hispaniarum Reginam benemeritam in opusculum de Conceptione Virginis præfatio; interprete G. Ayora Cordubensi.



Consideranti mihi quantum amoris, favorisque tua Regia Majestas Christianæ Religionis semper obtulerit, hanc ob tuam devotionem, recordationem tibi mittere censui, quam attamen excellentiæ, perspicacitatiq; tuæ necessariam esse, nequaquam arbitratus sum. Verùm quia medium Christianis iis imponere

imponere noscas, eosque ad concordiam reducere scias, qui non pauci supra Virgineæ Conceptionis modum diversa sentientes disceptare assuescunt, quamquam disputatio hæc magis inter Religiosos pererret, qui Majorum volumina continnè dirvolvunt; sed tanta seditione, invidia, atque malevolentia hac in parte jam premuntur; ut quamvis verum inveniant, vel id cognoscere nesciant, vel fateri nolint. Quam equidem ob causam, quum de hac re sermonem ab invicem incipiunt, brevi momento ratione Neglecta, injuriis atque nefandis conviciis eo modo decertant, ut questio hæc ab his determinari perdifficile (quum sit) appareat. Quamobrem ad liberas personas eandem derelinquere decet. Quæ equidem libertas simul cum potestate maxima tantum in Majestate tua continnè splendet, quæ cum alijs etiam longè majores, vigorosioresque dissentiones sanasti, huic facile mederi poteris. Quamquam ad hujuscemodi rei indicium exhibendum, causamque explorandam, sufficientiam meâ longè majorem necessariam esse, palam est. At verò tum tua voluntas, tum mos, quibus cunctos benignè audire assuevisti, animi robore firmatum reddiderunt, ut in hac facultate scribere auderem, quamvis multam orationem minimè diffundam, dum quanta cum facilitate rem ipsam intelliges explicem; tum, quia id haud necessarium est; tum quia dum illud efficio, ne de illis esse videar, qui vel vivis vel scriptis verbis Principes adulterinis laudibus extollunt; quorum fallacia verba veri scriptoris fidem persæpe extenuant; qua propter nihil aliud de te exponam, quàm verum earum portiunculam aliquam, quæ in te clarè ab omnibus experiuntur, meque hæsitare cogunt. Quam etenim ad partem declinem, haud probè dignosco, quum facilitatem illam altera in parte animadverto, quæ te nimium arduas causas desiderare, atque explicare vidi. Qui quum alteram considero, illud, quod omnibus videtur in promptu, nobis occurrit. Existimant enim cuncti non parum ascendere, qui sub tuo moderamine reguntur. Quam equidem ad rem nonnullorum animalium, quibus

quibus in venatione uti solemus, exemplum afferam, quorum nonnulla tanta pernicitate praestant, ut feras adiungant, quas attam en virium inopia retinere nequeunt. Ast alia robore excedunt, sed aprum detinere colligareque oportet, ut eundem apprehendere queant, quem illi mihi cum impetu lacerant. At huiusmodi canes haud multo in pretio habentur; sed hi, qui animalia capiunt, conservantque. Neque multum dissimilis excessus, defectusve Duces atque Imperatores, qui vel vincere nequeunt, vel quam regionem aliquam debellant, eandem aut longa obsidione, aut summa immanitate tantopere vastare assuescunt, ut per plures annos utilitatis ab ea nihil capi possit. Nam per temperiem, qua tua Majestas uti assuevit, omnium sententia constat, tantum animi Vigorem a Deo tibi concessum esse, ut corporis robore demonstrato, neque multum defatigato, extenuatoque, eos qui tibi adversi ostendebantur, sub tua dictione ducas, qui cum suis erroribus te facile ignoscere, promissaque observare vident, neque injuriari, neque submitti, sed de labore, atque anxietate, quibus premebantur liberari, ac redimi, & ad quietem transferri existimant, quam externis itaque tue celsitudinis amicitia tantum juvare aperte cernatur, paene impossibile esset a te mihi corrigi non suave videri. Et cum in hoc compendiolo de Virginis Conceptione acturi simus, plures tum a natura, tum a casu res exortas pertangere oportebit, ut verum a falso rectius dividi queat. Vale.

PETRI MONTIS PHILOSOPHI.

Supra Virginis Conceptionem Opus- culum à G. Ayora Cordubensi in Latinum versum.

Cum nimium per orbem mortales crimen originis conquerantur, eorumque lamentatio per omnes fere partes vulgata sit, à necessitudine ipsius causam inquirere multi impelluntur. At verò cum res hæc discutienda, tractandaque sit, illud in primis investigare convenienter apparet, An hujusmodi noxa, vel innata, vel cum corporibus à natura sanata sit: An nos per inobedientiam manu nostra in errorem devenimus. Qui quidem casus magnum arcana possidere cum experimento ostendit; ob quam quidem conditionem ad eundem probè exponendum majores meis viribus necessarias cognosco: quamquam si id de quo agemus silentio præterirem mœstitiâ certè afficerer; qui cum reticere nolim, temeritatis nomen apud aliquos fortè comparabo. Maxime cum quo hæc à nonnullis præstantibus viris & tractata, & disputata sit; at quamvis nos extra eorum numerum simus, portiunculam aliquam plano modo dicere statuimus, De iis multis quæ tum per naturam, cum per consuetudinem ostenduntur.

Dum primæ institutionis nostræ libertatem, mundiciemque comprobamus, hoc in loco detineri minimè speramus: cum aliunde id ipsum convenientius suppetat. Quamvis quonam modo peccatum istud intendamus, determinandum est. Nonnulli enim illud divinorum munerum primo homini largitorum carètiâ esse arbitrantur. At nos hujusmodi quod ipsi dicunt infortunium, expoliationem appellaremus. Nam quamvis togam ætatis tempore cuiquam detrahas, eundem ob id frigore opprimi nequaquam intelligi licet, Si illum ipsum, vel in humore, vel in alia intemperata parte manere non coëgeris. Pro primæ quidem vestis privatione, is in medio quodam derelinquitur, Neque aliter de crimine originis dicimus. Nam uti Deus per præcepti sui

sui observantiã magnas prerogativas promiserat, non aliter per oppositum adversa minatus est. Non etenim munerum illorum tantum spoliati mansimus: sed & Dei maledictio nos coëret; aliter enim locum modumve adhuc possideremus: quo boni malique extremitatem hanc nequaquam sentiremus. Quamobrem illud sateri necesse est; nos pœnæ obnoxios mansisse, vel exilij, si dicere mavis, ultra nuditatem illam, quam paulò altius retulimus. At verò cum hujuscemodi afflictionem justitiæ privationemve dicemus, haud rectè loquemur; homicidam quippe multari debere per justitiam habemus: quamquam in scelere perpetrando justum illæsum minimè deseruit, justè attamen plectitur.

Nunc autem de prerogativis hominis priusquam is peccasset conditionibusvè videndum est: ut an anima supra corpus imperium patinitus possideret, an de paritate aliqua in parte certarent, cognoscamus. Jam humanum genus liberum creatum fuisse certè habemus, quæ equidem libertas cum repugnari vetetur: eandem tùm ad rectam tùm ad obliquam partem æque pendere, & inter bonum malumque pari modo librari necesse est. Quamquam spiritus bonorum operum præmio sanctificatione roborari sperabat: ut corpori absolutè imperaret; idque omninò regeret. Verùm postquam ab eo medio, quod possidebant lapsi sunt, sensus suprâ animam regnare; quamvis in illo priori statu anima tanquam à corpore disjuncta, neque à membris oppressa, impeditave suis potentiis utebatur. Artus etiam ipsi majori subtilitate exquisitusvè; ut melius loquar, suo munereungebantur. Neque ad istius rei probationem alio argumento indigemus præter ipsam experientiam: qua Eva in edendo fructu usa est. Quæ cum solum à serpente incitaretur, & quia arboris pulchritudo appetitui placuit, ad fructum comedendum facilè declinavit. Quamquam divinæ sanctionis meminisset: cujus rei indicio certo sua verba sunt, quibus serpenti respondisse testatur: *Deus jussit nobis ne de hac arbore ederemus, ne fortè moriamur.*

At cum quispiam hominis perfectionem ultra naturam tributam diceret, non aliter de cæteris animantibus intelligendum est; ubi elementa siquidem, & lationes cælestes concurrunt ea, quæ ex eorum concursu solum oriuntur animalia, parvo quidem pretio prodeunt. Bonitatem siquidem, atque magnitudinem, quam alia super aliam speciem sortitur, simul cum conditione sua à summo omnium Creatore cœpit; neque secus de homine intelligimus.

Verum cum gratiam post hominis plasmationem largiri debere necessario velint, id falsum esse notum est; cum ipsa à nullis temporis partibus, presentis scilicet, præterito, atque futuro, nequè indigeat, neque astringatur, neque discursus aliqua longitudine, brevitudine, vè egeat, imò & in Principibus sæpè videmus subditis pro liberis nati-
cituris gratiam largiri. Quandoque etiam & nepotes & filios ob paren-
tum merita, quamvis tunc defunctionem muneribus condonari, alios
etiam pro locis, in quibus omnes vectigalia solvunt, liberos agunt.
Quæ res à vero Domino nostro pluribus in partibus, tum novi tum
veteris testamenti prodita est: ubi, & servis suis, & eorum venturæ
soboli opes atque imperia pollicebatur. At cum Deus: faciamus
hominem, qui cunctis præsit animantibus, dixisset: eundem profe-
ctum eodem privilegio confirmavit, quo etiam in modo cum ip-
sum in terrestri Paradiso constituit, de reliquis illis fructibus uti,
vescique iussit, præter multisciam arborem; quam boni & mali sci-
entiæ apud plures dictam invenimus. Cujus fructum itidem, quam-
vis in die ederent: eos morte mori sancivit, qua equidemmet ipsa
maledictione illos post peccatum prosequutus est.

At cum, *morte moriemini*, dicitur, illud videndum est: An corporis inte-
ritum, an animi mortem, an utriusque intelligi liceat. Quo equidem in
loco de corpore prius differere mihi videtur, quæ nil aliud profectò
est, quàm corporis & animæ separatio. Nam si juxta naturam loquimur,
cunctorum animantium corpora ad solutionem, separationem vè unam
devenire, quam mortem appellamus, necessario coguntur. Materies si-
quidè ex qua eadem coacervantur, formantur vè: ut cum auctore dicam,
in propria natura corruptibilis est secundum quam sine alia potentia
ipsam aliquo in loco constitui, ubi incorruptibilis reddatur impossibile
est. Et quantum ad ipsa corpora hominibus singulis in agritudines, do-
lores & ad putredinem denique inibere convenit, neque in istarum
partium aliqua peccatum est, quas natura necessario modo conducit.
At nos per præcepti inobservantiam cursuum beneficio uti cætera
animalia relictî sumus; quamvis & ad prospera concipienda & ad ar-
cenda adversa majorem habilitatem possideamus. Nam quamvis primæ
innocentiæ hominibus largita gratia nos ab hujuscemodi afflictioni-
bus expeditos reddere debuerat, neque talem propterea adepti esse-
mus conditionem, ut cælum scandere vita manente potuissemus: cum
iisdem afflictibus quibus hâc vitam degimus: quos quoque mundus iste ap-
petere cernitur. Ad id enim peragendum simplici quadam separatione

opus erat: quæ vitalem vigorem amittere appetebat, vel vires eas quæ hujusmodi materiam consequuntur sibi conjunctæ esse solent. Jam quippe, non suo proprio robore ascendere debebant: sed per novum animabus à Deo submissum munus; vel Angelis, ut eadem coadjuvarent, animæ siquidem ratione præditæ atque Angeli omnes ex natura sua aliquod corpus, quamvis minimum id esset, agitare, dimovere, & multo minus gestare nequeunt, quæ res à nobis aliunde satis probata est: & ad devehendum corpus quoddam hujusmodi spiritus ipsum extra suos sensus alteratum raptumque, ne alienatum esse dicam, debet. Quos equidem affectus sancti aliqui viri, dum è terris raperentur, sublevanturque ostenderunt. Neque aliter de separatione, quam diximus intelligendum est, quamvis homo minimè peccasset. Discessum siquidem suum per aliquot ante dies præscisset caroque dissolvi, & vires derelinquere cœpisset: ut animæ rectius cederet, & in tempore discessionis à visu evanescere, & invisibiliter transportari debuerant; neque discessus noster, iterque versus cælum omnibus pateret, veluti terrestris via, quamquam corpora ad corruptionem, putrefactionemque minimè pervenissent. hujusmodi quippè detrimentum homini, ut labores cæteri, crevit. At quamvis nimia felicitas tunc esset, priusquam primi parentes peccassent, propterea ab omni contradictione nequaquam vacabant, quando tantopere in ipsis ostendi potuit.

Cum jam de corporis interitu dixerimus: ad eam quam secundam statuimus mortem deveniendum est, quam pro obcuritate, in qua anima obligata incedere debebat, capimus. Tunc etenim, quamvis luminosam rem mori dicimus, cum eidem lucem subtrahimus, eamque opacam derelinquimus. At quamvis animæ apud inferos non relegentur, dummodo ad veram gloriam devenire vetentur, semper in obscuritate dicentur; cum illis & quies, & splendor, quos per naturam appetunt, desint.

Peccatum autem originale ob minorem errorem, & prope ad remissionem vicinius nominamus; illud autem, quod asperius est, mortale dicimus, quia longior illi pœna debetur, remotiusque à remedio distat: quodvis atamen peccatum veniale, si pœnitentiam demeritis, potest appellari lethale, cum animum in tenebris detinere possit; neque animam equidem interire, quantam ad sui corruptionem, substantiamvè deserendam intelligimus, quamquam ad internum locum eat: illic autem, aut aliter sine carebit, quam cum in purgato-

ria parte, vel in caelesti mansione durabit. Verùm vitam pro claritudine beatitudineque, & mortem per cruciatus & opacitatem dicimus, vel cum plenam quietem fortiri prohibemur. At quamquam in primo parente lethalis error fuerit, cum tamdiu viveret, poenitentiam egit: unde ad limbum à Theologis dictum ire commeruit. Sed in nobis originalis culpa non tanti oneris est, quamobrem non nisi ad limbum nos obligare potest.

At si originis peccatum per Baptismum abluiamus; cur corpoream necem arcere nequimus? cū jam crimine illo expurgati simus, & Christus corporea morte interiit, qui homo absque aliqua noxa extitit, & tenet Ecclesia ipsum, ut nos à morte redimeret, mortuum fuisse, & ut mortalibus vitam daret. Unde illud sanè concludimus, *morte moriemini*, pro animæ obligatione, non autem pro corporis examinatione, expirationeque intelligi, à qua minime liberamur. Nam Christus naturali modo generatus, atque natus fuit; id attamen juxtà naturam propriam suam intelligimus uti in Matris virginitate tractabimus mundum quoque introiit is, atque exitum, uti singuli nostrum, expectavit.

At priori amissa gratia, quieteque in principio nostrorum laborum Adæ dixerat Deus. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, & pulvis es, & in pulverem reverteris*, hujuscemodi tamen corruptionem ne maledictionem dicam, non mortem appellamus; sed membrorum dissolutionem dicimus. Quæ equidem ambæ partes ad corporis laborem & ad animi expurgationem, ne salvationem dixerim, spectare videntur, quòd cum aliter sese haberet: Deus non utique ipse faciebat, nec nos ad necē nosmetipsos offerre jusserrat, neque sobriè vivere imperaverat, neque sancti atque Prophetæ, qui illum secuti sunt, tanta cum asperitate corpus coercuerant, hi enim non solum, fatigationem, quam omnibus à natura communem invenimus, æquo animo sustinebant, verùm ipsi sponte majorem aliam capescebant, ob idque illud agere distabant, ut animas alleviarent, easque de Creatore benemeritas redderent. Adæ equidem, atque Evæ medium quoddam datum erat, quo gloriam mereri potuissent, quòd illud scilicet esse dicimus, appetitum ab arboris vitæ degustatione continere, ob id ipsum etiam condemnati sunt, quoniam corporeos sensus reficere neglexerunt. Qua quidem amissa via, aliam nobis ostendi conveniens fuit, quam legis præcepta esse intelligimus, quæ omnia penè siquidem ad corporis vexationem intendunt, veluti in primis parentibus fuisse docuimus. Christus enim Apostolis agebat: *Si manus*

das vos oderit, prius me odio habuit, neque id, vel quia is non sanctus esset, vel quia aliquantulam maculam haberet, verum quia sancte, & contra sensuum oblectamentum vivebat.

Cum de primo statu satis haecenus dictum sit, reliquum est, ut videamus, quonam pacto legis nostrae initium capere iussi sumus, in qua illa pars prior necessaria occurrit, quae egritudinem abstergit, vel exilium, si dicere mavis, tunc attamen Baptisma remissio, vel redeundi ad Patriam facultas dicendum erit. Et eodem puncto id genus homines habitantur, ut gratiam recipere possint; Nam cum Sacramenti istius munus suscipimus, neque in vestibus, neque in mundanis divitiis involvimur, sed aqua ablui mur, ut nos maculam habere, vel partem aliquam naturae nostrae alienam possidere, argumento sit. At quamquam Baptismatis aliis modis uti Nonnullae gentes assuecant singulae ejus species corpus aliquali cruciatu afficiunt, verum postquam per hujusce Sacramentum ad bonorum operum vel praemium, vel beneficium sumendum aptamur, Catholicae fidei firmiter assere, necesse est, indeque caetera imperia observare. Et quavis mortalium quispiam peccatum non haberet, eundem Baptizare necessum est, cum hoc Christianitatis sit ostium, & uti aliqua praecepta nos agere volunt, alia mortales sub freno coercent; Deum etenim supra omnia colere, proximumque ut temetipsum diligere, parentum quoque veneratio, executionem petunt, alia attamen quae disparem qualitatem possident sunt, veluti, non occides, non concupisces rem proximi tui, & aliena minime usurpabis, & sic de reliquis, verum ad Beatitudinem consequendam istis omnibus quoad fieri possit uti oportet, quamvis in malam partem usum hunc laborem illum appellamus, quo corpus dum sensus cohibemus affligitur.

Haud aliter de primi innocentia, institutione ve dicimus, quamvis illis neque Deum, neque proximum amare imperatum esset, anima siquidem in suis potentis utendis tanta libertate praestabat, quae sine aliquo alio Duce haec dico praecepta observanda & esse, & fore ex se ipsa cognoscebat, illud verum eis commissum fuit cunctis viventibus animantibus praesse, & crescere, & multiplicari, & ut vir uxorem pro comite sibi aqua duceret, quod quidem privilegium ex maledictione, quia noxae initium fuit, amisit. Quibus quidem partibus uti, easque suo modo exercere in prima lege poterant, sed alio praecepto sensus illis frenare imperatum erat, unde utramque partem observare oportebat, a personis attamen, & voluptate in primis abstinere conveniebat.

Et ut lex hæc expiravit, quantum ad nos in ipsa salvari posse, Dominus illam Moyſi in subsidium miſit, multò cum uberiori præceptorum copia, neque in hac priorem non fuiſſe bonam ulquam legitur, imò verò eandem pro viribus obſervare jubebat, quoniam pacto nos Chriſtiani etiam illam priorem Adæ datam legem tenemus, & ſcriptam, vel Moſaycam, quæ magnam præceptorum catervam continebat, quæ non omnia ad Religionem noſtram traſſata ſunt, verùm præcipua, atque utiliora. Illa tamen omnia bona fuiſſe approbamus, priuſquam gratioſa ob largientis liberalitatem dicta cum majori perfectione veniret, ſed in iſtarum quacumque homines tùm ſanctiones, tum voluntatem Domini obſervantes ſalvari potuiſſe manifeſtum eſt, quamvis poſt peccatum gloriam operiri oportebat, donec Chriſtus eandem aperiret. At quamquam Religio noſtra maxima cum aſperitate ſervetur, celerrimam cum cadimus medelam invenimus, quæ quidem prærogativa à prima inſtitutione longè aberat.

Longius quàm exiſtimabam in eis comprobandis principiis diffuſum, ea attamen ſequenti materiæ valida fundamenta erunt. Quam ob rem ipſam facile pertractare poterimus, cum ſingulorum locorum vigorem jam cognoſcamus, quam quoque medelam appetant noverimus, priuſquam aliquid de maledictionibus illis pro peccato impoſitis dicamus. An hæc omnes homines de neceſſitate apprehendant, videndum eſt, qua in parte nonnullos ſingulares excludi apertè oſtendemus. Cum, *in ſudore vultus tui Veſceris pane tuo*, dicitur, quot ex aliorum laboribus paſci videmus? *Pulvis es*, & *in pulverem reverteris*, ſancti illi, quos Eccleſia Antichriſto contradicturos ſperat, tenetque, qui cum enecati fuerint ſuſcitabuntur, ut cælum petant, eorum corpora minime putreſcent. Mulieres ſubditas eſſe viris, ex maledictione provenire debuit, nonnullas tamen maritis imperare, percutereque ipſos interdum videmus. *In Doloſe paries*, non omnes propterea mulieres filios procreare intelligendum eſt, & *Beata Virgo ſine Doloſe peperit*, & eodem modo in ſua conceptione præſervata eſt, quæ quidem via gradatim explanabitur.

Jam ſine ullo dubio conſtat mortales gratiam amiſſiſſe; permanſiſſeque in tenebris ob divinæ ſanctionis contemptum tranſgreſſionemque; cum eodem denique modo culpa ingreſſa ſit, quis negare audebit de aliquo qui præceptum obſervaret, eundem exemptum, & ſine peccato eſſe? aliter enim rationis ordo offenderetur, noſque injuriâ attereremur, cum major nobis ob mala pœna, quàm propter bona gloria

gloria condonaretur. Quæ equidem repugnantia in creaturis odio digna, & immanis est: unde à Deo simili asperitate uti nequaquam credi par est. Per quòd quidem iter ad Virginis Conceptionem devenimus, quæ absque aliqua obligatione evenisse ostenditur, cum Angelus Joachim & Annæ ad Virginis generationem conjungi imperaret, eis benedictionis filiam promittens, & uti miraculum hoc, tum divino jussu, tum Dei voluntate extitit, peccatum ibidem interponi minimè poterat, causa enim omnis prorsus aberat, tum quia id speciei contrarium est, aliter autem & boni senes, & gloriosissima filia secum à Domino justè conquererentur, si suo obedienter præcepto servato demum in Virgine macula ingrederetur.

Ab ineunte ætate legationem per Angelum Joachim & Annæ habitam ad eò divulgatam patentemque vidi, ut nullum mihi accideret dubium, quin ipsa maximè cum auctoritate teneretur, & ab omnibus confirmata Doctoribus esset. Verùm postquam super hanc partem scribere decrevi, illud conveniens vitam fuit hujuscemodi materiæ originem petere. Qui quamvis non eademmet Hieronymi verba adducam, sensum tamen sequar. Is enim rei istius fidelis interpret, ut viam abstergat, causas pro utraque parte adducit, quamvis historiæ istius exemplar à S. Mattheo scriptum non neget, verùm cum is libellum secreto reliquerit, neque ipsum Evangelii conjunxit, Beato Hieronymo videtur id ab Apostolo non ut omnibus manifestaretur editum; ne quicquid in ipso contineretur clarè perciperetur, quibus objectionibus respondeo. Convenientius esse Evangelistæ scripta liquida tenere, quàm ob ipsorum non rectam terminationem confundi & in opacitate manere. Quæ res scriptoris voluntate haud sic mansisse facile ostenditur. Nam veluti mali interpretes libellum ipsum habere potuerunt: illud authoris determinatione bonis denegari nequaquam æstimare licet. At si eundem ob multorum fidem ac devotionem rem incertam scripsisse quispiam dixerit, semper amicis in secreto meliora & quæ majoris substantiæ sunt cum invenimus, tradi videmus. Neque hac in re negligendum est quantum falsæ scripturæ historicis noceant, quantumque eorum fidem imbecillam reddant. Præcipua siquidem atque communis pœna, quâ ii, qui falsa dicunt puniuntur; eâ profectò esse assuevit non credi cum vera receneant; & Evangelistæ non inter communes fidem exhibere debemus: verùm uti sancto ac veracissimo viro, qui per sancti Spiritûs gratiam scribebat.

Ut si Doctores rem aliquam lubricam, & quam in itinere certò

non invenerunt, scribere noluerunt, quòd id minus Evangelistæ fecerant, quorum tota vita atque actiones veritati erant coniunctæ, sic equidem menti haud adducendum est, ipsos doctrinam à Christo datam confundere, quàm ipsimet tanta cum severitate observabant. Quam obrem in exponentis iudicio haud magnum fundamentum collocare debemus, qui facultati vim, vigorem vel substantiam impartiri nequit: cum is ipsam de novo non constituit; sed ad authorem concurrendum est. Cui eo modo credendum est, quo illius & bonitas, & sufficientia expostulant. Præsertim quod Divus Hieronymus hanc rem tenere istis verbis consulit, credit enim partim hanc à fidelium nemine negari, & omnes eam sine periculo tenere posse affirmat, neque contrarium usquam dicit, & in ea parte id solum convertere pollicetur, quòd à S. Mattheo scriptum invenit: quod tamèn cum alio in tempore se legisse dicat; non eadem verba; sed quid continent transcribere affirmat. Nam cum Seleuchus nonnullas partes fuitiles, atque inanes, quas apocriphas imitatione Græcorum nostri dicere, scripsisse dicitur; Hieronymus illas inter Scripturas Canonicas minimè habendas censet; verùm ut nonnullorum hæreticorum fallacias detegat, S. Mathei verba interpretatur. Simili quoque modo cum de Beatæ Mariæ Assumptione loquitur, omnem gratiæ plenitudinem, quæ in Christo est, in Virginem devenisse ab ipsaque Matre contineri fatetur.

At verba illa à Hieronymo conversa ad nostram approbandam partem sufficiunt, quamvis novum argumentum minimè adducamus; verùm ut illis defensionem tollamus, qui per allegationes, ut veram conclusionem capere nequeant disputando pererrant, veram declarationem in natura quærere statuimus, ubi ordinem firmum inveniemus. Nam cum juxta authorum verba, silentiumvè, & sensus varios verbis applicando certatur, semper in longa confusione sine veritatis terminatione manemus. Quapropter prudenter consultum est ad naturæ normam devenire, quæ æqua mensura, uti utrique parti convenit, dividit, inchoabimulque ex illo principio quod sumpsimus, hoc modo probando: Quomodo peccatum in Creatura minimè ingreditur, quia ea ex viro & muliere generetur; verùm enim quocunque in modo, cum vel ex utroque vel ipsorum altero materies caperetur; quamvis capillum tantum assumeremus; si ex ea homo formaretur, hæc originis macula in ipsum introiret cum obligationem hanc propter primorum parentum lapsum humanitas trahat: nam quisquis ad speciem

eiem nostram reducitur, eundem & nostris privilegiis gaudere, & nostris adversis affligi necesse est: ex quo liquet Christum etiam contaminatum fuisse debere, nisi aliam reservandi potestatem habuisset, quam per virile semen non gigni. Adam quippè Parentum coitu nequaquam genitus est, neque ipsum generando peccavisse habetur: unde deducimus cum vir atque mulier semen ad sobolis propagationem emittunt, nullum in ipso crimen imponunt; hoc etenim tunc ingreditur, postquam organizato, & disposto corpore nostro ad animam concipiendam, cum ipsa infunditur, anima siquidem atque corpus divisum, nihil menti sive in bona sive in adversa parte acquirere queunt. Nam quando Eva peccavit, appetitus è sensibus, consensus verò à rationabili anima prodiit, & eodem modo quo error in ipsis prioribus parentibus evenit, posteritati quoque succedere conveniebat. Nam cum caro ante spiritus receptionem macularetur, magna animæ injuria fieret; ea enim poenam illam pati constringeretur ob culpam ante sui adventum corpori impositam.

Satis probatum est quando originis obligatio in persona ponatur, unde Domine nostræ libertas necessariò apparet: cum illius corpus jam organizatum esset, eandem quoque formam habitudinemve sortitum erat, quam, cum Dei filius ex ea carnem humanam assumpsit, continebat. Et quantum ad hanc membrorum distinctionem habitudinemque priusquam illis anima infunderetur, jam eamet Christum in utero gestarunt, illiusque Mater erant; sic etenim corpus sub divino moderamine ac protectione manebat, uti pars, quæ ad Deum ipsum spectabat. Nam quævis obligatio, quæ tunc accidisset cum gloriosissima anima Virginis in carnis illius sacratæ commercio communicata fuit, Filio adscribenda erat, qui & potens erat, & Matri gratiam agere debuerat, maxime quod eam jam in actu præsentem habebat. At cum quispiam dicere vellet, peccatum in instanti, quo anima infunditur intromitti, jam primi parentes cum animabus, corporibus, per aliquod spatium priusquam peccarent steterunt. Et Diluvio præterito Quando Noëcum suis liberis exivit ab Arca, eis omnibus Deus benedixit, & crescere, & multiplicari iussit. Unde manifestum apparet, quod quamvis obligatio aliqua mortales detinuisset, quia ex viris, mulieribusque gignerentur, ex hoc loco absoluti & liberi essent; præsertim cum nulla in parte Matrimonium Deus exercere vetavit; neque ob ipsius consummationem error ingressus est, quod

Quod quidem præceptum in initio datum erat ; neque veneri ad sensum suum voluptatem explendam cum frequentia uti ; neque ad plurimas mulieres discurrere debere intelligimus. Unicam enim Deus nobis comitem dedit, cui tantum adhærendum esse iussit, quantum ad propagandam sobolem oporteret. Et quando Deus Circumcisionem pro pacto inter se & hominem constituit, neque determinabat neque verisimilitudinem afferebat, ut omnes peccavissent. Distinctè etenim de maribus sermonem agebat, neque de fœminis mentionem ullam fecit; neque adhuc omnes viros suum dissipavisse testamentum pronunciat, præter eos, qui tum circumciderentur. Verum est, quod de præterito loquitur : sed illud respectu pœnæ transgressione facta intelligitur; veluti dicendo, anima pereat, quæ imperium præteribit. Jam enim Dominus à principio orationem ad futurum direxit. Et de his loqui cœpit, quæ ventura erant. Ast alii magnum fundamentum esse existimant David verba dicentis : *In peccatis conceptus me Mater mea*; quo in loco is universo modo minimè loquitur; sed confitetur, & de suo imbecillo ortu queritur, neque illic de originali culpa agit; peccatum etenim singulatum, non autem peccata in multitudine dixisset; qui quamvis sanctus esset; ipsum aliis in erroribus præter illum primorum parentum incidisse tereremus; neque aliter suorum majorum quispiam agere poterat, de quo ipse loqui ostendit: quamobrem ipsum pro omnibus universum fuisse locutum, nulla verisimilitudo idem deducta probat.

At nunc ad historiam redeamus, in qua honestior disputatio esset: excellentiam aliquam sacratæ Virginis conceptioni supra priorum parentum creationem concedere; quam ipsam illis inferiorem appellare præsumere, aliter quippè non tenuè inconveniens sequeretur: cum gratia siquidem à Deo Matri pro præstantia largita, ea quæ tantum de natura est, de paritate contendere posset. Homo quippè sine peccato formatus est; quamquam se in obedientia tantum conservare nescivit, quantum ad sanctificationem à suo Creatore accipiendam oportebat. Quæ quidem sanctificatio eundem ab omni servitute liberasset. Quo quidem modo de Domina nostra dicimus, quæ & concepta fuit, & anima corpori conjuncta absque aliqua macula, & eodemmet puncto sanctificata, ut errare nequisset.

Nam cum beatissima Mater excellentiam hanc minimè adepta esset, haud multo minus injuriari videremur; eum à nostrorum æqualium manu liberaremur, quam vel si in à pœna, vel in carcere derelicti esse-

mus; maximè si hujusmodi personæ communi essendi modo nostro quò juxtà naturam esse debueramus, inferiores essent; quòd si animæ humanæ eadem substantiâ cum Angelis constant, quomodo illas redimere, eisque beatitudinem impendere possent? neque ipse redemptionem cum opportuno ordine factam existimarent, ut veluti animabus per præstantiorem substantiam potentiamque suâ altiore liberari conveniebat. Haud aliter corpora eundem ordinem appetebant; non solum equidem animarum beatitudinem amissimus; verùm & corporum gloriam, quietemque. Nam uti uno in consortio ad delictum perpetrandum extiterunt; eodem modo medelam quærere licebat. At cum corpora per solius hominis naturam absq; alia prærogativa facta essent, quamvis is Adæ ante peccatum par esset, in die extremi judicis facilis corporibus glorificatis redemptio appareret: cum ab aliis sibi simillimis eam capere viderent, & ut omnia per naturam parerent, contentaque essent absque aliqua alia gratia atque potentia, necesse erat ut caro Christi illam Adæ sine comparatione excederet, & illo B. Virginis Evæ corpori longè præstaret. Neque adhuc quempiam tam pertinacem, tantique rationi adversum scimus: qui difformitatem illam negare possit, quæ tunc ostenderetur: cum tanta cum excellentia primi parentes, qui nos in servitute atque discordia posuerunt creati essent, veluti humanitatis Domini reparatores, redemptoresque, qui nos liberarunt. Cum probemus itaque & necessariò appareat Matrem Virginem Evam excedere debere; quòd cum in effectu non esset, Creatorem à primis operibus defessum mansisse ostenderetur; vel in ipsis saltem omnem sui potentiam posuisse, ne consumpsisse dicam; quæ res longè in contrario est. Nam quamvis cuiquam Creaturæ tantum is dederit, quantum eidem convenire videbatur, non propterea ipse astringebatur, vel ad suæ potentix finem deveniebat.

Ut quantum attamen originale peccatum hoc in humanitate comprehendere coextendivè potuit, cognoscatur, necesse est videamus An natura in accidens, idvè in ipsam, converti queat, quamquam hæc in parte satis cum levitate transibimus, quia id ipsum in impressionibus, elementorumque commissionibus pertractatum sit, aliquid tamen adducemus hoc modo differentes. Naturam nos per artem imitari nitimur, eaque quandoque ordinem aliquibus cum turbinibus transgreditur, quas pœne accidentales dicere possumus, cum raro contingant, verùm hæc citò transeunt, dissolvunturque & sua prin-

cipia repetunt, quantò nos minus naturam per accidens à nostris personis causatum dimovere possumus. Jam anima per societatem sensus imitatur, & hi ipsam quoque sequuntur, nullo propterea in tempore earum pars altera in alterius veram ac propriam qualitatem convertitur, verùm cum separantur, ad suum proprium principium singula redeunt. Nam cum à parentibus fortibus, sanis, levibusque gignimur, illis similes per naturam nascimur. Qui si debiles & graves sint, quamvis vel petaurizare vel levitatis genus aliud didicerint, nos eorum priorem originem repetimus. Et quamquam parentibus membrum aliquod abscindamus, soboles in eadem parte manca nequaquam prodire assuevit. At Rex filium sibi similem generat, non propterea illi opes per naturam evenire intelligimus, quamvis pater eas ei committere assuescat, quas tamen ipse perdere, & cum corpore, quod sibi proprium est manere potest, quæ res in contrarium accidere minimè posset, si priorum siquidem parentum substantia atque materia illic data est, undè nostra provenit, omnes ad unamet principia redibimus. Nam quamvis Adam atque Eva ante nos fuissent, nos animas & corpora ad ipsos reddere haud rectè dicimur. Et quando priores parentes formati fuerunt, materia nostra jam in elementis creata erat, & animæ in spirituali substantia, & munda istarum quæque pars, & si priorum parentum negligentia, quibus primum imperium, ducatumvè ad animas corporaque conjungenda commissum fuit, ij peccaverunt (fortè error patratu est) naturam propterea maculare nequiverunt, quæ illis prius libera creata erat. Qui cum tam egeni dicuntur, ut venturam progeniem parentibus induere nequaquam possent, sæpè ex divitibus liberos pauperes videmus, & ex infimis progenitoribus posteritatem opibus abundare experimur.

At quamquam nonnullis appareat mortales sic erga parentes è quibus descendunt, sese habere veluti membra in corpore, hæc extrà similitudinem comparatio est. Manus siquidem sine totius corporis sensatione consensuque nihil agere potest, quamobrem omnes artus & pænæ & gloriæ partem commerentur, sed is maximè, qui præcipuus in actione extitit. Aliæ attamen personæ magnis detrimentis affigi, & in errores incidere quissent, & nos sine aliquo dolore quiescere, quamquam justis pro scelestibus quandoque pænas dent, nonnullis equidem in locis Deus Populum ob Principis delictum puniri iussit, quamvis is sine illa præcipua noxa consisteret. Cum Adam itaque peccavit nos omnes, uti ipsius membrorum partes consensisse minimè

minimè intelligendum est, nos etenim nostorum Avorum carnem esse nequaquam dicimus, uti à nobis aliàs latiùs explicatum est, quamvis ipsi nostros parentes eis materiem impartiendo genuerint, ex qua vas quoddam conficitur, quod tempore procedente facultatem, ne potentiam dixerim, ad liberos procreandos concipit, ad se vel aduècit, veluti in ipsiis sui parentes fecerunt. At quamquam Creatura cum nascitur parentum semen genitale per omnia membra conversum deducat, infans tamen nullum sperma generandivè potestatem habet, hæc enim illi cum temporis discursu, & elementorum vegetatione, & ciborum alimento, substantiavè provenit, ut ne exemplar pervertere videar. Sed nos avorù similitudinem gerimus propterea, fit quia hi nostris parentibus, & ipsi nobis formam impartiuntur, quam habitudinem communi nomine appellatam invenimus, & sic per successum discurrentes, Cum iisdem quoque modo, & loci aptitudine educamur multum similitudinis contrahimus. Nam quamquam unius regionis homines non sint consanguinitati conjuncti, omnes ad unam auram per terræ qualitatem divertunt. Unde ostenditur materiam atque substantiam nostram, ut fructus vitis ederetur, minimè consensisse. Adæ equidem aut Evæ membra nequaquam erant, quamvis per eorum inobedientiam omnes in labore atque anxietate devenimus. Cùm prima siquidem præfectura illis commissa fuit: si exercitui detrimenti pars non eveniret, ratio ipsa lædi videretur, maximè quòd in eo contenti milites præmium adepti fuissent: Si Duces illi rectè vixissent, cum ab illis succederent, Angeli etenim cum per se singuli creati sunt, neque alii ex aliis per generationem propagati, tum malignitas, tum cujuspiam inobedientia semetipsum authorem maculavit. Qua quidem in parte non multis argumentis egemus, cum omnibus clarè liqueat, postquam homo, & animà & corpore organato consistit, noxam ingressam fuisse. Quamobrem omnes Adæ causà aberravisse, quam nos simul secum ipso peccavisse, sanius esset dicere. At si Eva tantum peccaverat, divortium factum fuerat, gratiæ siquidem pulchritudo peccati deformitati minimè consenserat. Eodem quoque modo differentiam aliam inter Angelicam humanamque naturam à Deo positam absolvemus. Angeli enim unius substantiæ sunt circè quam & in rectam, & in obliquam partem regi debent. quamobrem mali sola voluntate peccaverunt, cum corporalis materiæ omninò expertes essent, cum qua vel communicare, vel à qua ad peccandum allici per voluptatem possent. Ast cum mortales consideremus

deremus, homo non solo corpore conficitur, sed ipsum animæ ratione præditæ conjungi necessarium est, quæ etiam anima artuum carnivè eandem necessitatem haberet, unde probamus, si anima tantum aberraverat, falsum esset dicere primum hominem peccavisse, quando illa perse eum constituere omninò nequit, qua in re haud multis verbis opus est, cum materia hæc extra contradictionem sit. Jam quippè clarum est, membrorum excellentiam in animæ conjunctione consistere, cui in ipsa infusione potentia tres tributa sunt, sine quibus haud multum æstimaretur, & uti animæ & corpora separatim magni pretii opus conficere nequeunt, neque etiam simul conjuncta si ambo non convenirent. Quamvis aliquando anima ipsa per se discursus aliquos ineat, neque aliter quandoque corpus agere experitur, verum enim ad conclusionem ambas partes coire, & in unum consentire necesse est, ut opus utrique conveniat, & vel gloriæ vel pœnæ dignum fiat. Et si error in naturam conversus esset, postquam baptizamur è diversa specie cum paganis, nomen jam latinis auribus tritum, redderemur qui quamvis non unicum præceptum neque gratiam secum habeamus, non illis in natura diversi sumus, & uti maledictio eos apprehendit, qui hoc in tempore producuntur, & alios qui in posterum nascituri sunt, nonnullum similiter antequam Adam formaretur prærogari licebat.

Jam Virginis libertatem per naturam satis probavimus, quantum quoque justè gratia illi per omnes partes conveniat. Nunc autem ad cognoscendum redibimus, quonam pacto authoritates intelligi debeant, & à prima maledictione incipiemus, vocem quippè contra omnes sonare minimè negamus, verum intentio universo modo, uti in cæteris legibus sanctionibusque intelligitur, ubicumque etenim multitudo comprehenditur, pro uno, qui extra sit, statutum frangi nequaquam dicimus, tanto idminus intelligi licet, cum necessitas occurrit, quas ambas partes simul coextendi debere ratio dicat, cui rei peculiare exemplum aliquod afferemus. Princeps scilicèt exempli gratiâ legem statuit, ut nemo suum penetrabile ingredi audeat, verum cum vel Regina, vel filius ad ostium veniunt, eisdem introire debere omnibus constat. Nullus quippè statutum contra illos intellexerat, maximè si ipsos Rex accersiri juberet, quos cum sub dio pati fineret, non solum uxor, filiusque lamentarentur, sed & ii qui aspectarent immanitatem, fuscamque rationem illam qua tam crudeliter sæviret Principi objicerent. At si Rex aulam amisisset, neminem intro-

mittere posset, neque aliter quando homo peccavit intelligimus, ob quam causam neque adhuc Deus gratiam, aut potentiam perdidit, quibus illam ad pristinum statum reducere, vel ad sublimiorem, si libitum esset, quempiam erigere posset. Et si Mater Christi una cum filio ad ostium pro gratia petenda venit, majus inconueniens apparet, legem pro filio intromittendo, Matre extra relicta, transgredi, quàm utrumque simul conducere.

Christus quantum ad humanitatem in omnium numero comprehenditur, veluti de Matre intelligimus, qui cum in gratia reservatur, ubinam ratio illa est, quæ inde Matrem excludat, secumque esse prohibeat? Nam si juxta humanitatem tantum rem hanc existimemus natura, atque consuetudo demonstrant longè magis parentibus, qui nos genuerunt teneri, quàm liberis à nobismetipsis procreatis. Neque Dominam nostram Matrem fuisse Christi, in ambiguo est, qui Deus & homo est, & fuit, & erit semper, quamquam in parte ista filio major quàm Matri perfectio conveniat. Illud demum consentimus, eos qui legem statuunt, quandoque laborare, detrimentaque pati, ut eos sublevent, qui in errorem incidunt, id tamen odiosum est dicere. Dominum suos proprios artus maculare velle propter subditorum noxam, maximè cum eorum inobedientia solum Deum offenderit, neque quispiam alius lamentari, aut contra hominem justitiam vel vindictam petere poterat. Quamobrem, si Matrem non salvam fecerat, in illorum numero is concludi videretur, quos ob id iniquos appellare solemus, qui se altero oculo divelli permittunt, ut comitum quispiam utroque privetur. At si ob Adæ culpam immensus labor tantum personarum numerum exercuit, afflixitque, Quænam causa ratiove impedit, ut divina bonitas eos qui apud se sunt remediare non queat. Deus equidem haud semper homines tanquam Adæ Filios observat, sed tanquam Creaturas, quas ipse sua voluntate atque potentia operatus est. Et si omnium proprium esse essendivè modus à Creatore tributum est, non longe abest, imò rem ipsam consequitur, nos illi proximiores & magis subditos, atque obligatos quàm Adæ esse. Quantò id fortius particulatim in Virgine evenisse arbitrandum est, quæ & Mater, & propria caro ei, & prioribus parentibus nimium remota extitit. At si brevis origo illa majorem ad maculandum vim, licentiamque sortiretur, quam interna Deitatis societas, atque affinitas erga Virginem ad ipsam protegendam possideret, neque justitiæ neque ratio inoffensa maneret.

Fortè personæ aliquæ verum determinare nescientes, aliter sentient, autoritatemque capere ex Sanctis nonnullis contendent, qui Christum extollentes dicere poterant. Tu solus omni peccato cares, & totius culpæ expers es, quam equidem partem pluribus modis salvamus; Ecclesia siquidem de Christo decantat: Tu solus sanctus: Tu solus Dominus, neque in istis verbis vel de Patre, vel de Spiritu sancto mentionem facere videtur, quamquam paulò inferius, utramque conjungat, similiter, & Ecclesia magnum sanctorum numerum celebrat, sed in iis tu solus intelligi potest respectu ad infinitam Christi sanctitatem habito, qua considerata, cæterorum brevis est pars, non propterea reliqui sanctitate privantur, & Mater Filij pars est, & sic ei gratia debebatur. Nam cum suas majores partes dicimus minores includi certum est, haud veri simile etenim est, parentes ob liberorum laudem dedecorosos haberi, omnibus commune est, & crebro accidere experitur, cum quempiam laudamus, qui reliquis penè excellit in modo loquendi neminem illi excipere, dummodo ipsum ad illum non conferamus, quem ratio inde excludi dijudicat. Nam cum de Sancto Ioanne singulatim loquimur, ei supra sanctos excellentiam dare solemus, neque aliter Apostolo Petro; cum ambos attamen conjungimus, & utriusque dignitatem explicare contendimus, habenas laxare minimè licèt, sed condecentem portionem cuiuspiam præbere necesse est, quam rem plures autoritates declarant. Deus quippe agebat. Quando peccator, Domine, Domine clamaverit, faciem ad parietem vertam, & non audiam. Aliunde attamen, quando peccatorem pœnitebit, & ad me revertetur, priùs quam clamet, exaudiam, & audiam, cum vocaverit. Et aperte aliàs fatetur, qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit, cum quo quippe habemus fidem sine operibus mortuam esse, similiter, & in Dei dilectione & proximi vita aeterna nobis promissa est. In tempore quoque diluvii mortalium vitam CXX. annorum spatium transire non posse à Deo ipso sancitum est. Ast Elias & Enoch, qui vivunt, minimè ab hoc Ordine includuntur, & nonnulli alii Hebræi Creatoris servi ad centum quinquaginta annos pervenerunt. At non solum universim, sed & particulatim Deum sententiam mutavisse sacris litteris proditum est, veluti cum Ezechix dicere iussit, in brevi tempore morieris, & non vives, cui per obedientiam, pœnitentiamque quam fecerat, vitam per aliquot annos prolongavit. Alio etiam in loco, in inferno nullam esse redemptionem affirmatur, sed Ecclesia Trajanum

Sancti Gregorii precibus inde redemptum tenet. Christus dicebat Apostolis quicquid à Patre meo in meo nomine petieritis, dabitur vobis, quod, cum iuste peterent, intelligitur. Plures namque supra idem nomen aliqua petierunt quæ non receperunt; atque huiuscemodi necessitas permutatiove minimè ex parte Domini, sed peccatoris provenit. Deus siquidem non semper, uti sibi soli conveniebat, locutus est, sed humanitatis nostræ necessitati consulebat, conformabaturque. At singula harum partium proprium aliquem sibi singularem sensum possidet, qui juxtâ temporis, loci, personarumque discrimen conveniebat. Quamvis equidem baptizaremur crederemusque, nisi præcepta observarem, nondum penitus liberaremur, neque ea sine fide & Baptismo expleta nos facerent salvos. Omnes Prophetæ & sancti Doctores cum de Domina nostra loquebantur, ipsam immaculatam appellabant, quam cum Angelus salutavit, gratiâ plenam illam dixit, quoniam modo dico Angeli verba vera essent, si ipsa aliquod peccatum usquam habuisset. Nam quamvis multa certamina vincamus, si semel superamur nobis nomen semper victoriæ imponere haud rectè se haberet. At cum Virgo gratiâ plena dicitur, clarè patet eandem peccato nunquam subditam fuisse. Et si quispiam Christum collaudans, Matris excellentiam non scripsit, haud propterea intelligendum est, illum ipsam imperfectam in animo habuisse, eum aliis in locis de ipsa sermonem agens eandem summam imperfectionem extolleret.

Et quod aliqua personæ Beatæ sententiæ huic contrariam opinionem capiant, quia aliorum Sanctorum, magnorumque Doctorum scripturas non probè intelligant huiusmodi moderni viri vel simplices erant, vel melancholica complexione proportionabantur, cum rem semel apprehensam aut phantasiam, aut prædam, si dicere vis, ne exemplar depravare videaris, appella immutare, neque sciverunt, neque consenserunt. Nam si per plures partes discursum fecerant, penè impossibile fuerat, ex se ipsis non novisse falsum, quod defendere excogitabant. Quamvis enim istorum nonnulli ab Ecclesia Sancti habeantur, dum homo vivit peccare potest, quæ res in personis sanctè Viventibus experta est, quamvis propter pœnitentiam, peccatorumque expiationem eorum animæ expurgatæ ad gloriam advolaverunt. At exemplum non nimium inusitatum super hanc rem deferram; accidit enim crebro vel in Patroni, vel in artificis cujuscumque domo, qui crassos ingenio alumnos quandoque tenent, qui dum operantur, limesque operum illis imponitur, rectè & bona cum dili-

gentia serviunt, in ducis tamen absentia, sive famulus rem designet, sive ex sua sententia regat semper opus aberratum exit, quod dissolvere, & ab initio ordiri necesse est. Eodem modo illis contingit, qui opinionem contra Virginis gratiam conceptionemque sumpserunt. Nam aliis in locis dum majorum textum rerumve seriem secuti sunt utiles sequaces, laboratoresque experiebantur, sed cum hoc in loco dispergi, & ex se materiam disponere, & sententiam proferre voluerunt, ceciderunt, ubi nonnulli adhuc restant qui surgere nesciunt, & aliorum hominum auxilio adhuc in fine egebunt. Deus cunctis animalibus ratione carentibus indixit instinctum, quo ex sua natura voluntateque parentibus prona pareant, inolinenturque. At hominibus eandem naturalem obedientiam sancierat, eosque parentes honorare præcepto coercuerat, in parte siquidem adeo digna, non rationi consonum videretur, ipsum eandem cunctis observare jubere, & is solus ipsam dirumpere. Plures equidem Beatæ Virgini personæ devotæ extiterunt, quibus si facultas data esset, illam ab omni macula liberam fecissent. Quanto id magis de summa Trinitate existimandum est, quæ tantam portionem, ne societatem dicam ex ea coepit, quam liberando illi ordinem, & potentiam Dominicam causam, sed amorem, & venerationem filialem ostendit.

Verùm cum omnes Redemptore egere dicitur, ad hoc respondemus, Christum non ut justos redimeret venisse, sed ut illos illuminaret, & gloriam elargiretur, & peccatoribus redemptionem afferret. Quamvis eundem pro omnibus mori conveniebat, ut Paradisi janua referretur. Nam cum Sanctus Ioannes Baptista obiit, neque originale, veniale, neque mortale peccatum habebat; jam antea quippe depuratus erat per sanctificationem, Baptismum, expurgationemque, quam penitentiam nostri communi vocabulo dicunt, ad limbum at tamen uti cum pluribus sanctis Patribus, qui ibi Christi passionem experiebantur, qui etiam neque in damnatione, neque in penâ erant, sed gloriam expectabant, ad quam cum introire deberent, Christus tamquam Antesignanus, victoriæque Dux in ipsius Triumpho inditum anteire conveniebat. Et uti ii, qui nunc in fide, & vi passionis atque Christi adventu liberantur à penâ, in iismet illi priores Patres liberabantur. At si neminem beneficium hoc priusquam is in errorem incidisset, capere posse dicant, falso pronunciant. Nam si quando hominem ruentis modo declinantem, à ruina contineamus, ipsumque cadere vetamus, eundem perfectius liberum redimimus,

minus, quam si illum lapsum subleuimus, quæ & communis, & facilis opera in hominibus est, quantò quippè leuius, & convenientius potentia ac bonitati diuinæ erit?

Quamvis aliqui dum breuem portiunculam aliquam quærant, è qua suspendi queant, cuiuè adherere possint, pertinacia quadam contendunt, culpam in uno celerrimo instanti Virginem contigisse. Ridendum sanè ex istiusmodi verbis est, quæ dum sentio Hebræusculos quosdam mihi videre videor, qui à turpi quadam, atque subita aueritate tenentur, eo in tempore attamen semper veniunt, in quo nihil utilitatis offerre queunt. Nam si Mater semel maculata erat, quanam necessitas instigabat eandem in instanti sanctificare vel per aliquot dies derelinquere? At cum beneficium ignotum fuisset asseritur, ni priùs se in carcere detineri cognovisset, hæc pars profectò in nobis, quamvis rarò, contingere posset, quia propriam voluntatem, cordaque ad invicem ignoramus, & rerum successus nescimus, sed Christus cum Matre non ab hac profectò opacitate impediebatur, apprehendebant se quidem tum spiritu tum corpore, quapropter Virginem ante ruïnã ab originis crimine eripi licebat, quia nostræ redemptionis ostium erat, quod pluribus in partibus ostendit in tribus præsertim quando Simeon illi prophetizavit, eandem cum filio in mente dolores pati debere, & in Ægypti fuga & quando Christus in maiori suæ passionis angustia Matrem propè se habere voluit, ut portionem suam ferret, sed quia ad gloriæ reserationem, & evitacionem limbi, nomen jam Christianis multum assuetum, Filium priùs mori conveniebat, ratio indixit, ut Matris vita per dies aliquot protraheretur. At cum pro maiori privilegio Christum partem hanc totius criminis scilicet expertem esse, sibi soli reservauisse, asseveratur; sequeretur hoc modo diuinam virtutem ob humanam culpam auxille. Nondum rectè exploratum habemus, quo animo illi ad scribendum veniebant, qui à tam crassis phantasmatibus detinebantur, & tam hebetem breuemque visum possidebant, huiuscemodi siquidem pars, atque conditio corporibus materialibus, & rebus finitis convenit, istiusmodi generis siquidem singula tantæ excellentiæ esse dicimus, quantò aliis præstant. Non autem quòd aliqua ratione probare possimus Anj XX. vel centum pedes potius saltare debeamus. Quòd si perniciores tres transire nequissent, qui ad tres cum dimidio perveniret, magnum huiusce muneris nomen vendicaret, & magni præiij haberetur. Et si centum aureos, cuiquam damus, totidem ex nostris

opibus minuere certum est. At Christus neque virtutem, neque magnitudinem ob nostram infirmam conditionem possidet, verum quia is ex se excellentissimus, summa bonitas, & fons uberrimus est, qui omnibus sine aliquo sui defectu ubertatem diffundit, quòd in omnibus suis operibus sanè ostendit, ea quippe bona fecit, neque à se ipso quicquam, ut in ipsis poneret dempsit, cum in hac demum parte liber sit, quod impedimentum illi occurrerit nescio, quo Matrem non integrè perfectam fecisset, semper etenim artifices ab operum dignitate laudantur, amplioresque habentur, neque alius non bonus habendus est, quamvis alius illi præstet, neque non malus quispiam dicetur, quia deteriores alii sint. Jam equidem minus malum, & non tam bonum appellabimus, bonitas autem in iniquitatem verti, vel malitia virtus ob magnitudinis differentiam fieri omnino nequit, quamvis quantam quantulamcunque magnitudinem fortiantur. Sic equidem quamquam omnes creaturæ bonæ essent, quam contrarietatem virtuti à qua dependunt afferrent, imò aptitudinem potius ad auctorem collaudandum deferrent. Nam si miracula, & beneficia quæ Deus in rebus creatis ostendit abessent, is circà ipsas non tantopere æstimaretur.

Christus etenim Apostolis respondit se cæcum à nativitate illum illuminasse, ut nomen Dei magnifieret, manifestareturque. At cum hanc majorem hominis excellentiam quispiam esse existimet, eundem ab hac macula liberari; videlicet, id profecto longè à re alienum est. nonnullæ equidem majoris prærogativæ partes hominibus scriptionibus sunt, esse equidem nostrum à natura habemus; ac peccatum accidit est; maxime quod Deus nos ad suam imaginem creavit, & homines uti Christus sumus; & ipse suos fratres, & Dei filios homines pro bonis operibus appellabat, neque propterea substantia nostra ejusdem perfectionis cum illa summi rectoris olympi essentia Deitate esse debet; neque mortalium animas & carnes tantæ dignitatis præstantiæque sunt, veluti hæ, quas Christus contraxerat. Et quando in istis rebus, quæ longè majoris excellentiæ ac magnitudinis sunt, nos omnes sibi similes agere voluit, Quis dubitat ipsum aliam in particulari leviolem prærogativam cuipiam largiri? neque huic dissimile exemplum Christus edocuit, cum dixit. Quid facilius est dicere: remittuntur tibi peccata, an, surge, & ambula? incedere equidem publicum omnium sensui miraculum erat: at peccatorum remissio occultabatur hominibus. At cum Virginem Matrem suam fecisset in tantum

muneris conspectu, & facilis & parva gratia erat ipsam totius maculæ expertem agere.

Jam probatum est in creaturis & bonum & melius esse; & è contrâ malum pejusque neque per bonitatis augmentum malitiam aliquam abstergi intelligitur. Virginis siquidem purificatio non ad ipsam ab aliquo crimine expurgandam facta fuit; sed ut illam puriorem, & majoris prærogativæ redderet; neque id ratio permittit corpora perfectiora dum eum ab aliquo errore expurgantur; sed tunc licet, cum melius supra bonum imponitur. At cum dies partûs expleti sunt tunc Beatæ Virginis purificationem factam fuisse dicimus; non quod in ea vel macula vel ineptia aliqua esset; sed ut legis cerimoniam per obedientiam expleret, merereturque ob id, uti negligentia atque ignavia crimen esset illam contemnere. Christus ætate, & sapientia crescere dicebatur, non quia novas disceret scientias; sed quia suam magnitudinem apertius demonstrabat. Baptismum ad primum peccatum abluendum universim intelligitur; & Christus non ut ab aliqua noxa abstergeretur baptizatus fuit, neque aliter Sanctus Joannes, & si homo præceptum observaverat, à scelereque abstinuerat, confirmatus in gratia fuerat: & boni Angeli nullo in loco peccaverunt, neque in ipsisulla macula ingressa est: qui tamen sanctificati fuerunt, & quod verè Dominæ nihil deesset in quocumque præcipuo passu in dignitatem ascendit.

Ut materiam tamen hanc celerius expediamus: brevem aliquam portiunculam tractabimus de prærogativis illis quæ homini à natura in sua prima formatione tributæ fuerunt. In prima innocentia hujusmodi temperies humanitati concessa erat: quâ sine incensa sulfureaque corporis voluptate mortales generarent, & mulieres sine dolore parerent: non attamen ut omninò à sensatione essent alienæ, corpora enim subtiliora & depuratora erant, & in vita pacifica, & in istius lucis discessu sopore quodam dormientium modo transportata fuerant quas quidem omnes partes Virgo ostendit: veluti in Matris utero sanctificationem exicipere, ut in posterum peccare nequisset, quod privilegium priores parentes suorum operum præmio expectabant: quamvis prius ab omni peccato expertes creati essent. At dolores quos Beata Mater passa est, non ob suam causam, sed propter nostram toleravit. Nam cum per virum, mulieremque noxa ingressa est: eodem modo eam exire conveniebat; quamvis hi, qui veritatem & Beatæ Virginis prærogativam negant, hoc in loco ad meliorem partem

partem capescendam à sacris litteris non cogi dicant : satis imbecillis in iis fides est : qui ei sola autoritate credere solent , eamvè sequuntur. Fortius quidem esset eandem pro suo metù vigore tenere. Scriptores equidem ipsam minimè constituunt , illivè essendi modum præbent : quamquam ab eis declaretur : bona profectò est autoritas , ut nos in viam mittat , è somnoque cum dormimus excitet , & contra infidos fidis favorem afferat : & nos contra insidiantes Spiritus valentiores reddat , sed in animo talem fidei firmum conceptum habere debemus ; uti de veracissimo fundamento teneri debet , & id ex se : neque semper quis eam scripserit , aut quanto cum vigore illam disputat perquirere , qui intellectum siquidem , vel doctrina propriis divinum arcanum determinare præsumeret , quantò magis ulterius pergeret , majori confusione premeretur , & minorem rei quæ sitæ certitudinem adipisceretur. Hæc autem minimè via est , per quam illud attingi debeat , quamquam non pauci ex litteratis hominibus partes , quas non intelligunt , divinæ potestati impossibiles ponere volunt : neque se homunculos esse recordantur , & uti sæpè juxta eandem imbecillitatem alii sibi similes plura eis aperierunt , determinaruntque , quæ ipsi animo aliter sentiebant : neque aliter in suis disputationibus veritatis contrarium approbare præsumunt : vel id quod omnibus obscurum est , clarum reddere. At quando pars ista tam communis inter homines habetur , quantò id certius , faciliusque in divina sapientia ostendetur , quando lux Voluntati libebit?

Creatorem omnipotentem , incomprehensibilemque esse fatetur : at alia in parte & sua opera intelligere & illis limitem imponere præsumunt , sic equidem de aliquibus sanctis Doctoribus apparet : qui vel ex seipsis , vel è scientiis , quas didicerunt fidentes se ad invicem in præsentia contradicebant ; & quod pars à singulis scripta , & laudabilis , & ad bonum finem fundata esset : omnes propriam veritatem habere impossibile est. In illis rebus verum dico , in quibus alter alterius sententiam expugnare disputando contendebar.

At ubi argumenta quærentes suam intentionem approbare nequiverunt , cum utiliore quietioreque rationem , & in recto proposito suam invenimus , eam capescere sine onere possumus. Eorum viam profecturo itinere habemus : qui contentionibus & argumentis derelictis in illius manibus sese crediderunt : qui eis sui arcani clara ministeria ostendere poterant , quod & Propheta & Apostoli ostendunt ; qui non nimias litteras magna ex parte didicerunt : sed sua bonitate

nitate & rectè vivendi meritis altissimas causas explicabant. Alii plures Sancti contemplativi transferunt: quorum dicta, haud minoris auctoritatis erant, quam ea litteratorum. Divinum quippè secretum nemo per disputationem adjungere potest; sed per ipsiismet revelationem. At si Doctores, qui magna volumina fecerunt omnem Virginis excellentiam, præstantiamque scribere noluerunt: vel quia id non necessarium fuit, satis ratio sufficit, quæ eas modo quo potest demonstrat, & plures beati contemplativi, qui ipsas confirmant.

Satis auctenticus est, qui rectè, & in bona materia scribit; quamvis nonnullorum ignorantia ut fidem exhibeat, longinquam auctoritatem, & quæ inter multos divulgata sit, petit. At Deus neque potentiam, neque voluntatem amisit, ut secretorum portionem præsentibus revelet, uti antiquis agere assuevit. Ad finem demum cum inferioribus exemplis veniamus, & veritatem illam explicemus, quam inter scholasticos videre solemus, quorum alii ex solis proverbii discunt, & hujusmodi præstantes discipuli sunt. A si alii commentata capita requirunt, alia denique fors, à longè tamen subsequitur, cui neque libri, neque expositiones ullæ, aut exempla sufficiunt: & ij, qui in hac ultima parte continentur, & tempus, & pecunias frustra consumunt & se in studio diu stetit, consensisseque dicere sciunt. Quam quidem disparitatem inter Religionis nostræ cultores damus, bonis siquidem Christianæ militiæ servis paucæ auctoritates & miracula sufficiunt, ut quampluribus aliis in lege contentis fidem præbeant, sive ea jam evenerint: sive futura sint. Sed & alios invenimus: qui neque ex semetipsis, neque per scripturas, neque quamvis illis verum declareretur. Nondum attamen submitti volunt, ut fidem exhibeant, ubi ratione deberent, ni singulas partes distinctas, fundatasque per se tangant: & ab illis expositoribus comprobatas, quales ipsi petere volunt. Ex similibus tamen haud multæ cælestes cathedras occupant: & hoc tum in veteri, tum in novo testamento habemus. Deus quippè ab Israëlítico populo querebatur, minabaturque illi, quia præsentibus, & futuris in præteritorum vigore credere volebat. Christus etiam, *benedictus es* Thoma dixerat, *quia vidisti me & credidisti sed beati qui non viderunt, & crediderunt*, neque plenam devotionem, neque fidem divinæ bonitatis ostendunt ij, qui ipsum, aliqua in macula, Matrem cadere sinere existimant, creduntque majorem fervorem quem aliqui demonstrabant; qui à Christo, vel sanitate, vel ut suos suscitaret affines petebant. Quamobrem, is illis respondebat,

eisdem in sua fide salvos esse, & ij, qui devotionem, & servitute m ostendere cupiunt, contra perfidos disputare deberent: non enim boni sagittarii habentur, qui suos feriunt; natura, & consuetudo nobis demonstrant amicos in præsentia exhortari, reprehendereque in absentia verò laudare debere, & eorum bonas partes defendere; extraneasque silere: imò & mortalibus proximum in occulto redarguere, à Deo ipso imperatum est. At hi, qui Dominæ nostræ libertatem increpant: nullam harum partium à nobis expositam certè observant. Cum in eo itaque quod præcipuum est, tam clarè aberrare conspiciantur: qua in parte cum de hac materia agant, verum dicere queant, nescimus.

G. Ayoræ Cordubensis supra præsentem additionem excusatio.

HÆsitavi prius, ut silentio potius, quam maledicendi impetu gloriam compararem. Verùm quum auctorem (cui tantum me debuisse opus undique ostendere poterit) eo modo destinatum vidissem, ut ab hac ultima huiusce rei portiuncula abstinere nollet: quæ etsi ab aliis interpretari tentata sit, ab iis non tantum vel perversa, vel imperfecta deserta est: Verum & eo modo ab spe distituta, ut intra latinorum portum illam nusquam recipi posse quisquis intueretur, facillè crederet: si in ipso totius operis volumine tanquam in oneraria Nave veluti scapha obligata à nobis deduceretur. Accedebant tamen ad id maximæ (pro tantulæ rei portiuncula) difficultates. Me equidem iam primis Italia discedentem si & nihil in ea ultra scribere volentem pars hæc invenit; & curis, & egestate semiobrutum, & in ipsius operis fragmentis, atque additiunculis aded implicatum, atque immersum, ut animi potius, quam corporis vires me incolumen evasurum confirmarent; neque impressorum sollicitudo remissionem patitur, quibus vel igni torridas literas, vel Humatas protinus dare me convenit. Verum ut quantas & verus amor, & Reipublicæ mihi innata cura vires possideant, ostendam: tanquam si per olium vagaremur; rem ipsam aggredimur.

P. Montis interprete G. Ayora Cor.

QUum jam nihil amplius supra rem hanc scribere existimarem, libellus quidam Mediolani impressus in manus incidit, qui auctoris sui nomen palam proferre minimè audet: qua sola in parte sagacitatis speciemulam retinere videtur qui tam manifeste namque, & in tanti momenti negotio aberrat: vel audiri vel inter homines nominari saltem nequaquam (quisquis is sit) dignus apparet. Neque usquam alias inter tot tantarum gentium turbas, quas me sensisse memini quempiam tam profanè loquutum audivi; qui huic, & verborum, & sententiarum procacitate petulantia, ac turpitudine non facile cederet. Hic etenim etsi religiosum fuisse haud uno indicio colligatur: Nemo usquam adversam sui istius generis partem ad tantam stragem intereccionemque cupivit. Qui quidem etsi plura aliorum dicta tangere videatur, in iis omnibus imbecillia principia summatim (immo tumultuatim) præponit: quamvis hac in parte ab illis degenerare nequaquam videatur, qui S. Thomæ Aquinatis partem hac in ipsa re tueri præsumunt: neque nos ultra ad eosdem convincendos procedere oportet. Ducem quippè suum non à nimium recta voluntate in hunc modum protegere moliantur. Pollicentur enim in primis alios redarguere velle; neque id vel planis rationibus, vel multum speculativis argumentis agere dicunt: sed autoritatibus tantum freti se certaturos fore promittunt. At dicta illa quibus & muniuntur, & alios expugnare, suosque propugnare arbitrantur, Universa sunt quæ ipsi, & tanquam universalia & particularia nihilominus (uti eorum necessitudo exigere videtur) exponere solent, quæ res neque à natura, neque ab ulla vel ratione, vel sanctione recta permittitur. Nolunt præterea isti illuc devenire (ubi maximè convenit) ad ea loca scilicet, ubi auctores illi quos memorant strictè, ac particulatim loquebantur, quum illa verba scripserunt, quibus Thomæ satellites circumligari videntur, quos de hac materia loquentes, Dominicos appellari nequaquam convenit: quum illius opusculum supra Virginis Conceptionem apertè denegent. G. A. Sanctissimum quoque, & Hæresiarum acerrimum hostem, & totius demum Reipublicæ Christianæ propugnatorem invictum Ambrosium ad Gabonitas loquentem contemnunt. Aspernantur quoque Christianorum illum Argum,

arariumque tot linguis, atque oculis in commune bonum vigilem Hieronymum Interpretum omnium & auctoritate Patrem, & utilitate supremum, quem illic tamen ab his negligi intelligas, ubi de Joachim & Anna disseruit (ne majora illis à nobis facinora, quam ab iis præparari solent objici videantur) Anselmi quoque de Conceptione Epistolam, vel humanæ vitæ (ut rectius loquar) exordium, & falsum, & ab aliquo irritò auctore conscriptum esse proclamant. Conceptionis etiam opusculum ab Anselmi manibus detrahunt, atque subripiunt. Nam illico cum Sanctus aliquis à sua voluntate declinat, illius opera adulterina esse mentiri, ac commentari non timent; sed eos qui secum assentiunt, amplissimis laudibus ad Cælum usque extollere summo opere nituntur; quæ res an ab illis propterea fiat, nondum liquido constat, ut sanctum Thomam magis æmulentur, cujus natura si suis vel imaginibus, vel simulachris uti pictores, fictoresque ostendunt; similis erat semel apprehensa pertinacia quadam diutissime retinere illi alienum nequaquam erat. Neque Thomas ipse in suis scripturis partem hanc denegare voluit, in quibus ipsum ingentem habuisse memoriam quæ duram complexionem ostendit; sanè constat quem ob alia probatissima opera sanctum fuisse fatemur; propter hanc partem attamen veram sibi gloriam vendicavisse, priusquam confirmes, & hoc & illud rectè excogita; inde majoribus nostris scilicet, atque nobis ipsis è tranquilla pace ad Christianæ Reipublicæ civilia bella non solum amplum atque proclivum iter patuisse; verum & promptissimos duces undique emeruisse. At si quispiam dicere sanctum Thomam partem hanc ante abstrusam aggregatam patefecisses; inde auctoris audacia, atque immodestia (ne inverecundiam dixerim) potius quam ulla vel sanctitas, vel religio colligi potest. Nos præterea auctoritates quas ipsi adducunt negandas esse minimè censemus, sed partes illas repetere consulimus; supra quas auctores ipsi quum verba illa protulere, loquebantur.

Post Christi itaque adventum à Paulo orietur exordium, quum solus is inter Apostolos de originis noxa manifestè tractaverit, neque id aliàs fuit, nisi quum eundem vel disputare, vel ad eos scribere oportuit, qui nos universim sub eodem crimine ortos esse negabant. At originis peccatum non concedere nefas manifestum est. Verum Apostolus ipse nunquam illuc descendere visus est, ut sacratissimam Dei Matrem, vel sanctos Patres particulares aliquos in peccato conceptos esse diceret; quo quidem in modo reliquæ Sanctorum auctoritates

ritates dictæ sunt : ut eorum hæresim expugnarent : qui infantes absque ullo originis reatu oriri astruere condemnabant. Neque ob id sanè colligitur hos sanctos auctores personas aliquas ab hac culpa liberas esse non posse asserere. At S. Thom. & ii qui illum sequuti sunt : sententiæ dictis illis dare volentes , statutum quoddam absque fundamento, & proposito fixerunt : nam unde ipsi suæ rei cementum atque præsidium comparare præsumunt : majores nostri supra rem quam ipsi falso arbitrantur : nequaquam locuti sunt. Aliam præterea, vel natura, vel consuetudine validam rationem ab ipsis dari sperare non licet : cum illum neque hæctenus, neque in præsentia habere visi sunt. Quorum demum major durities intellectionisque obligatio acrius reprehendenda est quam eorum insania, qui Virginis libertatem extenuant : & dum ipsius privilegii quidquam derogetur summopere moluntur, cujus inenarrando miracula undique affluere conspiciuntur, quam quodquod aliæ scripturæ quam plurimæ non solum cunctos mortales præter Filium excellentem celebrant sed supra Angelicas dignitates extollunt, quod quidem privilegium peccata omnia longè arcet. Angeli siquidem boni nullam usquam contraxere maculam : quam ob rem ad eos præcedendos illis saltem æquiparati in principio ortuve convenit : ac aliqui cum sillogisticis argumentis omni timore, ac verecundia calcatis illam condemnare volunt. Quid præterea ad rem confert, dicere scilicet, si Domina nostra hujusce criminis expertis fuit, Christus universalis Redemptor nequaquam exitit, quod maximè vellem, ut istiusmodi cavillatores quempiam nobis ostenderent, qui adeo universas suas leges sanciret ; ut exceptionem omnem propelleret ; quamvis in hac ipsa petitione Deum, naturam, & genus mortale denique totum includeremus. At ipsimet fratres, & si non quotidie, sapè saltem leges statuunt, quas faciliè rumpunt quibus dum consultant, haud parva temporis momenta labuntur, quanquam sanctiones hujusmodi contra suos Antistites vel Præfectos condit minimè videantur, in illis attamen rebus intelligas ; in quibus legumlatorum quidpiam interest. Verùm in divina lege haud aliter omnes universim quam minimà particulatim obligati sunt ; nemo namque legem præter ipsius auctorem Dominum vel rectè solvere potest ; si religiosi itaque libertate hac potiuntur qua sanctiones & premere, & laxare possint, ingens profectò eorum vesania est, qui Deum istius generis privilegio gaudere, negant quo propriam matrem liberam per rationis convenientiam faceret.

Longitudinem verborumque diffusionem vitare mens est illud quippè sufficere arbitrantur, iter illis demonstravisse, qui illud capessere voluerint, præsertim cum jam de iis rebus quæ in præsentia succedere possent, satis oportunam mentionem desuper fecimus, ut quam tenuem tamen vim opusculi illius argumenta cum suis satellitibus habeant ostendamus, illius nonnullis propositionibus respondebimus, ut ordine quo illud procedit ejusdem solutiones quisquis inquirere velit, facilius inveniat. In primo itaque congressu asserit ille; si Beata Mater absque peccato concepta fuisset Deus iniquus esset, cum illam mori permisisset. Hic profecto quæ vel distinctio, vel differentia inter unam & aliam legem sit, minimè sentit, quam in hunc modum manifeste probamus. Ut homo namque quispiam mortem omnino vitaret, quamvis nullam in sui conceptûs maculam contraxisset, necesse adhuc esset à Deo ipsum in Paradiso terrestri introumire ut ab arbore vitæ cibaretur; & illa haberet præcepta, quæ primo mortalium parenti imposita fuere; aliter equidem juxta naturam ipsam omnis homo corpoream necem pati cogere: conditio quoque alia ad id ipsum opportuna concurrat, conveniret enim ut creator à vitæ arboris degustatione eundem abstinere imperaret; cum subjunctione illa quavis in die scilicet ex ea comederis, morte morieris. At si homo hic sanctionem illam abrumperet fructumque comederet Christum iterum ad mundum ut carnem resumeret, & mortem subiret, ut hominis illius progeniem redimeret, ob quam ad primam legem redimere nequaquam licuisset.

Copiosè hactenus probatum est, ob quanta inconvenientia mortales ad primam legem redire nequeant, unde necessario restat, ut constitutionibus aliis obligemur cum illa prior manifeste perierit. Sed uti de innocentia lege desuper diximus, in succedenti capite de ea quam gratiosam (iusta de causa aliunde nominavimus) mentionem faciemus. Jam patet nos in illa priori lege corporum corruptionem ob arboris vitæ cibum vitare debuisse, quæ res nunc cum haberi nequeat, mori quantum ad corpus convenit, sive sub peccato, sive ejusdem expertes nascamur. Nullo namque medio (uti latius alias exposuimus) ad innocentia legem redire possumus. Quam quippè ob causam in hac nostra christiana cum sui præceptorum observatione, nos salvos fieri oportet, quorum primum, ut baptizemur est (quantum ad parvulos attamen dico) in majoribus natu namque fides præcellere iusta est, baptisma namque ad puritatem illam mortales reducere credimus,

dimus, quam parentes nostri priusquam aberrarent, possidebant, verum corpora in fine demum in omni hac puritate dissolvuntur, unde liquido constat nos quia in peccato concepti sumus minime mori, sed quia vitali arbore pro arbitrio nostro uti non quimus, quod inde sane atque aperte colligitur; cum Deus Adam cum conjugē in exilium ē Paradiso dicens emisit, *ne adhuc forē ex arbore vitæ manducet, & in æternum vivat.* Nam quamvis jam Adam peccavisset, illum adhuc semper si vitali fructu sustentaretur, posse durare Deus ajebat. Videtur etiam eundem sæpè numero ab arbore vitæ cibari oportuisse, nam cum dicitur, *ne etiam manum mittat, & comedat,* apparet ipsum ab eadem arbore aliàs comedisse, quod ad æternam vitam adipiscendam, nequaquam sufficere videbatur, nisi certis in temporibus fructu illo vesceretur. Satis super demonstravimus, quam tenuis eorum consideratio sit, qui Deum iniquum forē pronunciare non timent, cum Matrem corpoream mortem incurrere permiserit. At illud pejus fuisse, si eandem aliqua in anima macula infici consentiret, quam tanta cum facilitate, & sine tantis mediis præservare potuit, quanta ad corporum corruptionem vitandam necessaria fore docuimus. Forē tamen isti illam iniquitatem esse arbitrantur, quia minorem illis quam Virgini prærogativam Deus largitus sit, quamvis Christus illis materiam similem illie declaraverit, ubi de vineæ cultoribus comparisonem adduxit. Quo quidem in loco herum conquerentibus operariis loquentem instituit, illi namque sibi injuriam fieri propterea dicebant, quia æqua mercede secum posteriores persolutos dimitti videbant, quam rem neminem offendisse Domini responsio docet, Cum illis pactam mercedem protinus daret, quamvis cui sibi placeret majora munera largiretur. Quonam pacto, & si Deus Virginem ab omni peccato præservaverit, quæ injuria nobis ob id fieri videtur, quibus optimum in baptisate præsidium cum reliquis convenientiis dederit? Concludebatur præterea in secunda particula; Si Beata Virgo ab omni peccato fuisset præservata illa peccatorum redemptione nequaquam indiguisset. Quis hoc non videt? eandem hujusmodi restauratione egerre non posse, quæ nullius generis usquam peccatum habuit. Cupiebat deinde libellus ille falso astruere: si Virgo MARIA absque peccato fuisset, ipsa per virile semen nequaquam esset concepta, quæ res satis cum facilitate aliàs à nobis probata est, quonam pacto scilicet peccatum originale ob id nequaquam accidere, quia ex viro & muliere gignamur. Qua propter mentionem aliquam hoc in loco facere mini-

tñ negligemus, quia omnes qui pro adversa parte quicquid conscrip-
 sere hoc in principio sua mœnia fundare præsumpserunt, qui cum
 omnes unicum iter agant, sive plures, siue unus sit haud multum re-
 fert, cum unicum cementum, & hic, & illi capiant. Verùm hæc in
 parte saltem (ni fallimur) non rectè senserunt, illic enim præcipuum
 fundamentum statuerunt, quo Christum originis peccatum nequa-
 quam contraxisse probent, quia is videlicet ab homine, & muliere
 minime conceptus fuit, quæ pars nihil ad rem eandem conferre vide-
 tur, uti desuper probatum est, ac in posterum ostendetur. Mihi vide-
 tur omnis illum sequi voluisse, qui in primo argumento aberravit, ne-
 que quantam vim rationis illud haberet considerare curantur, neque
 multum illi profecto, vel in Philosophia præstabant, vel in rerum
 generationem satis periti dicendi sunt. Sanctus Bernardus epistolam
 quandam supra rem hanc ordine retrogrado in primis composuisse
 videtur. Virginem namque ab illius assumptione exordium capiens
 eandem ad conceptionem usque per singulos passus summis laudibus
 profequitur, sed cum illuc perventum est ejusdem Virginis concep-
 tionem absque peccato fuisse nullo modo arbitratur. Cujus denique
 authoris, etsi sanctitate summo affectu, ac devotione probemus, ar-
 gumenta tamen nondum aliquid probare videntur, verùm neque ad
 propositum convenire rectè videri poterunt. Nam cum ostendere
 vult Virginem ante sui conceptionem gratiam recipere minimè po-
 tuisse, illam priusquam esset sanctificatam esse non posse asserit, ne-
 que in ipsius conceptionis instanti divinum munus illud (quam gra-
 tiam sæpè diximus) propter peccatum posse recipere censuit, quarum
 partium nullam intelligere novit, quod faciliter demonstrabitur.
 Jam quippè nos ipsi Virginem priusquam ea esset, sanctificatam
 fuisse minime tenemus, quamvis multum ante temporis privilegium
 illud exemptionis sibi erogatum esset, quo antea quam veniret præ-
 servaretur. Neque originale peccatum ipsum priusquam simus acce-
 dere potest, nec adhuc post aliquot dies ab ipsius seminis emissionem
 supervenit, tunc saltem ab infantibus abstinet, quantum sperma quo
 ipsi constare debent, coagulandi ac se in carnem transmutandi cur-
 sum in utero peragit, per quod quidem spacium cum nondum ani-
 mam ratione præditam nascituri infantes possideant, ipsi priusquam
 peccatum intromittatur queunt sanctificari, qui etsi in existencia
 consistant, à peccato nequaquam maculati sunt. Verùm cum illud
 dicere quispiam vellet noxam illie involutam evenire, cum ipsomet
 semine

femine à progenitoribus emisso id falsum esse aperte constant. Postquam baptizamus siquidem nullum originis crimen nobis super esse, nefas esset dicere, quod in Hæbreis etiam per circumcisionem penitus expiatur; verum tunc culpa hæc evenit cum divina anima illa mortali corpori adjungitur. Secundo præterea in loco Beatus Bernardus ipse dum quonam pacto Beatam Virginem in ipsius generationis instanti propter peccatum sanctificari non posse ostenderet, detinetur, Scire vellem quibus argumentis probaret, ut majus robur peccatum haberet quam ille ineffabilis atque incomprehensibilis Sanctus Spiritus quo ipsam Virginem præveniret, quod quidem inconveniens non parum rationem ipsam expugnare (imo funditus delere) videtur. Si tamen suum intentum fundare excogitat existimans; nondum in ipsam illum sanctissimum spiratum amorem inesse, quia cum salutareretur ab Angelo Spiritus Sanctus superveniet in te dictum sibi est, habemus tamen nonnullis in locis Spiritum Sanctum affuisse à quibus etiam quantum ad sui personam discessisse, quamvis juxta divinitatem is ubique fuisset. tenet itidem Ecclesia divinum ipsum Spiritum quater quinquiesve ad Dominam nostram venisse, veluti in ipsius conceptionis in utero Matris sanctificatione, in Christi incarnatione, in Virginis partu, in Apostolorum congregatione, & in ipsius Virginis demum, vel assumptione, vel in hujusce vitæ meta (si dicere mavis) Unde clarè intuentibus liquido constat, rectè Virgini ab Angelo, *Spiritus Sanctus super venit in te*, dici potuisse, quamvis in ipsius conceptione personaliter adesset: imo tunc ab eodem divino nuncio ipsa plenâ gratia vocata est, cui Dominus tecum est, Angelus de præsentî locutus applicuit, quamobrem futuram gratiam per ipsius almi Spiritûs adventum illi venturam fore, nequaquam credendum est, quamquam indignissimis, & magni ministerii operibus Deus alium Spiritum demittebat, uti in Christi baptismo fecit, in quo nullam tamen imperfectionem inesse dicere sine mortifero scelere possumus. Verum Sanctum Spiritum propterea illic affuisse dicendum est, quia in hujusmodi operibus ipsum interesse maxime convenit. Si deinde qui sub hac catholica religione pugnamus eandem aut similem habilitatem quam Adam habuit (quantum ad peccatum & puritatem) habemus. In principio siquidem post ipsum Adam de limo terræ conditum neque satis amplas prærogativas priusquam animatus esset habebat, in qua quidem conditione mēbra nostra antequam rationalē animam recipiant consistunt. Deinde tamen magna cum ipsis nostris

Parentibus discrimina sortiri solemus, illi namque ingenti puritate atque excellentia præditi, cum animas recepissent, facti sunt. At nos contra eo tunc maculati sumus, qui per baptismum tamen ad innocentiam puritatemque (uti primi protoplasti per morulam illam exitere) restitui mur. Sed hæc præterea originis maculâ depulsâ, nusquam ea hominem repetere potest: quamquam ingentes errores is committat, quam quippè ob causam nullam innoxiam semine quo soboles gigni debet impartiri possunt. Verum tunc obligatio in singulis evenit cum rationalis anima ipsa in corpore recipitur. Adducunt demum, qui adversam partem sectantur, tres quatuorve authores qui Christi carnem in Virgine maculatam fuisse (uti isti asserunt) scripsere, quorum authorum nomina silere non placet illis enim ea sunt: Joannes Chrysothomus; Ugo de S. Victore; Petrus Lombardus, nam non parum ad rem nostram comprobendam illud facere arbitramur cum ipsi affirmant Christi carnem simul cum illa Virginis in generationis momento affuisse. Unde impossibile restat in ea peccatum ullum ingredi posse; cum ad humanam redemptionem ea jam destinata esset, & veluti aliunde mentionem facimus; major Filij error, quam Matri ascribi deberet, si seipsum semper ab omni culpa præservare neglexisset, quamvis eo tunc illi Matrem eo modo fuisse dicamus, quo & ad humanitatem, & corporis lineamenta eas pertinere docuimus. Cum dicitur deinde, si Virgo originale peccatum nequaquam contraxit, eandem à Filii sanguine redimi minime oportere. Hoc sanè manifestum est; Christus namque non ut justos vocaret, sed ut peccatores redimeret in hunc mundum venisse aperte confessus est. Nec id aliunde neglexit, cum sanos nihil medicis indigere censuisset, Ioannem quoque Baptistam Christi sanguine ab hac de qua loquimur macula fuisse redemptum, haud rectè dicere possumus, is etenim ante illius passionem purgatus ab omni crimine fuit, qui cum nulla captivitate obligaretur nullo pacto redimi poterat, quamvis per ipsius pretiosissimum Christi sanguinem gloria illi pateret. Cum dives nanque quispiam proprietatem aliquam comparat, illamque alicui pauperi donat, illum beneficium alteri dare dicimus; sed divitem ob id egenum, vel è servitute, vel è carcere redimere nequaquam fateri licet. Plures namque pauperes in libertate videmus quamvis rerum penuriis sæpe laborent, quo quidem in modo Sanctus Ioannes exiit, qui & sanctificatus baptizatusque ejusdemque criminis nexus evasit, illi usque ambagibus expeditus atque absolutus progrediebatur. Christi tamen

tamen passionem cum sanguine operiebatur, quibus ad Cœli januas referendas tantum facultas inerat, cum tantam itaque munerum largitatem Ioannes recepisset, Dominam nostram redemptam fuisse nequaquam dicere convenit; ea quippè neque aliquo in carcere vel peccati vinculo obligabatur, sed ob id gratis liberata est, ut neque hæc nec illa passione premeretur.

G. Ayora. Si singulis opusculi hujus portiuunculis (ne conclusiones tam ineptas partes dixerim) successivus numerus applicandus esset, fastidium lectoribus haud tenuere credentes ulterius mullitare potius (ne tumultuatim intelligas) sed per Ordinem in reliquis procedemus.

Si gloriosa à Virgo haud Maculam contraxisset, Christus non omnium mediator extitisset. Nos attamen ipsum longe præstantius medium matri quam cæteris hominibus fuisse dicimus, quia nos non nisi post lapsum redimit. Si Virgo MARIA absque peccato fuit Christus pro ipsa haud equidem passus esset neque id ambiguum est cum is illam ante passionem uti matrem, non autem uti communem personam liberaverit, quamvis Christi passio (uti desuper demonstratum est) conveniens omnibus fuit, ut illis gloriam aperiret quamquam eorum aliqui nondum peccatum haberent, jam, etenim nemo in illa prioris innocentiae lege salvari posset; & uti in illa certas condiciones servare oportebat, ut vera gloria adispisci posset haud aliter sanctiones alias in nostra religione observare necesse est.

Cum alia deinde novi fantasmatis existimatione pugnam aggredditur. Afferit namque si Domina nostra Maculam nunquam sensit nec per sanguinem Filii, vel reconciliata, vel justificata fuit. Quis tam ignarus in hujusce generis rebus esse poterit? Ut illam priusquam Deus sanguinem haberet, & conciliatam, sanctificatam divinæ amicitiae Patris scilicet Filique, atque Spiritus Sancti fuisse dubitetur. Ubi arguit præterea Virginem MARIAM per Baptismum renasci si peccatum non habuisset nequaquam evenire. Jam Christus & Sanctus Joannes quamvis sine peccato essent ut legis præcepta observarent fuerunt Baptizati, quod, ubi licuit, copiose demonstratum est. Sinistrum ilico, et si alterius generis ad eandem rem adducit (delirat enim) Si Virgo MARIA se absque vilo peccato fuisse dixisset, merito Filio suo haberetur in gratia. Numquam eandem hujusmodi verba fuisse locutam memoriæ proditum est, quæ cum ab ea dicta permitterentur eum verissima sint, nihil Christi voluntatem offendissent

fendissent, Eaque Dei filio ingrata esse nequaquam poterat: cognoscebat equidem manifestè illum ipsum Unigenitum summi Dei esse, quæ quidem pars cum omni generis ipsius Virginis perfectione hujusmodi, vel excessum, vel defectum (si dicere cupis) procul arceat. Verum hic Patricius vir (quando sibi nomen vel turpe vel honestum vendicare non ausus est) se vel inter tyrannos, vel perversos homines loqui arbitrabatur. Qui Virginem absque ullo peccato semper fuisse promere audeat, Christi dignitatem facinorose, vel tollit, vel extenuat. Quis tam demens est, quòd Deum, vel minorem, vel imperfectiorem propterea esse existimet, quia cuncta quæ fecerat bonitate sint prædita, neque ullam usquam à Deo rem dignam agere possunt, ut quidquam à sua bonitate demat, ut portionem illam rei creatæ condonet. G. Ayora. Is etenim haud aliter indivisibilis est quam infinitus & in sua plenissima substantia contentus, & perfectionem, & moderamen omnibus largitur. Verum hic detineri non licet, sed Virginem, uti alias proculdubio demonstratum est, longe majoribus prærogativis esse perornatam nunc recensere. Alio in membro asseritur; Si Virgo MARIA omni peccato vacaret, pari puritate æquaretur Christo. Eandem illi parem quantum ad partem hanc attinere in communi videtur, non demissa sed spectanda voce canimus; Verum puritas excellens illa alia profecto res est, quæ per accidens fere saltem in comparatione venire conspicitur, Christum namque puriorem quàm Adam esse dicemus nos etiam homines veluti uterque sumus, tantæ vero puritatis minime. Illud deinde ad hanc rem roborandam experientia suppetit, cum tres quatuorve annulos aureos in quibus nihil reliquorum metallorum commixtum sit capimus, quorum aliquis vel XXIII. vel XXIV. (quando ita majores nostri statuere voluerunt) perfectionis gradum habere sentitur, reliqui verò ad eandem perfectionem usque venire accidentia vetere, quos ob id tamen aureos non esse insulsus esset affirmare, neque duo sanguinea animalia æqua magnitudine constituta perfectione varia inter se differentia id ipsum occultant; quo discrimine adhuc manente verum sanguinem convenienter dicimus. Eodem quoque modo de sacratissima Virgine loquimur quam absque originali peccato uti Filium esse, aperte affirmamus, quamvis illi puritate cederet. Si Domina nostra totius peccati expers fuerat Sancta Anna in illius conceptione Virgo fuisset, quod aliunde diffusum probatum est, quonam pacto scilicet matrimonium cessare à Deo imperatum nunquam sit, cujus recta consummatione nul-

um peccatum contrahitur. Virginem sine peccato fuisse dicere, à veritate alienum est, qui hæc etenim, vel hujusmodi garrunt extra belli leges ob suæ dementiae licentiam haberi solent (quamobrem istius modi generis homines Atreguados Hispani appellant) Virginem absque peccato fuisse tenere sacra Scriptura contradicere est, nulla fama dignus ille dicere ausit, quòd falsissimum est; sacra namque, vel eloquia, vel monumenta nunquam tale aliquid affirmasse auditum est, ut Virginem videlicet cujuspiam generis crimine maculam usquam eam contraxisse affirmarent. Christi Matrem peccati contagionem nunquam sensisse affirmare legi est obnixè resistere. Non minus professio Dei Filio Salvatoris quam Redemtoris nomen convenire conspicitur, quamobrem Virginem ante lapsum salvam facere justè dignatus est. At Christum omnes salvare astruere, veritati manifestè repugnat, perfidos namque atque infideles Salvos minime facit, quamquam id eorum culpà proveniat; verum dum idfit, quovis modo id contingat, partem nostram roborat. At Christum universum eorum redemptorem intelligis, & quia is ut nos salvos faceret in mundum venit, & quia mortale genus absque ipsius ope cœlestem repetere patriam nulla conditione poterat, nec aliter qui ipsius doctrinam secuti sunt, & ipsa redemptione indigebant, ut manifestius tamen nos ante peccatum posse liberari ostendamus, haud humanum aliquem vel qui errare posset authorem, sed infallibilem Sapientiam illam adducemus, quæ dum nos ad Patrem orare doceret: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, apertâ voce locutus est. Ubi non solum in mala non incidere, sed ne ab illis nos tentari divina patiatur clementia, supplices Christiani Precamur.

Hæc verba præterea addere, haud inconvenienter nobis apparuit, ut quibus in locis hæc & hujusmodi capitati tractentur, qui investigare velint facilius inveniunt; imo & opusculum illud hinc conviciis apertius atque impetuosius in modestiam tanquam in acerrimum hostem invehitur, nec hoc irritum à nobis dictum arbitretur, dicimus enim id quia nondum in Christiana religione nostra tam horridum execrandumque peccatum mortale tenemus quam tum ab istorum nonnullis originale in Virgine fuisse, ritu potius quam ore proclamatum est, qua in parte illud isti agere apparent, ponderatos pugnos scilicet ad invicem congestos atque structos totius corporis incubitu premere; ut Macula hæc à longè in Virgine videri possit. Aiunt siquidem non solum de debito sed & defacto MARIAM peccavisse,

nec eam peccatum in corpore tantum radicitus sed & formaliter in animam contraxisse asseverant. addunt deinde, imo replicant, Christi Matrem non solum originale peccatum in animam habuisse, sed illud etiam formalem essendi modum ibidem possedisse, qui hoc tumultu atque defrenato impetu procedit: quis tam vecors esse poterit? sive Christianus, sive Monachus, sive Mahumetanus is sit, ut scriptoris istius iniquitatem discernere nequeat, cum tam turpia indebite objiciat, quod nundum illi liceret; cum de inhonestis, atque inimicis personis ageretur. Virgini se deinde commendare desiderat cujus honore veritatem scribere dicit, quæ res haud aliter de eo intelligenda est, quam Crucis signa illa capi debent, quæ ab illis tartareis Niehromanticis cum Demones invocant agi solent, quibus & bonitatem simulare, ut facilius decipere queant. Subjungit demum libellum quam maxime utilem, & de Virginis conceptione verissimum facit. Incipit post authorum dicta coacervare (quas jam authoritates ab omnibus appellari sentio) quamobrem ipso nomine uti quandoque licebit. Adducit itaque duas Aristotelis, & alium quemvis Augustini numerum, nec aliter de singulis quos adducere vult facit nec inde sacram scripturam excludit quod tamen nullo in ipsius loco reperitur; præterquam id quod ab hujusmodi nuper inventis authoribus suo arbitratu exponi assuescit. Veluti sic est, & sic erit (exempli gratia) necesse est sed non quod litteræ sacræ Dominam nostram in peccato originali conceptam vsquam esse dicant, quamvis non parvum præsidium, qui Virginis libertatem denegant, illic sibi invenire præsumant, cum totum humanum genus in Adam peccavisse ab Apostolo dictum adducant; verum is: *Omnes peccaverunt*, dicit, & uti jam probatum est, de omnibus minimè dicit cum seipsum extra manifeste dimittat; quoniam pacto verbum id de illis intelligere licet, quos peccatum sub se continuit, verum quovis pacto qua deinde consideratione Pauli capiamus verba ea largo modo dicta sunt, si illa præsertim recensemus, quibus Deus ipse universim animantibus usus est, dicit equidem: *Delebo mortale genus, quod creavi à facie terræ ab homine usque ad animalia, & reptilia, & usque ad cæli volucres*. At verum Noë non solum pro se Filiis atque nurbus, sed & pro binis singularium specierum animalibus; imo, & de nonnullis bis septem sexu differentes secum in arcam mittere gratiam apud Deum invenit; qui cum tam ampla liberalitate cum tot tantisque animantibus usus est, & in loco ubi tam strictæ angustiz nos omnes strangulari debuisset; credi par fuit: Quisnam du-

bitare poterit? eundem sui unigeniti Matrem ab originali peccato non liberare, cum id longe iustius esse manifestetur. Immo Deus ipse non tam aperte omnes homines peccare debuisse affirmavit; uti cum mortale genus sub undis perdere minatus est, Angelus quoque cum Virginem salutavit dixit: *Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Dominum*, quo in passu ea nihil præter peccatum timere poterat, cui Angelus ilico denunciavit illam intrepidam manere debere, ipsam videlicet à peccato præservatam affirmans, cum gratiam illam apud dominum invenisse dixisset. At uti Paulus omnes cum causati sumus esse sub peccato tam Iudæos, quam Græcos dixisset, epistolam illam, ut malignantes nonnullos reprehenderet describebat, cum etiam ut concordiam benevolentiamque gentibus cum Iudæis posset suadere facilius. Horum siquidem utraque pars, & stirpis dignitate excellere existimabat, alteram verò tanquam probosam aspernabatur. Ut omnes itaque imbecilles à natura esse ostenderet eodem peccati vinculo obligari asserbat. Apostolus tamen nondum in peccato, sed sub eo nos esse affirmat; unde autoritas hæc nihil nos astringere videtur. Jam quippè, & si nos sub Cælo sumus in ipso nequaquam sistimus, nec adhuc perversi homines ab tantam sublimitatem scandent. Quo quidem in modo hac in re dicendum est. Nam quamvis peccandi imbecillitati atque inclinationi subditi sumus, nonnullos inde, & excipi, & reservari sane constat. Verum quia divina lex nos in liberi arbitrij bilance suspendit, ut bonum malumque agere possimus intelligimus etiam non minus, & sub gratia, quam sub peccato mortales omnes causatos esse, quia sanctio ipsa quæ nos comprehendit, haud dissimiles conditiones sortitur. Obligatio enim hæc eodem modo ad Adam atque Evam priusquam aberrarent, veluti ad nos, qui post geniti sumus attinere videtur, suo tempore attinuit. Illi namque facultatem atque aptitudinem quibus peccare possent cum instiganti appetitu qui ex ipsos ad vetitum fructum edendum incitabat plenissime continebant, præsertim quod Paulus de originali peccato hæc in epistola nequaquam loquebatur, verum de actualibus erroribus manifestè ibidem locutus est. Talis siquidem Hæbreorum ac Romanorum controversia erat; quamobrem illos docere volebat, ne alii aliorum imbecillitatem admirarentur. Et in processu Psalmistæ scripturam adducit, in qua & voluptatibus & blasphemis coinquinati homines redarguuntur, dicitur namque ibi: *Omnes declinaverunt, & in utilibus facti sunt*, quod de illis omnibus manifestè intelligitur, qui à vitæ

rectitu-

rectitudine emancipati atque perversi omnino erant. *At non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, verba ista sanè intelligere quimus: *Non est qui faciat bonum*, usque vel ad Christi adventum, vel ad ipsius religionem gratiamvè (si dicere magis optas) Verùm etiam quempiam perfectum virum capiamus, quia jam multi Prophetæ aliqua bona opera faciebant, & sanè vitam tam obnixè colere moliebantur, sed quia ij plenum præsidium habere, vel ad superos salire absque Christi meritis nequaquam poterant, apparet clarè Psalmistam ob id dixisse. *Non est qui perfectum bonum faciat usque ad unum.*

Per plures demum partes constat, David atque Paulum illos tantum hoc in loco reprehendisse, qui mala suo arbitratu committebant, propter originalem noxam namque nemo de iis, qui post priores parentes nostros venit vel execrandus, vel redarguendus est, cum hujusmodi culpæ nihil in nobis sit, quamvis rationi conveniens apparet sortem in qua nos eorum nepotes derelicti sumus conqueri dicimus tamen hoc universim post primum peccatum fieri debere.

Ut literalis sensus autoritatis illius: quæ; *Non est qui faciat bonum non est usque ad unum*, dicebatur, apertius pateat; quid latinorum nonnulli de re ipsa sentiant, in medium adducere placet. Volunt, siquidem illi usque ad unum, omnes concludere, quæ res si sono capitur, aures offendere quoquo modo videtur. Oratio tamen hæc omnestunc circumvallare appareret; si omnes enecati usque ad unum fuerunt, diceretur quanto magis quod *usque* non nisi ad metam quandam, vel loci, vel temporis, vel personæ intelligi magna ex parte assuescit; & uti ampliorem aliàs mentionem fecimus, qui bonum aliquod facerent, semper extitere; quamvis non omnino perfecti essent, quamvis id ipsum non nisi ante Christi adventum dicendum sit, materno præterea sermone dicere assuetum est, omnes vel Saguntini, vel Mutinenses deleti usque ad bruta animalia fuere, quæ in parte intelligimus nullum ipsius gentis hominem ab ipsa clade evasisse, sed quovis modo verba illa intelligantur Prophata illie de certa ac discretâ generatione locutus est.

Mihi videtur hos per rationem nequaquam considerare, quid vel Deus, vel ejus potentia aut bonitas sit, cum eundem astringere atque tractare modo infimo volunt. Quam ad rem hæc verba universim adducimus, quia hominum singuli suos parentes atque Filios ab omni maculæ contagione absolutos faterent, si potestatem atque licentiam ad id peragendum haberent, cum quo tamen quispiam admittatur

miratur, quonam pacto Deus Matri suæ simile beneficium dare voluit. At nos longe rectius, atque facilius id ipsum factum esse existimamus, cum nullus inde naturæ ordo abrumpi videatur, & accidentia ipsa non omnibus necessario evenire manifestum sit, ea enim certam normam nec penitus terminatam habent. At si juxta naturæ merita loquamur, nullam ejuspiam speciei naturam, ut in aliam transmutetur disrumpi apparebit, præter aliquas ejusdem portiones; sed semper atque continue, vel fundamentum, vel origo aliqua illius prioris speciei notat, verum nec experientia nec ratio id permittit; ut quodvis accidens omnes totaliter absque ejuspiam exclusione comprehenderet: ob has itaque similes causas pars nostra à validissima ratione sustineri nitide constat, at adversarii argumentis, ex rebus accidentalibus constructis armati pugnam fidenter aggrediuntur. Nam secundum creationem, & naturæ statuta atque omnium rationem sine peccato esse debueramus. Et quamvis propter inobedientiam hominibus maledictio supervenerit, id contra propriam naturam est. Unde divinam sanctionem depravatam propterea haberi, quia nonnullas personas inde is vel eximere, vel præservare voluisse nequaquam potest. Ob eandem quippe causam ipsius naturæ ordo longè rectius observatur. Et quid originale peccatum sit, & quantas qualesque vires contineat, aliunde minutim tractare speramus, si tantum vitæ terminum Deus dare mihi sua clementia dignabitur, quamvis hoc in fine neminem ob istiusmodi criminis reatum apud inferos relegari dicamus, neque adhuc cum nascimur Adæ similes facti sumus, postquam is divinum imperium transgressus est, post id namque mortalis peccati vinculo obligatus fuit, at nos in exilium tantum devenimus, quòd baptismatis almo lavaero tollere possumus, qui quamvis nequaquam baptizamus, apud inferos propter illam priorem culpam nemo usquam condemnatus est. Illud præterea nequaquam dicere convenit, tantam in illis nostris prioribus parentibus vim inesse, ut totius humani generis vel salvationem, vel condemnationem ipsi habere credantur, sine ipsis quippe jam & multi gloriam consecuti sunt, & alii ob sua nefaria scelera debitas poenas apud manes persolvunt; unde clarè probatur non omnes peccatum necessario ob Adæ culpam contrahere debuisse, præsertim quum plures Deus vias habere noscatur, quibus homines salvare potest; nam quamvis lex nostra universalior cæteris sit, & majus atque validius fundamentum possideat, jam nonnullæ personæ naturæ lege absque baptismo, salvatæ sunt,

sunt, veluti Noë atque alii Sancti Patres. Eodem quoque modo plures circumcisi juxta scripturæ legis statuta à pœna vel ab omni periculo priusquam Christus venit liberati fuere, quamvis ut veram gloriam consequi possent, illum in hunc mundum venturum operiebantur, immo, & in præsentì tempore illi salvabuntur, qui ad sanctam religionem nostram venire contententes volentesque ab hac luce præmatura atque impediente morte migrabunt, quamvis nequaquam baptizentur. Unde omnes eadem mensura metiri, vel idem iter agere, cogi, ut divinam gratiam consequantur, minimè dici par est; modo quo nulla Dominica consuetudo propterea abrupta est; quia Deus illam non uti communem populi multitudinem salvam fecit; præsertim cum non dissimili prærogativâ eandem per ornare oportuit, si cætera ipsius excellentia supra reliquas personas munera existimemus quæ illi apertissimè concessa sunt. Nimirum equidem illud dissonare alienumque à re ipsa videretur; si Dei Matrem, & totius humani generis advocatam, & post partum Virginem, Maculatam dicere conveniret, quamquam hujusmodi, quas ultimas diximus prærogativas à multis quàm maximè dubitari posse, facile esset, si eas experientia non satis valide probavisset, probaretque; nec id sine aliquali de causa cum nulli alteri creaturæ ulla istius generis privilegia concessa sint, verum sine peccato venire, nec nova, nec contra naturam ipsam res est, prærogativam siquidem hanc Deus Adæ cum conjunge simul dedit. Unde Deum sui Matrem minori quam priores Parentes excellentiâ præditam facere nequaquam convenire videtur: maxime cum ipsam aliis multo sublimioribus locis supra eosdem longe præfecit.





F R I D E R I C U S
N A U S E A

Blancicampianus , Ecclesiastes Mogun-
tinus in septem gloriosissimæ Deiparæ
Virginis **MARIÆ** ferias Heptalogus
impressus in 8. anno 1530. Coloniae a-
pud Petrum Quintel.

*In feriis Admiranda Conceptionis glorio-
sissima Virginis Deiparæ **MARIÆ**
logos primus.*



Agne proflus & admirandæ diei agimus memoriam ,
quippè ejus diei , in qua diva Virgo **MARIA** Deipara
magnificè & admirabiliter, stupefcente natura & ratio-
ne, In utero Matris suæ Annæ, Deo sapienter disponente,
sine peccato quidem Originali concepta est. Cujus sanè
rei magnificentiam & admirationem, ut optimi quique clarius In-
telligant de tribus in præsentia dicendum & audiendum est, nimirum
dicere & audire est, quid sit conceptio, quid sit originale peccatum,
& an merito in Ecclesia dies conceptionis Virginis **MARIÆ** sit cele-
brari instituta: atque sane initio sciendum est conceptionem non aliud
esse quam duarum vel plurium rerum comprehensionem, utpote cum
res una ad se aliam attrahit, & ita capit, ut unum ex duobus effici-
tur,

tur, & ſic mulieres concipere dicimus cum in matrice geni tale ſemen apprehenditur ad foetum, id eſt, puerum faciendum, non ſecus atque ſi ſpongia guttam in ſe capit, aut terra tritici granum quod inibi coaleſcens gramen efficitur. Sed nec id quidem eſt in primis prætereundum; conceptionem ſumi poſſe bifariam: ſemel quidem ut ſit commixtio ſeminum in copula viri & mulieris, quemadmodum paulo ante exemplo oſtenſum eſt, de qua conceptione nihil ad propoſitum, neque hodierna ſolemnitas de ea conceptione Virginis creditur inſtituta, cum ſcilicet ſemen paternum cum ſemine materno in loco ſuo eſt tranſfulum, de quo fuit ejuſdem Virginis corpus formatum, quæ dicitur conceptio hominis prima, hæc enim & ſi fuerit ſine peccato parentum Virginis, & ipſa licet ſanctiſſima Virgo ex honeſtiſſimis carnem contraxerit parentibus, tamen caro illa fuit concupiſcibiliter propagata in ſterili tamen ventre, ut foetus inde concipiendus non libidinis ſed divini muneris eſſe dignoſceretur, ut nuper de Samuele, Iſaia, Joanne Baptiſta & hoc genus aliis ad longum diſputavimus, nec eſt hæc in parte quorundam admittenda opinio qua perhibuerunt Virginem MARIAM, ſine virili ſemine & abſque viri & mulieris copula, ſed Spiritu ſancto cooperante, in utero Annæ oſculo utrinque accepto fuiſſe conceptam: quæ nimirum opinio falſa eſt, planeque hæretica, indigna Virgine MARIA, quæ noſtro mendacio non indiget, quæ non niſi veris præconiis vult commendari: præterea concepi ſine virili ſemine de Spiritu Sancto non niſi Chriſto competit, de ejuſ enim ſola conceptione vaticinatus eſt, in hæc verba Iſaias. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejuſ Emanuël*, quod declarans ſimulque confirmans Angelus ad MARIAM ait: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejuſ Ieſum: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiffimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc Eccleſiaſtes *Virum de mille, inquit, unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Altero quidem modo accipitur conceptio pro animatione, quæ fit dum anima ſimul creatur & infunditur à Deo jam in corpore formato, quæ nimirum animatio in maſculino foetu fieri traditur poſt primam conceptionem quadrageſimo die, in ſceminino autem ſexu die octogeſimo, feruntque phyſici à conceptu decimo die, dolores capitis, oculorum vertigines, tenebrasque, ſaſtidium in eibis, redundationem ſtomachi indices eſſe hominis inchoati &c, atque in ea conceptione plerique omnes homines in peccato originali concipi-

conciuntur, adeo ut & sanctus quidam Propheta de se ipso dicat, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea*, & Job ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Sed, inquit quispiam, quomodo contrahitur illud in conceptione & animatione peccatum? nunquid peccat Deus qui creat, aut qui procreat scilicet maritus, ita quod actus ipse conjugatis semper esset peccatum, ut hæretici nostra tempestate nonnulli docuerunt? Respondeo Deum creatorem nequaquam inibi peccare, ut qui non possit peccare, cum peccatum habetur id quod fit contra Deum, & cum sit solum Deus unus, quomodo peccet in quo nihil excogitari queat, nisi quod summe sit bonum? quia & ipse summum est bonum: nec peccat qui procreat in usu conjugali, quandoquidem ipse ordinetur præcipue ad procreandam prolem, in qua Deus honoretur & glorificetur, ut qui & à Deo in statu innocentiae in paradiso fuerit institutus ac sub hisce verbis præceptus: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, qui & sub iisdem verbis post diluuium est à Deo approbatus, & in Evangelio per quem quoque (si in suis perseverat limitibus & circumstantiis) fornicatio ipsa, quæ semper peccatum est, devitatur: qui propterea ab Apostolo dicitur honorabile connubium & thorus Immaculatus: de quo alias plura, ubi matrimonii laudes disputavimus: proinde hic plane sciendum profuerit, originale non esse formaliter aliquid positivum sive in anima sive in carne, utpote non est rebellio illa appetitus sensitivi ad voluntatem, sed esse formaliter privationem & carentiam justitiæ originalis debitæ, quia acceptæ in primo parente & in ipso amissæ nimirum per inobedientiam ipsius, per quam omnes homines ab illo facti sunt filii Iræ, Cui homo statim ut in utero efficitur, obnoxius fit, siquidem ex anima & carne per unionem & conceptionem in utero persona effecta, Adami est per propagationem filia, quæ est debitorum debetque habere justitiam originalem, quam non habet & ideo est sub peccato quod originale nominabitur, quoniam ab Adamo origine omnium hominum est, & mox ab origine hominem afficit, justitia vero originalis est, quam Deus dedit Adæ & omnibus ejus posteris, quæ scilicet delectabiliter ratio obediret Deo, sensus rationi, ac pacifice viveret cum proximo, reddendo cuilibet quod suum est, modò non poneret obicem & impedimentum per peccatum; jam vero quia Adam peccavit per inobedientiam mox illam justitiam originalem perdidit, atque in eo perdidit illam omnes ejus posteris, & facti sunt debi-

tores ejus juſticiæ, earentes ea univerſi filii Adæ, donec per gratiam collatam à Domino ab hujus debito liberantur, alioqui regni aulam non ingreſſuri. Verbi gratiâ Rex quidam Baroni cuidam in feudum tradidit caſſoum pro eo & omni ejus poſteritate promittens omnibus gratiam familiaritatis, & introitus aulæ Regiæ, modo fidelis ſit, nec in regnum ſuum peccet, ſed ſi ille in regnum vel regem ipſum peccat, ipſe caſtrum cum omni ſua poſteritate amittit nec gratiam regis nec introitum aulæ ſortitur, niſi Rex ſponte debitum remittat. Deus eſt ipſe Rex regum & Dominus dominantium; Baro eſt Adam, Cuj ipſe Rex in feudum contulit & ejus poſteris paradifum, ſimulque illi atque ejus ſucceſſoribus promiſit gratiam familiaritatis, ut habeat introitum Regiæ cæleſtisque aulæ, ubi fidelis ſit futurus & in ſe non peccet, quia vero ille peccavit, certe perdidit pro ſe & pro ſuis illam gratiam & introitum Regni cæleſtis atque originalem illam juſticiam : quam Deus juſte ab eo omnibusque poſteris ejus exigit, niſi ipſe remittat per gratiam : quemadmodum ipſe tempore legis in Sacramento circumciſionis quadamtenus remiſit, in lege vero gratiæ Sacramento Baptiſmi, & quidem utrobique per fidem in Chriſtum Jeſum, qui nobis eam gratiam meruit paſſione ſua, ubi enim, inquit Apocalipſis, *lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, hiſce igitur patet, quid ſit conceptio, & quomodo unusquiſque propter primos parentes concipiatur in peccato originali, qua ex cauſa Apoſtolus inquit : *Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei : & iterum per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* cæterum ſola diva virgo inde prorſus eſt excipienda, utpote quæ ita ex utroque parente ſit concepta, ut tamen ab originali peccato prærogativâ ſingulari ſit præſervata, id quod Sanctus Job in Spiritu cognoscens, dum diem, originalis quippè culpæ, noctemque ſubſequentis ignorantia maledixiſſet, ſubdit cap. 3. *obtenebrentur, ſtella caligine, expeſtet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ* quis eſt lux; proſecto Chriſtus de ſe ipſo dicens : *ego ſum lux mundi* quis aurora; utique Virgo MARIA : de qua Angeli, *quæ eſt iſta*, inquirunt, *quæ progreditur quaſi aurora*, utpote quæ ſolem juſticiæ Chriſtum Jeſum nobis exhibuit, quis ſtella? nimirum reliqui Sancti cæteros doctrina illuminantes, de quibus Daniel : qui inquit, *ad juſticiam erudiunt multos fulgebunt quaſi ſtella in perpetuas æternitates*, igitur ſtella omnes, id eſt, Sancti quique obtenebratæ ſunt ab hac nocte originali s

ginalis culpæ, quæ tamen nec solem, nec surgentis auroræ ortum vidisse perhibetur, ut quæ nec Christum Dominum, nec benedictam ejus Matrem prævaluit contingere utcumque concepta in parentibus originali peccato contaminatis, contaminari tamen non potuit divino munere, ut rectè de ea Spiritus Sanctus dixerit: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Hierusalem.* Et rursus ad eam idem: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* scilicet neque actualis nec originalis, à qua te in tua conceptione prorsus immunem, uti decretum est in concilio Basiliensi, præservavi. In hujus itaque admirandæ & sanctissimæ conceptionis divæ Virginis MARIÆ memoria dies hodierna à sancta Matre Ecclesia in toto christiano orbe celebris est instituta, ut in ea imprimis laudemus & deprædicemus gratiam, misericordiam, gloriam & magnificentiam, qua Deus optimus maximus in sua benedictissima filia & Matre exornanda tam potenter quam sapienter usus est; in qua Filius ejus Unigenitus esset inhabitaturus tanquam in suo peculiar, tabernaculo, quod & ipse sanctificavit in ejus conceptione cujus hodiè memoriam agimus, & est sane hæc ipsa Conceptionis dies MARIÆ non minor, immo major die nativitatis ejusdem, quandoquidem nisi fuisset concepta utique nata non fuisset: nec obstat quod nonnulli deblaterant minus rectè illius conceptionem agi, non alterius sancti conceptio celebretur, quandoquidem cur illa non majora laudum præconia haberet quæ cunctis est Sanctis ad omnia major & excellentior ut quæ tanto est cæteris eminentior quanto sol & luna sunt sidera cæteris lucidiora, utpote de qua scriptum: *Speciosior, inquit, est sole & super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior, meritoque inde tantæ Virgini, quæ & Deum esset absque omni nevo paritura, hodierna dies in ejus sanctissimæ conceptionis memoriam est instituta, & quidem hoc tempore in quo salutis nostræ primordia & consideramus & cum gratiarum actione rememoramus, adventus videlicet nostri salvatoris in carnem, in qua nostram operatus est salutem in medio terræ, quæ terra est Virgo MARIA, unde dici solet, *veritas de terra orta est,* atque sane opportune incidit hoc ipsum initiale, ut sic dixerim, Virginis festum MARIÆ Matris quæ ejusdem carnis materiam ministrantis; sicut enim sine Christo nihil est effectum, ita sine illa nihil est reffectum, nec sine ea humanum genus reparatum & quemadmodum nunc ab Ecclesia primus Christi adventus in carnem celebratur, ita & Matris ejus, per quam venire dignatus est, productionis initium, ab eadem solemnifatur die toto*

terrarum

terrarum urbe celeberrima, de & in qua nimirum die omnes ejuſdem
 Virginis, imo ſalutis propriæ amatores, lætari, exultareque debuerint,
 ſiquidem exultaverit Paterfamilias inventa ove centeſima quæ per-
 ierat; ſique mulier illa Evangelica congaudentes invitavit vicinas,
 inventa dragma decima quam perdidit, quanto magis gaudendum
 eſt hodiè toti fidelium cœtui, quoniam inventa ſit illa & hodierna pro-
 ductione initium cœperit, per quam quidquid perditum eſt, noſcitur
 verè tandem inſtauratum? gaudet in Evangelio qui Theſaurum ab-
 ſconditum in agro invenit, & præ gaudio omnia quæ habet vendit
 & comparat agrum illum: multo magis gaudendum eſt nobis ac toto
 corde jubilandum, quia hodiè inventus eſt ager, id eſt, terra cui poſt
 veterem maledictionem benedixit Dominus ab initio lapſæ naturæ,
 quaſitus, Chriſtus Jeſus, *in quo*, teſte Apoſtolo, *omnes theſauri ſapientiæ
 & ſcientiæ Dei abſconditi ſunt*: eſt itaque dies hæc præſens dies exulta-
 tionis & lætitiæ, quæ ab omnibus per Chriſtum redemptis, devotis
 eſt laudibus celebranda, in quam & veteres Prophetæ & Patres con-
 templationis oculum devotiſſime fixerunt, quam & deſiderabant &
 pronuntiaverunt, quorum non inſimus prædixit in hæc verba *Egredietur
 Virga de radice Jeſſe & flos de radice eius, aſcendet, & requieſcet ſuper
 eum Spiritus Domini*: nec enim hæc dies humana eſt devotione inven-
 ta, ſed Spiritus ſancti revelatione inſtituta, ac infinitis propemodum
 coruſcantibus miraculis declarata, quemadmodum & ipſa ſanctiſſi-
 ma Virgo, quæ hodiè concepta eſt non noviter, nec fortuito inventa
 ſed à ſæculo electa, ab Altiffimo præcognita, illi præparata, ab Angelis
 ſervata, à Patribus præſignata, à Prophetis promiſſa, & denique in
 mente divina ante omnes abiffos concepta eſt, utpote prioritate
 ſanctitatis perſonalis, quandoquidem hæc ſola ſit, quæ immunitate
 peccati cunctos etiam ſanctos anteceſſerit quam vel ſolam nulla pec-
 cati macula denigraverit, eſſi enim nonnulli ſanctorum ab omni tam
 actuali quam veniali crimine, ſicut de Joanne Baptiſta pie cre-
 ditur, liberi fuerint, originali tamen culpa non caruerunt, quamvis
 ab ea aliqui (ut de Jeremia ſcriptum eſt) priuſquam naſcerentur
 ſunt mundati; ſola tamen Virgo MARIA ſic ex utroque parente fuit
 concepta, ut ab omni originali prærogativâ ſingulari fuerit præ-
 ſervata, in cujus ſanè conceptionis almæ memoriæ hodierna ſolem-
 nitas toto eſt orbe inſtituta, meritoque ab omnibus Chriſti fidelibus,
 ut dixi, ſumma cum lætitiâ & exultatione percolenda, quoniam in ea
 noſtræ reparatricis anima digne creata, conſecrata & ſanctiſſimo cor-
 poris

pori ita sit unita, ut sine omni peccato originali fuerit concepta.

De veritate vero ejusdem sanctissimæ conceptionis, etsi olim Doctores variè senserint & disputaverint, hodiernis tamen temporibus aliter nec opinari nec docere licet, quam quod illam excellentissimam Virginem nulla neque originalis neque actualis culpa maculaverit, ita nimirum Ecclesia determinante in concilio Basiliensi, in sessione trigesima sexta anno post Christum natum MCCCC. XXXIX. decimo quinto Kal. oct. cui profectò determinationi nequaquam refragari sine piaculo licuerit, utpote suggestæ à Spiritu sancto qui suam ita regit Ecclesiam in omnibus, quæ fidei sunt, ut errare non possit, in qua & Christus, qui est via, & veritas, se futurum promisit usque ad consummationem sæculi, quo nimirum & ejus Spiritu sancto præsentem Ecclesiæ ipsius per concilium representatæ determinatio non potest esse non verissima, in hæc verba habens nos illam doctrinam differentem, gloriosam Virginem Dei genitricem præveniente & cooperante divini muneris gratia singulari nunquam actualiter subjaecisse originali peccato, sed Immunem semper fuisse ab omni originali & actuali ruga, sanctamque & immaculatam tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi & sacre Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam diffinimus & declaramus, nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu dicere; hæc synodus Sancta Basiliensis, quæ & tum præcepit eandem per totum christianum orbem celebrari VI. idus decemb. cui nimirum definitioni assentit & eam planè approbat Spiritus sanctus dicens de Virgine MARIA, *Tota pulchra es amica mea & in te macula non est*; in cujus quoque argumentum & testimonium eidem Virgini, antequam vel conciperetur vel nasceretur, eodem Spiritu sancto suggestore inditum est nomen MARIA, nomen utique illud novum quod ut est in Propheta: *Os Domini nominavit.* quod profectò nomen totius est claritatis nomen, cujus interpretationis majestas omnem ab ejus exordiis maculæ aufert suspensionem: quid enim MARIA aliud quam stella, & stella Maris? & quid aliud MARIA quam vel illuminata vel illuminans? quis autem in stella maculam, quis in illuminante umbram esse putet? atque nimirum recte diva Virgo dici cœpit stella, adeoque rite luci est comparata, quam ut stella & lux suo radio & splendore per loca etiam immunda transit, nec tamen inde redditur immunda; sic & diva Deipera, & si concepta sit in utero Annæ Matris, quæ & peccato fuit originali obnoxia, non

tamen inde ullam contraxit originalis culpæ maculam, adeoque vere de ipſa Spiritus ſanctus dixerit, *sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: ſic proinde authoritate ſcripturarum vere creditur glorioſa VIRGO MARIA ſine omni originali peccato fuiſſe concepta, cum ipſa tam ſit ſancta, ut priuſquam fuerit concepta, ante ſecula ſit electa, in principio labentis ſeculi promiſſa, figuris præſignata, Prophetarum oraculis prænunciata, ſuppliciter ſuſpiriis Patrum quaſita, juſtorum lachrymis parentum obtenta, & ab æterna Sapientia ſibi ſingulariter in habitaculum fabricata; inſuper & ratio ipſa prædocet illam ab omni fuiſſe originali peccato conceptam, ſiquidem congruum fuerit, ſi enim uniuerſa diuino cultui & obſequiis deputata ſancta fore neceſſe eſt, cujus gratiâ & templum, vaſa, veſtes ſanctificari oportuit, quæ & multiplici ſcripturarum teſtimonio ſancta nominantur & ſunt, & quidem ſingulariter pars illa templi, in qua arca Dei ac propiciatorium, unde reſponſa Domini, ſacerdotes populi expectabant, Sanctum Sanctorum dici juſtum eſt, quis obſecro in illius Virginis fabrica defectum vel quidlibet minutulum ſuſpicetur? quomodo non ſanctiſſima etiam in primo inſtanti ſui eſſe oportet, In qua æterna Dei Patris ſapientia non ſolum habitare, ſed & carnem illam, quæ uniuerſa repropiciavit Patri ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ex ea ſumere, & tanta ſibi eandem Virginem cognatione jungere dignaretur, ut merito in eum redundaret tanquam Matris in filium, ; omnis ejus laus & improprium?

Decuit proinde Deum Optimum Maximum ut diuam Virginem MARIAM quæ ſuum eſſet conceptura & paritura filium, ſanctorum ſanctû, præſervaret ab omni etiam originali peccato, maxime quod ipſe tale quid & majus etiam potuit, qui omnia poteſt, cui non eſt impoſſibile omne verbum, id quod & ejus ſapientiam decuit, ut Agnus Dei Immaculatus de Immaculata Virgine generaretur, nec ejus dedecuit Bonitatem, quam decuit ut omnia prohiberet quæ Matris honorem denigrare poterant, quale fuiſſet concipi in originali peccato.

Primò non obſtat quod Apoſtolus dicit per unius hominis ſcilicet Adæ, mortē tranſiſſe in omnes homines, *in quo & omnes peccaverunt*. Reſpondeo Paulum nihil aliud velle quam Chriſtum eſſe generalem omnium redemptorem, ſine quo propter peccatum primi hominis, nullus à peccato eſſe poſſit immunis niſi per gratiam Dei Mediatoris, ſine qua etiam Virgo MARIA peccatrix fuiſſet, quam tamen ab omni peccato idem liberavit per præſervationem quæ plenior eſt liberatio quam

quam purgatio, qua ille in aliis usus est hominibus, nec impedit, quod dici solet; qui *omne* dicit, nihil excludit & ad affirmationem universalis, sequitur affirmatio omnium particularium, at Apostolus inquit omnes in uno Adamo peccasse; ergo nec MARIAM excludit, siquidem procurator etiam teneatur de levissima culpa à quo omnis culpa præstari debuit; sane responderim: universalitatem esse & politice & logicæ. In logica quidem universalitatem, ubi nulla prorsus admittitur exceptio, verum est unam particularem interimere universalem de qua intelligitur regula paulò ante dicta; in universali vero politica ubi locum habet circumstantia & Benigna interpretatio simulq; communis loquendi consuetudo, universalem non perimunt particulares distrahentes, quomodo rectè dici solet, plerique omnes in hac civitate bene valent, Cùm tamen interim sint qui malè valent, ad quem sanè modum omnes rem fecisse dicimus cum illam major pars fecerit, ut apud iuriconsultos protritum invenimus, simile locutionis schema est in Matthæo, qui ait: *Tunc exibat ad eum Ierosolima & omnis iudea & omnis regio circa jordanem*, certè in facto non omnes exiere, credi quidem par est aliquot domi mansisse; insuper inculpatim potest & dici MARIA fuisse peccato originali obnoxia, cum rectè defectus alicui attribuitur vel quamlibet ablati, quando ille eidem ex natura sui convenit, ita nimirum Propheta inquit, Omnes declinasse & factos esse inutiles; cum tamen plerique non declinaverint, & si Deus ipse dixerit omnem carnem corrupisse viam suam, Noë tamen non declinarat, neque viam suam corruerat, utpote quia vir justus & perfectus, Deo ipso testante, qui ad ipsum ait: *ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac*, & de Job quoque idem ait ad sathanam: *Numquid considerasti servum meum, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo?* Et de Zacharia & Elisabetha Lucas inquit quod fuerint ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus sine querela, Sic & Propheta asserit omnem hominem esse mendacem; cum tamen ipsum Daniele, adeoque omnes Prophetas & Martyres fuisse veraces; credimus nempe quòd sancti Dei homines Spiritu sancto sint locuti; nam cum sit Spiritus veritatis, per eos mentiri non potuit, sic etiamnum ait Job: *ecce qui serviunt ei, scilicet Angeli, non sunt stabiles, cum tamen constet ex Apocalypsi bonos Angelos fuisse stabiles: respondeo utique omnes homines fuisse inutiles, mendaces, & Angelos instabiles quantum in se fuisset, quia omnis per se creatura vanitati sub-*

jecta est, nisi fuissent aliqui divinâ præservati gratiâ, sic & Virgo MARIA quantum erat de se ex conditione naturæ apta fuit contrahere peccatum originale, à quo tamen singulari est privilegio præservata, insuper & si lex universalis sit, non tamen concludit ipsum, qui eam condit, Imperatorem qui legi non subditur, sic Christus Imperator qui legem dedit qua omnes propter Protoplasti transgressionem peccato inclusit omnino excipitur, ut qui solus est, qui prorsus ab omni peccato fuit immunis, quem & Propheta intellexit per illum unum, de quo loquitur, sub hisce verbis: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, scilicet: Christum: si proinde imperator Christus à lege peccati originalis est solutus, quis eidem legi credat obnoxiam ipsam Imperatricem, ipsa enim, inquit lex, Imp. 1. Augusta licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ & ipse habet. Cum igitur, ut semel finiamus, omnis ratio, scriptura, figura & synodus sancta planè consonet sententiæ, qua creditur divinam Virginem sine omni originali peccato fuisse conceptam, quis tam procax, & morosus audebit in contrarium sentire? nullus utique nisi qui inops sit mentis, præterea fingatur non satis neque scripturis neque rationibus constare divinam Virginem absque naxo fuisse originali conceptam, ratio tamen naturalis adeoque lex ipsa quæ naturam sequitur nos cogere debuerit; ut eam ab eo peccato fuisse immunem credamus, quandoquidem lex velit, in dubiis semper benigniora esse proferenda, adeoque in rebus ambiguis humaniorem esse sententiam ferendam; at Benignior & humanior est sententia quæ vult divinam Virginem non fuisse in peccato originali conceptam, quam altera quæ contrarium rapit; rectius ergo illam quam hanc credamus, quæ & tendit in gloriam divinæ majestatis, quam & charitas ipsa cogit credi oportere, ut quæ malum non cogitat, quæ & omnia credit. Sancta pia, insuper & merito illam à servitute peccati absolvemus qui ex lege proniores esse debemus ad absolvendum quam ad condemnandum, quod Christus arguit absolvens adulteram sic jurisconsultus in dubia libertatis interpretatione in libertatem respondere jubetur. Casus est in l. Inter pares. ff. de re iud. Subsequens modo est ut qui divinam Virginem malit peccato originali obnoxiam, plane sit iniquus, sic enim vel ideo lex me dicit iniquum quia volo vel nolo quod mihi non prodest sed alteri nocet, quanto magis quod utrique saltem quoad famam nocet, qualis est qui velit divinam Virginem aliqua peccati macula denigrare.

Superfunt, igitur nia quæ postremo velim notari: primum, ut pie credamus in gloriam Dei optimi, adeoque in decorem ejus Matris, divam Virginem ab omni originali & actuali peccato profus fuisse singulari privilegio immunem, de qua Spiritus sanctus, *Tota pulchra es*, inquit *amica mea, & macula non est, in te*; secundum, ut hodiernum diem conceptionis divæ Virginis sincera cum devotione celebremus, in qua Deus sibi illam magnifice & gloriose ab omni peccato præservavit, per quam nobis nostram salutem & redemptionem, scilicet Jesum Christum, nasci voluit, cujus productionem expectabant Patriarchæ, quam prædicabant Prophætæ, quam omnes quos Spiritus sanctus attigerat optabant videre, cujus progressus, sicut per omne resplenduit mundi seeculum, ita in omni suæ æternitatis speculo est digne memoranda: & à nobis præsertim, in quos seeculorum fines devenerunt, quod frigescente charitate, superabundante autem iniquitate majori subsidio indigemus, cujus causa hæc dies hodierna silentio præterita multis retroactis temporibus jam in fine sæculi est manifestata, ut illa magis nostræ defensionis intendat, quo magis à nobis veneretur, quæ nobis concepta, nobis nata, nobis quoque ad cælos est exaltata: ut scilicet suo filio jugiter adsistat, causam nostram semper promoveat, & nos tandem feliciter consummatè eidem regno inseribi impetret. Tertium, ut si ejusmodi suffragio compotes esse voluerimus, studeamus ipsi esse ab omni peccato mudi, in quibus Deus ipse hic per gratiam, alibi per gloriam non aliter atque in templo quodam in salutem nostram sit inhabitaturus, ob nullam enim aliam causam Deus ipse suam matrem ita ab omni macula præservavit quam quod ille qui est sine macula in ea esset, & Spiritualiter & corporaliter inhabitaturus, ipsa enim æterna Dei Sapiencia in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore peccatis subdito. Beatus autem planè est in quo illa inhabitat, ut in quo Deus est omnia quæ ad veram pertinent beatitudinem, quam nobis intercessione Matris suæ præstare dignetur Jesus Christus ejus fructus ventris Benedictus in seecula.

APUD CAROLUM M. DC. XVII. sub signo Constantis

REVERENDISSIMI PATRIS AC DOMINI
D. ROBERTI GAGUINI,
 DECRETORUM DOCTORIS,
 Quondam Generalis Ministri Ordinis
 sanctissimæ Trinitatis , & Redemp-
 tionis Captivorum

T R A C T A T U S
 DE CONCEPTIONE BEATISSIMÆ
VIRGINIS MARIÆ

C O N T R A
VINCENTIUM DE CASTRO-NOVO ;
 ET ALIA IN EAMDEM POEMATA.

Per Fr. Danielem Maillet , Priorem Claustra-
 lem Conventûs sancti Mathurini Parisiensis.

Ad Reverendissimum Dominum D. Ludovicum Petit,
ejusdem Ordinis Generalem Ministrum.

P A R I S I I S,
 Apud Carolum Chastellain , via Jacobæa ,
 sub signo Constantiæ M. DC. XVII.



REVERENDISS. PATRI NOSTRO AC DOMINO,
D. LUDOVICO PETIT,
 DECRETORUM DOCTORI,

*Generali Ministro totius Ordinis Sanctissimæ Trinitatis,
 & Redemptionis Captivorum, Commissario Apo-
 stolico, Christianissimæque Majestatis Consi-
 liario, & Eleemosinario*

Frater Daniel Maillet suus in Conventu sancti Mathu-
 rini Parisiensi Prior Claustralis S. P. D.



Nihil est in hac rerum universitate vita præstantius, ni-
 hil optatius (Reverendissime Domine) : non illa qui-
 dem qua vegetamur, aut quam sensu atque intelligen-
 tia percipimus; sed ea præsertim qua cum Deo ac Bea-
 tis in cælo perfruimur. Hanc autem divina Sapientia
 suis æmulatoribus, suisque cultoribus certò pollicetur

dicens : *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quæ verba, etsi in-
 creata Sapientiæ revelationi primariò ac propriè convenient; re è ni-
 hilominus etiam per aptam, & Spiritui sancto probatam accommo-
 dationem, pia Mater Ecclesia cultoribus beatissimæ Virginis MARIE
 tribuit; quæ ipsam increatam Sapientiam, ut caro fieret, foeliciter
 ventre, foeliciter mente Virgo concepit, Virgo peperit, atque post
 partum virginitatis dignitatem cum maternitatis honore conjun-
 ctam retinuit. Quapropter mirum admodum videri non debet, si ple-
 rique, qui per omnia pœnè sæcula extiterunt viri pietatè doctrinaque
 insignes, hanc gloriosam Verbi incarnati Matrem, ab omni profuso
 peccati originalis labe, primaque naturæ nostræ corruptæ infamia, Hieron,
 vindicare conati sint : in quam non per partes, sicut inter cæteros Adæ *Serm. de*
 filios, Assum.

Ecll. 24.

filios, distributus est divina gratiæ splendor; sed tota ipsius gratiæ plenitudo, atque ipsemet superessentialis splendoris fons sese omnino effuderunt. Olim equidem in ipso labentis hujusce mundi primordio, cum adhuc jaceret inexplicata ista rerum, quam cernimus, varietas, ingens omnia contegebat obscuritas: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*: verum summus ille opifex, lucis pulchritudinusque auctor, sicut sciuit, sicut potuit, sicut suam sanctitatem decuit gratiâ superabundanti *Lucem distinxit à tenebris, vocavitque lucem diem*: Ad eò ut, cum universam primi hominis labentis propaginem, una peccati originalis tenebrosa excæcasset caligo, ipse præpotens Deus cui irrogata fuerat injuria, **MARIAM** lucis productricem, *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ab aliis separavit tenebrarum filiis, solamque servavit incolumem: & æterni splendoris **D I E S D I E I** sublucenti, *Eructavit verbum bonum*. Reliquis siquidem mortalibus originariæ labis contagione infectis, sola **MARIA** de Adam secundum carnem propagata, ab hujusmodi corruptione Filii de ea nascituri merito præservata fuit, ne quid inesset quod ferculum illud mystici Salomonis, de lignis incorruptilibus Libani compactum, auro argentoque & purpura distinctum, Regi in eo quiescenti redderet minus commendatum: dum in aureo illo reclinatorio aliqua notaretur dedecoris macula; ob quam vel tardius illuc adventaret, vel molestia tardioque cœlestis sponsus afficeretur. Vix namque potest censei probabile, ne dicam ullo modo conveniens, mentem illam tam gloriosa Virginis, quæ ad eam dignitatis eminentiam prælecta atque prædestinata, ut Dei Mater fieret, ordinabatur, recenter creatam, citoque corpori infusam, ullo momento fuisse à Deo averfam: aut carnem illam, ex qua substantialiter derivata est, ac desumpta ea i gloriosissimæ humanitatis pars, qua sanctificati sunt, quotquot sanctitatis per Iesum Christum Dominum fuerunt, participes, motibus inordinatis concupiscentiæ, aliarumque passionum subjectam extitisse. Quare adjuvit **MARIAM** Altissimus *Mane diluculo*, vim peccati præveniens, sine velut Adam filia, communi sorde pollueretur. Cæteræ quidem sanctorum *Conturbatae sunt gentes*: & Patriarcharum, atque Prophetarum *Inclinata sunt regna*: **MARIAM** verò *Adiuvit Deus vultu suo*: nec unquam *In medio ejus commotus seu conturbatus est*: quia majorem ei, præ cæteris Sanctis, vel Angelis præstitit gratiam. Quotquot enim fuerunt Sancti, *Omnes in Adam peccaverunt & egerunt gratiâ Dei sanante & purificante*: At hæc Sancta Sanctorum, licet gratiâ Christi præveniente seu præservante indiguerit,

Genes. 1.

Genes. 1.

Ioan. 1.

Psal. 18.

Cant. 2.

Ps. 131

Psal. 45.

Rom. 3.

indiguerit, nunquam tamen ita derelicta fuit, ut in Tyranni infernalis potestate venerit, stipulante pro ea abundantius, ne in eam veniret, aut laboretur, Redemptoris merito; cujus virtute alii omnes, qui ceciderunt, liberati sunt. Non quod minimè concedamus beatissimam Virginem, antequam corpori anima sancta infunderetur, ut illud informaret ad vitam rationalem, fuisse in potentia ad contrahendum peccatum originale, quia de Adam secundum seminale rationem concipi eam oportebat: sed dicimus actum respectu hujus potentiae, in instanti conceptionis articulo, per gratiam fuisse prædeditum, nec ullum subsecutum peccati effectum: quia *Virtus altissimi obumbravit illi: Et apud Deum non est impossibile omne verbum.* Quemadmodum enim Christo Domino resurgente, Petrus & Joannes ad monumentum currebant ambo simul: Sed Joannes, qui, tali nomine prænotat gratiam, *Citius præcucurrit Petro*, qui poenitentiae lachrymis peccati abnegationis absterferat maculam: Ita in instanti conceptionis hujus Immaculatae Virginis, peccatum & gratia ambo simul eucurrerunt: peccatum quidem, quia de Adam secundum carnem sicut alii nascebatur: gratia verò, quia illius futura erat Mater, qui ad peccati regnum destruendum, de Spiritu sancto in utero MARIE erat concipiendus: sed gratia citius præcucurrit peccato. Oportebat nimirum teste divo Damasceno, *Ut ad id quod solum sub sole novum erat ac miraculorum omnium caput, id est, ad incarnationem, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* Propterea natura gratiae non est, *ausa factum antecedere; sed expectavit tantisper natura, alias peccato obnoxia, dum gratia fructum suum produxisset:* qua demum introducta, nullus peccato locus relictus est, cum MARIA tota repleta fuerit gratiâ. Nec est quod dicat, si beatissimam Virginem asseramus sine peccato originali conceptam, eam nos Christo Domino æquiparare, qui solus conceptus esse de Spiritu sancto, & docetur, & creditur: quia omnis sanctificatio à Spiritu sancto est. Respondemus, hoc infra Christum Dominum, beatissimam Virginem habere, quod fuerit carnali commercio procreata: solâque gratiâ ab imminentis labis periculo, quam communiter lege poenali incurrere alias debebat, singulari quasi privilegio præservata: adeo ut non fuerit sanctificata antequam concepta, sed simul & eodem temporis ac naturæ momento, & concepta & sanctificata: *Quia fecit illi magna qui potens est.* At Christus Dominus solus de Spiritu sancto conceptus, quicquid sanctitatis habuit, à seipso, propriaque natura habuit, tan-

Luc. 1.

Ioan. 20.

Damascorat. 1. de nat. virg.

Hesier 15

Luc. 1.

quam unionis gratiæ debitum. Habuit denique hoc supra alios Sanctos beatissima Virgo, quod illi post peccatum, naturâ nondum sanata, vel in utero sanctificati sunt; vel fidei professione, regenerationisvè Sacramento in Christo mundati. Uno verbo dicam: In conceptione Christi Domini, carentia peccati originalis rationem habuit puræ negationis; In conceptione verò beatissimæ Virginis, rationem habuit quasi privationis. Istud in spiritu prævidens beatus Job, cum DIEI conceptionis humanæ, qua ob huiusmodi originariam turpitudinem, inimici Dei constituimur, maledicens aiebat: *Obtenebrentur stella* (id est, Sancti) *caligine ejus: expectet lucem* (scilicet Christum in carnem venientem,) & *non videat* (quia non est inventus dolus in ore ejus) *nec ortum surgentis auroræ*, id est conceptionem beatissimæ MARIÆ, quæ ascendit super omnes peccati nebulas; quasi aurora confurgens, quæque solem justitiæ præcedebat, in sua conceptione: pulchra ut Luna, in sua nativitate: Electa ut Sol, in Christi generatione: Terribilis ut castrorum acies ordinata, in omni vita & conversatione sua. Quæ quidem rationes, si minus convincere vel cogere videantur, sufficere tamen possunt, ut saltem secundum certam præcellentis alicujus decentiæ congruitatem, contrariis sententiis doctorum vel sanctorum, qui olim aliter opinati sunt, satisfacere censeantur: Intentum quippè nostrum etiam illustrissimi Domini Cardinales Durandus & Caietanus admittunt. Aio præterea plurimi faciendam esse fidelium pœnè universorum confusionem, ac pietatem: qui hanc Immaculatam conceptionem sacratissimæ Virginis MARIÆ, tanquam egregium operatæ salutis exordium, divinæque misericordiæ præludium venerantur & celebrant. Contrariæque sententiæ assertionem nunc temporis æstimo temerariam, ac scandalosam; supposita Sanctiss. Domini nostri Sixti quarti Constitutione, & Concilii Basilienfis determinatione: Quam, tametsi illud concilium desiderata confirmatione careat, sacrosanctum Tridentinum nihilominus laudavit, venerationique habuit. Unde non possum non vehementer admirari & condolere, venisse in mentem quibusdam conceinatoribus nostræ tempestatis, ut postposita harum constitutionis ac determinationum reverentia, cum deberent potius, & communi totius Ecclesiæ celebritati gratulari, & fidelium pietati suffragari; contra hanc Immaculatam Conceptionem sanctissimæ Matris Dei MARIÆ Dominæ nostræ, tanquam rem dubiam, ex suggestu ad populum proponendo, ventilant; nec parvum scrupulum auditoribus ingerentes, liberum cuilibet, quodlibet hac de re sentire,

Job. 3.

1. Petr. 2.

Durand.

In 3. dist.

39. Caiet.

30. q. 23.

art. 2.

sentire, credere, & asserere permittunt: ita ut videantur potius in scholis ad subsellia residentes alternis desceptionibus ventilare tam altum, & salutare mysterium, quam id quod sancta Mater Ecclesia Spiritu sancto edocta, ubique passim & colit, & prædicat, piis rationibus commendare, urgere, promovere, Majori verò animi angore cruciatum me sensi (Reverendissime Pater) posteaquam vidi acta viginti quatuor informationum à Reverendissimo Domino Episcopo Hispalensi mandatarum, anno Domini 1615. contra nonnullos in Hispania doctores, qui hanc Dei genitricis gloriolæ sanctam Conceptionem, tandiu universæ Ecclesiæ venerationi habitam, impugnare, non admodum pridem præsumperunt. O deplorandam nostrorum temporum calamitatem, sacra & profana exitiosis dissidiis divexantem. Quamobrem me non possum continere, quin victoriæ ergo, hujusmodi pacis & gratiæ filiis satis notum epilogium incontaminatæ origini tam insignis Virginis Dei ac salvatoris nostri parentis, conclamando accinerem. *Tota pulchra es amica Dei, sponsa Regis æterni, & macula non est in te: nam & benedicta Anna Mater tua, de qua sine peccati labe concepta est mundissima caro tua. Ex te autem natus est sol justitiæ, Christus Deus noster: qui solvens in te peccati omnimodam maledictionem, dedit omnibus benedictionem: & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.* Ea res me ista cogitantem compulit, ut acceptum à vestra R. P. tractatum R. Domini Roberti Gaguini præcessoris vestri, atque pietate in beatissimam Virginem MARIAM, sacrorum Decretorum studio, Ordinisque Sanctiss. Trinitatis rectè moderandi sollicitudine Antesignani: olim prioribus sæculis versibus exaratum, quem de Immaculata Conceptione ejusdem intemeratæ Virginis, adversus quendam Vincentium de Castronovo edidit, ac illustri & percelebri venerabilium doctorum Sorbonæ Collegio Parisiensi dedicavit, perlegerem atque à mendis purgatum, situ squaloreque vindicatum, in lucem revocari curarem. Cujus porro nomine potius quam vestræ R. P. evulgandum censerem, alium neminem perquirere debui: tum ob vestram singularem in beatissimæ Virginis MARIÆ cultum omnibus compertam propensionem: tum in certum ratumque meæ erga vestram Reverendiss. Paternitatem observantiæ testimonium. Quippè cui Reverendiss. Gaguini hæctenus lucubrationes asservatæ sunt: cui quotidie parent illius in decoranda domo Dei, ad imitandum vestigia: cui easdem nostræ religionis, quas ipse olim sæliciter rexit, habenas moderanti, præclara domi forisque præluxerunt tanti viri faci-

cinora : cui denique Dominum nostrum JESUM Christum , opto exoroque ubique propitium ; ut omnibus gratiæ suæ ornamentis illustratum , ad nominis sui gloriam , & nostræ religionis spiritualem profectum : florere eandem vestram Reverendiss. Paternitatem abundaque concedat. Parisiis ex Musæo nostro apud Sanctum Mathurinum , die 19. Aprilis , An. Domini 1617.

Vestra Reverendissimæ Paternitatis obsequentiissimus
Fr. DANIEL MAILLET , Prior *Claustralis.*

AD REVERENDISSIMUM PATREM
LUDOVICUM PETIT,

Decretorum Doctorem , totius sacri Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Generalem meritissimum , de Poëmate R. P. Roberti Gaguini ejusdem Ordinis quondam Generalis , pro defensione Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ , F. Claudius Ralle.

*S*u licet ipsa sibi Virtus moderamen , & in se
Lumine splendet virida Sydereo :

Quæsti nec sit pretio ditanda favoris ,

Cum sibi sit pretium ; cumque sit ipsa favor.

Attamen ut rutilans Titanis Sydus opacæ

Obtenebrant nubes , lumen & eripiunt ;

Vt densâ in cælos sublatis nocte vapores ,

Obtendant claris nubila luminibus :

Sic inimica virum , Virtuti , sæpe libida

Officit , & notum supprimit ipsa decus.

Sic absorbet iners virtutis fata , vetustas ,

Fata piis sane non violanda viris.
 Doctus Apollinea (quid multis?) mente Gaguinus,
 Augusti Triados gloria prima chori:
 Olim mellifluis spirans in pectore Phœbam,
 Verbiparæ cecinit carmine grande melos.
 Grande melos cecinit, sceleris volitante procellâ
 Vincimini, ortum Virginis ipse tuens.
 Ast labor ille diu latuit, jam jamque lateret,
 Qui fuit Eois notus, & Hesperis,
 Nâ LVDOVICE, feres tantis ex versibus ultor,
 Ultor, cujus honos nomen Amoris habet.
 Scilicet ut solvas tetra caligine mentes,
 Quæ longo marcent, non sine fraude, situ.
 Scilicet ut proprio rutilent veneranda decore
 Virtus, quâ nil est majus in arce Dei,
 Sic solem lucere jubes de nocte per umbras,
 Sic vapor insanis solvitur, atque fugit.
 Macete animo, LVDOVICE, tuis nunc utere nervis,
 Virtus in specubus nonnè latere potest?
 Ipse Gaguinus erat Phœbus, nan dispere Cælo,
 Nunc tu Phœbus eris lumina certa vehens.
 Quantus eris quando tua fama vigebit in astris!
 Cum resuscipiens sydera, quantus eris!
 Quidni suspiciens? Cæli nam prima micantis
 Virgo, tuas laudes non sinit esse leves,
 Cum tu sterienti das vitam vitæ Gaguino,
 Atque facem præfers, quâ magis ille nitet.
 Quâ magis ille nitet, sed quâ magis illa cornuscæ
 In tenebris scæda, quæ ruit, hæreseos.
 Hæreseos quis scæda ferat, vel tela, vel arma?
 Arma Stygis dudum vitæ pianda vadis.
 Sol qui flammæ vomâ lucem jacularis habentâ
 Auricomum prope ra fundere ab axe Inbar,
 Quando gygantæo volvuntur tela furore,
 Quæ Christum purâ cum Genitrice perunt.
 Hoc pateris Deus alme? nec audis probra virorum?
 Quid cessas? quatitur Virgo, nec astra moves?
 Impetitur Mater, manet astris fulmen inerme?

Contra
id quod
4. Reg.
19. habe-
tur.

Impetitur Natus ; robora nulla tibi ?
 Diva Parens Christi quæ stella est sospitis auræ,
 Prò pudor ! à multis dicitur esse nocens
 Dicitur à multis quondam transfossa Sagitta,
 Quò cunctos ferit, vulnere, primus homo.
 Heu divum pietas, ò tempora ! nullus avorum
 Religionis honos, Religionis amor.
 Tempora diffugiunt, fidei monumenta sugantur ;
 Atque per errorem gliscit, abique pudor.
 In promptu causa est, vult mens humana subesse
 Cuncta sibi, & proprio claudere jura sinu.
 Non ita Eryibræi veniunt ad vota lapilli ;
 Non ita arena tumet littore fulva Tægi.
 Non patitur Phæbus tenebras, nec frigora flamma,
 Dulcis amara nequit ferre venena, liquor.
 Nam Deus omnipotens rerum cui plena potestas,
 Quod vult ipse facit, quod facit, ipse potest.
 Et non est quisquam qui contra dicere possit,
 Aut penetret Sensum, quo valet ipse Deus.
 Adami quare voluit de parte jacentis
 Condere consortem, qua sine labe fuit ?
 Credis quæ Regina choros supereminet omnes
 Calicolum, quondam criminis esse ream ?
 Quare (si divina juvant oracula vatum)
 Arca ferens tabulas inviolata fuit ?
 Etque suas revocavit aquas Sacer amnis adortum,
 Dum sacra transiret Arca jubente Deo ?
 Ifacidis proles solio radiabat eburno,
 Quòd nullis maculis India mittit ebur.
 Quid multum ? quare stantem Davidis in urbem
 Non valet Assyrius tela vibrare manu ?
 Primus homo Christo nùm præstat conjuge pura ?
 Luce ut homo dives, nec sine nocte Deus ?
 Nùm Regina poli primæ va labis aduista
 Flammis, integris præfuit inde Choris ?
 Quantos (heu) quantos, cælo movisse susurros
 Credendum est, quando Sydera celsa petit !
 Arcane quæ tabulas, quæ virgam, & manna ferebat

Exod. 25.

Iosua 3.

3. Reg. 10

Quàm Mater VERBI dignior illa fuit ?
Dignior illa fuit Iordanis ut unda retorreo
Alveo, de cursu flectat, & illa meet,
Quàm virgo lacura Deum? nec turbo scelestus
Peccati abstinuit quin sceleraret eam?
Quam benedixisti terram, ô Deus, hæccine terra est,
Quæ prius est Satana quàm bene juncta tibi?
An Salomon solio quondam spectandus eburno
Solutus, ut ipse Deus motus, & actus eat?
Virginis in medio nunquam Deus actus, in illa
Fixa sibi sedes, imperiumque fuit.
Vt fuit Assyrium contra, Davidis in urbe,
Cui non tela nocent, Assyriaque mina.
I nunc hæreseos malesuada libido: nequibus
Solvere, quæ sacris juncta fuere modis.
I nunc hæreseos graveolentis virus in Orcum,
Non est mentitus Virginis ore decor:
I nunc hæreseos pestis per saxa, per ignes,
Ignes, saxa seras, hæc tibi sola seres.
Hæc tibi sola seres, ut doctâ mente Gaguinus
Edocet, inque caput sic ruis ipsa tuum
Te renuente nitet Virgo, clarescit, & ardet,
Grandinat inque decus gloria tuta suum.
Hoc, LVDOVICE facis, dum præstas fata Gaguino;
Tela Gaguinus habet, quæ LVDOVICE geris.
Quantus uterque viget fama! sed quanta duorum
Præmia! uterque polo sacra trophæa locat,
Sacra trophæa locat Cælo pietate parenti,
Ast utrique polus sacra trophæa refert.

Per Fr. C. RALLE ejusdem Ordinis Alumnum.



S A C R O T H E O L O G O R U M
 Doctorum Parisiens. Academiae Collegio,
 Robertus Gaguinus in eadem Academia Pon-
 tificii juris Interpres, Ordinis Sanctiss. Trini-
 tatis de redemptione Captivorum Minister
 Generalis, Salutem.

S Cio difficillimum esse de pietate scribenti, etiamsi fidelibus nititur
 testimoniis præterire impune calumnias invidorum. Stant enim
 passim arrectis auribus non tam vindices falsitatis: quam aliorum be-
 nefacta perosi: dum suo nomini id noeciturum putant, quod aliorum
 laudi concessum indignantur. Quod supra aliquot annos comperi e-
 venisse in illo tantillo codice, quem defendendi virginei candoris
 & MARIE innocentiae causâ edideram, insultantibus in me adversa-
 riis, qui jam pridem consuetudinem fecerunt calumniandi quæcunque
 ad conceptionis puritatem afferre solet pietas fidelium. Adeoque sto-
 machosi furunt libidine detrahendi: ut criminis hæreseos insimulent:
 quos in piissimam propensos sententiam animadvertunt. Eam ob rem
 timoratus ipse libellum recognovi: si quid in eo admissem quod
 veritati contrairer, & mihi quidem visus sum intra fidei regulas am-
 bulasse, atque eatenus defendisse MARIE candidissimam puritatem:
 quatenus secundum Christi præcellentem innocentiam oportebat.
 Porro quæ subobscura erant, illustravi: adjectis aliquot ratiunculis,
 quæ adversariorum jactantiæ & gloriolis occurrant. Sed non ideirò
 assertionis meæ securus, emittendam è sinu meo recognitionem arro-
 gavi: nisi prius vestro judicio omnia subjecerem. Itaque quandoqui-
 dem tota Theologiae studii atque certaminis hæc disceptatio est,
 vestrum examen jure subibit, quo permulti olim aut steterunt, aut
 ceciderunt. Quod enim vestro libratum est Scrutinio id sine dubietate
 verum, justumque à fidelissimis quibusque suscipitur. Christianæ nem-
 pè religioni non minus firmamento, quam arrogantiae plurimorum
 formidini semper fuistis. Nam Theologicae sapientiæ & laudis vestrae
 est majorum vestrorum gravis quondam in Joannem de Montefono
 definitio. Cujus defensorum Ebroicarum Pontificem Guillelmum

pœna similis complexa est. Quos ad parem errorem secutus Ioannes Thomas, vestro examine damnationem accepit. Eodem exemplo Adam Sueslionæus plexus est. Nec vestram Gaufridus de sancto Martino censuram evalit. Ioannis Adæ temeritas erroris sui perfidiam vobis insequentibus abnegavit. Sed numquid Petrus de Canchero, Ioannes Nicolai, Petrus quoque de Cheriaco vestris disputationibus superati, publicæ retractationis diffamatione se insignes reddiderunt & famosus? Est profectò sacrosanctum vestrum Collegium adversus falsam doctrinam, constans in civitate Dei præsidium; fidei & pietatis robur, veritatis specula, falsitatis & pseudo-Doctorum vindex & malleus. Ea propter si quid de Virginis immaculata origine à me scriptum & vobis dicatum est, id sapientiæ vestræ decreto probabitur: omnes la-trantium & livoris infidias securus pertransibo: veritate maximè & vestra auctoritate protectus. Valete prosperitate continua vigilantissimi fidei Christi propugnatores. Ex D. Mathurini Parisiens. Cœno-bio. Kal. Octob. 1497.

PROËMIUM ALTERUM
hujus Tractatûs prout extat in editione sacra
Daventriæ per Jacobum de Breda, anno Do-
mini 1494. ultima Octobris in 4.

*Robertus Gaguinus Ordinis Sanctæ Trinitatis de Re-
demptione Captivorum Minister Generalis Arnoldo
Bostio Ordinis Divæ MARIÆ de Carmelo Re-
ligioso professori S. P. D.*

Vicisti metandem Bosti jugi ac pœne importuna postulatione tua, non rusticitate quidem aut duritia aliqua animi tibi repugnan-tem; sed territum difficultate præstandi ejus quod petebas. Est enim Divæ MARIÆ Conceptionis tractatio tam supra vires nostras, quam & gnati ejus à Patre in coelis accepta majestas, & à Matre in terris mortalis naturæ suscepta humilitas. Et de prima quidem Virginis origine, idest, de paterni ut ipsa gigneretur seminis ingestu eum plerif-
que

que longè literatis authoribus Diversa prorsus sententia feratur. Quam proximum arrogantia videri judicabam: si alterum tam variae positionis locum defendendum, tuendumque assumerem praesertim eo genere dicendi, quod ad res coelestes, & divinas, & à nostris omnino sensibus reconditas pertingere non possit, Nam si libera, & soluta numeris oratione nunquam ea quae fidei sunt satis explicantur: quis impedita legibus dictione & versu eadem absolute pertractet? in qua re illud potissimum difficultatem augebat quod neminem mihi ducem intuebar, qui hanc Virginæ Conceptionis provinciam versibus obivisset, Sed nec primum ejus limen numeris attigisset, sicut enim viam semel ingressis nos faciles sequaces adjungimus, ita profecto aperiendæ viæ, atque permonstrandæ rationem inniti, tristisque desumimus. Enimvero nemo, qui cujusvis disciplinae primos ductus extulit non reprehensus est, subeuntibus subinde posteris, qui asperiora æquabilius complanare, & tersius pollire adnitantur, quibus utinam hoc unum illis studium esset, & non legerent aliorum traditiones calumniandi gratiâ magis quàm emendandi, crescerent artes, atque ornarentur, gratiaque iis haberetur & honos, qui tentassent, quive conati essent si non optima, saltem non omninò inania ministrare. Quis enim tam futilis, & minimè habendus author est qui opis quidquam lectori non præstat? Aut enim error nos alienus circumspectores reddit, aut excitat eadem melius concinare, aut id prodit quod nos quærendo lassasset. Ingredientibus igitur nobis viam, quam neminem antea scimus incesisse: tu jam, Bossi, pius cum optimis quibuscumque scholasticis fautor accede, lege hæc prius tibi, & versiculos seorsum nostros experire; non enim in eis exornandis menses plurimos, sed dies triginta ad summum inter quotidianas nostras impeditiones consumpsimus. Itaque ad sexto Kalendas Decembris inchoatos, eosdem quales cernis Dominicus natalis excepit. Illos ergo à te liberos non emittas, nisi pensulatos iudices promi in lucem, an ad me remitti deceant castigatos. Vale ex adibus nostris apud S. Mathurinum Parisien. die festo Divi Stephani Protomartyris 1488.

GAGUINUS BOSTIO.

SI animus tulerat, scriptis non prodere mentem
nec scavis, Bosti, dentibus arma dare.

Vndique nunc frendens spirat con vicia livor.

Sumit & ex arte probra poeta dicax.

Depravat quacunque geras, quacunque loquaris,

Et male (prob) dictis pulpita concrepitant.

Credideram felicem impressis artibus orbem:

Et fuerat, si non verteret hostis opes.

Rara fuit nuper castis facundia Buccis

Nunc strepit innumeris garrula lingua modis.

Hoc undante salo demisit carbasa lembus

Et tuto sese littore continuit.

Sed tuus ignivomo surgens à numine chorus

Impulit insucto nunc dare vela freto.

Solvimus, aspirent Zephyri, trudent que procellas,

Et maris effulgens stella MARIA fave.

Non ego te præter in votis numen habebo,

Numinis es Mater, numine plena veni;

Dent alii veteris sua, Bosti, vela Deabus,

Sit Nereus illis, sit nigra turba comes.

Vnus in astrifero nobis Deus extat olympo,

Et terre, & liquidis qui Dominatur aquis.

Hic Nauclerus erit, hoc & nos remige Pontum

Currimus, evictis syrtibus, & scopulis.

In votis comitare ratem, quam sæpe revisam

Conspicis à notis sedibus ire procul.

Cautibus allisa si forte admiserit undas:

Vel musco rimam, vel pice coge. Vale.

OBSERVATIO,

Versus Robert. Gagui in tractatu ad Arnoldum Bosium sunt 466. in aliis vero duobus originalibus antiquo & moderno ad Universitatem Parisiensem sunt 594.

Cum exemplari Parisiensi extat Caroli Fernandi viri eloquentis in decertationem Venerabilis Patris Roberti Gaguini Generalis Ministri Ordinis Sanctæ Trinitatis de Redemptione Captivorum de mundissimo Divæ MARIE Christi Matris Conceptu adversus Vincentium de Castrovovo Ordinis Prædicatorum commentarium, incipit fœliciter: *Non ambigimus ab Apostolo olim dictum esse & in Adam peccasse omnes, & per unum hominem &c.* Impres. Parisiis 1509. in 4. cum aliis extat in Bibliot. DD. Card. Masarini. De quo nos in altero tomo Monumentorum.

FRAGMENTUM.

Robertus Gaguinus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis in suo libro de Francorum gestis Impres. Parisiis anno 1514. die vero duodecima in 8. Julii folio 12. sic ait.

PER hanc tempestatem Joannes Montesonus Ordinis Dominici Theologus magni nominis Doctor; ad populum de Divæ MARIE Virginis puritate concionatus, eam originali contaminatione reliquæ humanæ propagationis instar fuisse infectam disseruit: Quem alter ejusdem Ordinis Theologus imitatus, cum Rothomagi de re ipsa sermonem haberet: ego, inquit, nili palam ostendero Christi Matrem paternæ originis labem dum conciperetur contraxisse, Huetus appellari non recuso; Est enim id apud Francos nomen ridiculum. Eam ob ré diu in consuetudine fuit ut ejus ordinis Fratres hueti à pueris passim vocarentur. Discussa in præsentia Pontificis Innocentii septimi veritate, procurante maxime Parisiensi schola; Montesonus Parisium redire, & quæ de Virgine temerarie prædicaverat retractare compellitur. *Ad Marginem vero habet. De B. MARIE conceptione contra prædicatores.*

ORSERVATIO

Verus Robertus Gaguini in tractatu ad Anthonium Bottonum sum
 Acc. in his vero duobus originalibus antiquo & moderno ad Univer-

TRACTA-

TRACTATUS
DE PURITATE CONCEPTIONIS
B. Virginis MARIÆ,
Adversus Vincentium de Castro-Novo.

Est mihi mens æquis in te præiuxere telis,
Qui sopita diu reproba bella mores.
Horridatellurem certum est oscenta tulisse:
Dirior insurgis omnibus hydrigenis.
Nec Lernæ tuam natalem prodit origo,
Te genuit Stygio torva Megera lacu.
Atque humili rectum virus diffundere cappa,
Te scelерum, & mortis conditor edocuit.
Dum vultu præcendis orem, dum membra cucullo
Contegis, introrsum viperæ saxa furit.
In Christi Matrem vasto procurrus biatu,
Ut lupæ prælongâ dis cruciata fame.
Undique fulgentem puro candore MARIAM
Impius obscenâ proluis illuvie.
Et circumlato mundi per regna libello,
Scribis originei criminis esse ream,
Talia dum regevis stomachantis pectore probra,
Totus in adversum provocor ire pugil.
Parva Gygantæam pastoris fundula molem,
In caput excussa glande, dedit barathro.
Ille sacer fidiæ superare Georgiæ anguem,
Cui stabat virgo sorte futura cibus.
Nec meus exertis cedit mucronibus ardor,
Qua sua sunt virgo bella MARIA geret.
Confere dira manus, atque instrue brachia telis,
Ardet equus laxis currere carceribus.
Traditur Eoo cum surgit ab æquore Titan,
Esse voluptatis, non sine vere, locus.
Magnus ubi rerum princeps, & conditor orbis,

Hic Vincentius in studio Ferrariensi assidente Hercule regionis illius Duce in magna hominum corona disputans; Mariam Christi Matrem peccati originalis labe pollutam definitivit atque inde librum edidit.

Legibus adjectis vivere iussit Adam.

Sacra loci medio præstabat fructibus arbor,

Certa boni custos, certa ministra mali.

Hujus erat vetitum fructus libare parentes,

Cætera cedebant usus horricolæ.

Credula sed mulier infelix Eva marito

Exhibet exemptum, quem probet ipse cibum:

a Ille suadenti, ne dura fronte repugnet,

Vescitur, authoris immemor, atque sui.

b Mox puduit facti, sensit que expertus, oriri

In semet varias à ratione vias.

Nam concordè prius membrorum lege coibat

Totum hominis regnum: Spes erat una Deus.

Pellitur inde nocens, & pleclitur exul aratro

Poscere humum frugem, quam miser esse queat.

Hinc nata est soboles æterno obnoxia letho,

Cui fuit & superùm Curia clausa diu.

Donec ab excelsis est demissus Patre Redemptor,

Qui se carne hominem proderet ipse Deus.

c Prima hominis labe infecit semine prolem,

Solus habet Christus tergere morte reos.

Persidus his sænum jaculis Vincentius agmen

Armat; & emisso milite pila vibrat.

d Omnis, ait, series hominum pro sorde pæternâ

Inficitur, tantæ ceu rea nequitia.

Hinc Deus æquata damnavit lege nepotes,

Subjiciens culpæ quos generaret Adam.

e Fallere, Vincenti: cohibetur limite nullo

Conditor, & liber omnia vult, & agit.

Illaqueat, solvit, punit, miseretur, ut orbis

Rektor, & antistes, arbiter, & dominus.

f Furari scelus est. Sed nonne Ægyptia Moses

Vasa ferens, furti nescius excipitur?

Nunquid & ille Iacob dextram mentitus Esau,

Dum fallit Patrem, dona beatus habet?

Quæ daret illa locum fraternæ sanctio fraudi?

En Deus impune præterit acta Iacob.

g Non turpe est quodcumque jubet complere Creator,

a Initium
peccati o-
riginalis.

b Effectus
peccati o-
riginalis.

c Pœna pro
peccato.

d Peccati
macula
transit ad
posterios.

e Ratio
adversarii.

f Solutio
Contra-
rii, quia

legis dis-
pensator
est Deus

g Proba-
tio per e-
xemplum.

h Deus le-
gibus est
solus.

Qui cælum, & terras lege solutus agit.
 Sic valuit ritum nascendi, & mentis habendæ
 Dispensare potens in Genitrice Deus.
 Majestatis erat noxâ subducere Matrem,
 Quæ sola in cunctis libera face foret,
 Talis honor decuit venturi Regis alumpnam,
 Et matri gnatus debuit esse pius.
 a Prodiit edictum, Romam cum Casar habebat,
 Impositis scribi censibus omne solum.
 Quis neget Augustum potuisse remittere Troia
 Vestigal, latio ne daret ara Remo?
 b Tempus ubi advenit peccatus solvere fontes.
 Et carnis sanxit Christus habere togam:
 Conversa est natura. Parit longaeva virago,
 Non satus inclusum ventre salutat herum:
 Nescia concubitus supero stillamine Virgo
 Fert hominem pura virginitate Deum.
 Nec dolor à partu, nec anus industria Matri
 Obsequitur, gaudet virgo puerperio.
 Bellua Vincenti ignoras hæc (lege soluta)
 Facta Deo auctore, cui savet omne quòd est?
 c Signa prius tanti exstarent ingentia miri,
 Arida gestanti florida virga fuit.
 Transit ab Ægypto populus qua stagna fluebant:
 Nec secus ac muro clausa fuere freta.
 Libera sic oritur virgo, nec originis humor
 Inquinat, hanc Stygia sic reveretur aqua.
 Cur ita? siste pedem, Vincenti, vera docebo,
 Nec te discredite quâ suris, impietas.
 d Hac una est Virgo quâ cervix tunditur anguis,
 Credula cui miseris auribus Eva fuit.
 Principium vitii tulit Eva, MARIA medclam,
 Hæc vitæ porta est: mortis ut illa fuit.
 e Eva, parens scelerum, rubuit se noscere nudam,
 Hanc contra vitium præstruit Omnipotens,
 Mirandis rebus decuit miranda præire,
 Nuncia candoris quo pia virgo nitet.
 f Ecce iterum insanis, & Christi sanguine lotam

a Alia probatio sūpta ab Imperatoris edicto.
 b Sicut in adventu Christi multa præter legem naturæ facta sunt, ita præter legem communem potuit Deus creare Virginem sine originali culpa.
 c ratio per allegoriã ex figuris vet. Test.
 d Ratio sūpta ab eo quod scriptum est, ipsa conteret caput tuum.
 e Contraria contrariis curantur,
 f Ratio adversarii

a Non solū Maria,
 sed etiam
 angeli redemptio-
 nis Christi
 fructū
 acceperūt
 secundum
 B. Bern. in
 22. ser. su-
 per Cātica
 b Exēplū
 à medico
 curante
 febrem.
 c Ratio
 adversa-
 riū, nihil
 de Deo
 asserendū
 esse sine
 testimo-
 nio scrip.
 d Solutio,
 quod ali-
 qua cre-
 duntur si-
 ne testi-
 monio sa-
 crarum
 Scriptura-
 rum.
 e Multa in
 Ecclesia
 fieri & cre-
 di cōsue-
 tudine.
 f Ratio

Clamans, admitto; sic tenet alma fides.
 Solius est Christi dono genus omne redemptum,
 Nec tanto eximitur munere munda parens.
 a Ille nec angelicus qui stat clarissimus ordo:
 Hoc tanto fructu se caruisse feret.
 Sed plaris longe est lapsu servare cadentem,
 Tergere quam lapsi sœtida terga luto.
 b Gravior est veniens præ morbo cura medentis,
 Quam febrem passo mox revocata salus.
 c Desuper à mente nil, inquis, dicere fas est:
 Cum diuina fidem littera nulla facit,
 Cum ergo assumptam carnis cum mole fateris?
 d Id nullo veteri pagina teste probat.
 Sed nonne assentis surgentem è sanere Gnatum
 Mox matri visum? qua tibi lex? Pietas.
 Pleraque sunt sacris sine restibus edita, quorum
 Stat mensura fides, & pia religio.
 e Omnia non lege quæcumque Ecclesia servat
 Procedunt, constat moribus esse locum.
 Ducitur humano per sæpe Ecclesia iussu,
 Cui resistere nefas est, obedire salus.
 Nunc age, Vincenti, & vim nostram perfide senti,
 Quam regit & firmat intemerata fides.
 f Quæ magis est Christi vel mors, vel vita putanda?
 Quæque sacris colitur, & celebranda datur.
 Quidni igitur vitæ sanctos concedis honores,
 Sicut & extincto munda sepulchra damus?
 A cruce pendentis pia curans funera Ioseph,
 Syndone candenti corpus inane refert.
 Et quo nulla prius famies illata fuisset,
 Exanimem busto condit odorifero.
 Tu (scelus) hospitium formandæ carnis Iesus
 Peccati macula polluis, & temeras?
 Te pudeat vivam vitiatò inferre locello
 Quem sœde enectum nobilis urna capit.
 g Eva nocens mater gentem emixura caducam,
 Candida de puro produxerit esse viri.
 Spirituum genitrix recurrendi sarculus orbis

Venerit in tenebras sordida? non fateor.
 Sanctus & omnipotens (Vincenti crede) paravit
 Augustum prorsus calitūs accubitus.
 a Nec binas jactēs nascendi existere formas,
 Seminis, & fusæ per sua septa animæ.
 Neutrum regnantis præventu culpa subegit,
 b Protegit à Boreâ prævia dextra facem.
 Et tua despicimus, Vincenti, instantia: dum vis
 Anxius accepti scire minuta boni.
 c Scilicet (ut perhibes) punctum signetur oportet
 Lumen ubi primum cœpit, & enituit.
 Præ factores est, præcedunt vasa liquorem;
 Ergo præit luci sanctificanda parens.
 d Ergo MARIA priusquàm lumine clara niteret,
 Fusca fuit labe carnis origineæ.
 In scirpo nodum, & festucam in stramine quaris,
 Quaris & in liquido lumen, & astra polo.
 e Ingens artificis suspendit gratia legem,
 Purius ut matrem fingeret ætheream.
 Principio tota (laxâ caligine) fulsit,
 Et plenè irradians prævaluit nebulis.
 Haud aliter fulgor (suppulsâ nube) coruscus
 f Promicat, & purâ lampade lustrat humum.
 Aspice dum mentem carni Deus indit ab alto,
 Et creat, & fundit, vivificat quæ simul.
 Sic vitam, & lumen uno spiramine Matrî
 Contulit, instantis nulla minuta sequens.
 Extremâ dum gente petunt connubia reges:
 Nonne vides promptè libera multa dari?
 Nuntius it præpes, qui flumina, castra, meatus;
 Regina expandat, tota tributa veter.
 Plebs omnis festiva canit, vacat ipse senatus,
 Vnâ omnes nuptam plausibus excipiunt.
 Stans navi exactior non instat quarere Naulum.
 Non biat ad stipem janitor ædituns.
 Præterit intereâ immunis Regina tributum,
 Libera sit sponsi munere tota sui.
 g Haud minus adsitam thalamis regalibus Anne

sumptâ à
 Christi;
 sepulchro
 in quo
 nullus an-
 te eū po-
 situs fue-
 rat.

g Alia ratio sum-
 pta à pro-
 ductione
 Evæ, quæ
 de pura
 costa Adæ
 formata
 est.

a Ratio adversarii
 ponentis
 duas conce-
 ptiones
 b Solutio,
 quod præ-
 ventâ fuit
 MARIA
 ne caderet
 c Ratio ad-
 versarii
 de instâti
 purgatio-
 nis & cõ-
 cept.

d Res præ-
 extitit
 qualitati.
 e Solutio
 supra ab
 omnipo-
 tentia Dei

anima
 qua cre-
 ando in-
 funditur.
 Ratio sū-
 pta à Re-
 gum nu-
 ptiis, qua-
 rum tem-
 pore fit à
 multis
 servitiis
 vacatio.

g Applicatio
 similitu-
 tudinis ad
 propo-
 situm.

a Proba-
 tur hoc
 loco mul-
 tis signis
 & ratio-
 nibus Vir-
 ginē Ma-
 riam sine
 parentum
 pruritu &
 libidine
 fuisse cō-
 ceptam.

b Exem-
 plum ab
 incubis.

c Exem-
 plum ab
 Oſſea Pro-
 pheta.

d Proba-

Progeniem verum machina laeta colit.
 Serva Dei natura audit quaecunque jubetur;
 Et tremit agra caro, se retegente Deo.
 Callidus & culpa coluber suggestor iniqua,
 Temperat occultis proderet se latebris.
 Hoc more exurgens terris liberrima Virgo,
 Exuperat tenebras sydere fulgidior,
 aVlla nec infecit gignendam sœda libido,
 Qua prurire patres qui potuere sacri?
 Cur neget alma fides sudoris more liquari
 Semina posse viris, dum pia vota gerunt?
 Atquè equidem credo (salvâ pietate) **MARIAM**
 Pruritu nullo gemitis esse satam.
 b Si potis est jactum stertenti abducere semen
 Incubus: & fœtus indè fovère novos:
 Cur hominis virtus usu firmata pudico,
 Necnon & jurgi trita labore caro?
 Non sese excutiat dum format semine prolem,
 Et reddit casto debita jura thoro?
 Adsit præsertim si magni jussio regis,
 Qualis in amplexu cum tulit Anna virum,
 c Ille vacat noxâ, nec stat pollutus Oſeas
 Castus in assumptâ dum meretrice coit.
 Stat virtus domini fortis disrumpere Cœlos,
 Et te nubifragis perdet e fulguribus.
 d Ecce aded agrotum truciâs agit ignea febris,
 Afflicta ut maneat nullus in ore sapor.
 Et fidei plerisque calor, pietasquè perurit,
 e Iam nudo ut prunas spernere caleo queant.
 Cantavit Daniel flammis circumdatum hymnas,
 Num cratem Martyr pertulit intrepidus?
 f Gratia cur nequeat arceato fomite luxus,
 Claudere dissuetis regna libidinibus?
 g Stoicus, exacte scrutatus plurima, certat
 Munere virtutis sistere sic animos,
 Ut nullo insuleu vident. Tanti valet usus,
 Suetus & ateneris vincere dura labor.
 h Sopor & ars carnem quam scindere durus Alipres

- Audeat, illa nihil sensit, abestque dolor.
- a Adde quod & patulo spectamus lumine multa,
Ectasis hæc eadem cernere sæpè negat.
- b Constitit ad modulos ceu saxum immobile nupta,
Nec dulci fracta est carmine Cæcilia.
- c Non titillat odor spirans opobalsama nares,
Cum malè mundus olet, & benè Christus olet.
- d Tangimus, olfacimus, audimus, vescimur, atque
Possumus illæsi cernere criminibus:
Quid causa dicas, cur cum domet ignea virtus
e Lascivum in membris, atque perulca liget?
Sacro igitur completa caro divinitus imbri
Dans operam gnati, non cupit, & generat.
- f Non dederim cunctis hoc munus, sed quibus alget
Mens vitio, & totam spiritus intus alit.
Scilicet ut quæquam factu mirabile pangat,
Quod verè exhibuit in Genitrice Deus.
- g Sicut opus moriens nimium memorabile fecit,
Sic longè stupidum præbuit adveniens.
Insultas iterum, & plantâ sublatus inani,
In jugulum sicam (si patiamur) agis.
- h Excisa est, inquis, non munda carne puella,
Peccatoris Adæ, quo cadit & soboles.
- i Bellua quid ringis? Lucas testatur Adinâ
Mole sarum Iesum, nunquid & ille ruit?
Non cecidisse Deum summa virtutis habetur,
Hanc stare integrâ muneris esto Dei.
- k Sed prior est Gnato: prius & genus omne parentum est.
l Certa quibus Christi passio facta salus.
Nunquid & illa mori præ Gnato Virgo valebat?
m Quem dabis absumptæ, dum cadit orbe, locum?
An Geniti potuit finus præcedere Mater?
Non. Erat affixi congemitura necem.
Quæ scripta solo stamen præscinderet ævi,
Quo migravit Enoch, foridè migrasset ovans;
Aut sede illustri superis comitata maneret,
Dum peteret Gnatus regna beata Patris.
- n Hoc tamen arcanis clausum penetrabilibus esto,

tur mul-
tis expe-
rimentis
fieri posse
e A sensu
tactus.
f Cōclusio
per simile
g Arg. à
Stoicorū
opinione.
h A Chi-
rurgia.
a A sensu
visus.
b Ab au-
ditu.
c Ab ol-
factu.
d Epilogus
e Cōclusio
à majori.
f Tempe-
ramentū
proximi
superioris
dicti.
g Arg. à
compara-
tione fa-
ctorum
Christi.
h Ratio
adversarii
i Solutio
per illatio-
nem in-
conve-
nientis.
k Ratio

adversarii
l Solutio
per quam
ostendi-
tur quod
Virgo an-
te Christi
mortem
mori non
debit.

m Ratio
adversarii
n Tepera-
tio dicti.

a Ratio
adversarii
à defecti-
bus corpo-
ris ducta.

b Solutio
per illa-
tionē in-
conve-
nientis.

c Alia so-
lutio per
distinxi-
onem de-
fectuū in
homine.

d Quare
in Maria
fuerunt
defectus.

e Quibus
defecti-
bus caruit
Maria.

f Ratio
adversarii

- In flatum prudens mittere nolo manum.
Cætera quis pugnas temerarius undique pila
Confringam, ut pœnas des celer, & miseris.
a Diræ, inquis, pestes quas fert humana propago,
Vexavere ream, mors, fitis, æstus, hyems
Cura, labor, somnus, dolor, ægra senectæ, famesque
Fomitis est tantum noxa repressa mali.
Criminis hæc signant tractus, quo culpa nepotes
Aurgante malo ducit, agitque suos.
b His quoque, Vincenti, poteris transfigere Christum,
Efurit, fixit, languit, emoritur.
Iam nervum intorque, feries vibramine eodem
Et matrem, & genitum. Nunquid uterque cadit?
c Morborum genus est humano in corpore duplex,
Vnum quale tibi nascitur à proavis.
Naturæ commune malum, quod propria nulla
Culpa facit: sed edax est vitians caries.
Nempe fames & mors (nullo peccante) maneret,
Nam pugnae quod est conditione, fluit,
d Has sine laborulit præcellens scæmina pœnas,
Quippè quod ad meritum talia semper agunt.
e Alterius (quo fit ad crimen semita) morbi
(Fomes, ut & rerum nescia pigrities):
Expers Virgo fuit, quamquam pro lege facemur,
Illa sequi, imperium sed tenet omne Deus.
f Rursus id oppugnans, similemque accedere gnato
Matrem indignaris, undique si micuit.
Altera sed Gnati, Genitricis & altera lux est,
Ille sit; & semet fingit ut omnipotens.
g Cui nihil, & quicquid nibilo sit pareat, & audit,
Nam sum cuncta Deo seu sua serra fabro.
h Cum prius accessit nostras legatus ad umbras,
Protinus hæc carnis par homo sustinuit.
Non sordem aut miseri subolentia probra parentis,
Sed quibus extabat corpore pressus homo.
i Majestas potuit cæno sarcire togellam,
Fœtida quam prorsus mendula nulla notet.
k Quod de se negueat limo formanda puella:

- Ni jurvet hanc, cui sit mater habenda, Deus:
 Ille suâ solus naturâ est criminis expers,
 Hæc præfulta pio lumine, sorde caret.
- a Hinc sibi fecisse congaudet magna potentem,
 Dum Matris vatem visitat Elizabeth.
 Magna humilis dixit, quæ prorsus maxima constant,
 Namquæ aliis retrò præstita magna legis.
- b Ecce duos tradunt divina volumina vates,
 Vix fictos animis mente fuisse sacros.
 Grandia si magnis, cur maxima quæque negemus!
 Præbita majori, quæ præit una Deos?
- c Quam vestit pulcher radiorum lampade Phæbus,
 Cujus obit nitidos luna corusca pedes.
 Propterea totam conclamant Cantica pulchram,
 Prorsus & infecta facis habere nihil.
- d Hac illa est, veterum pulchrè signata figuris
 Fæmina, quæ vincat Zeuxis & artus opus,
 Cui cedit Rachel, cedit pulcherrima Iudith,
 Et formosa Esther cessarit, & Noëmi.
 Nec Sara Abrahami, quamus miranda, præbit,
 Fæmineum superat omne MARIA decus.
- e Trinaquæ cum tantum referantur monstra reatus,
 Fomitis, & venia scilicet & sceleris:
 Primi vis nulla est, venialis nulla favilla
 Obsuit. An sceleris? furcifer hoc videas.
- f Dum loquimur crimen, & mortis noxa remordet,
 Sit procul à nostris candida Virgo probris?
- g Credimus hanc tantam Cæli sub numine Matrem,
 Mens poterit quantam noscere, ducta fide.
- h Plura quid oblatras, quid frendes perfuga nequam?
 Sentio quòd refugis, quâ struis arce dolos.
 Vos, ô sancta cohors Doctorum, in prælia longo
 Agmine deductos percipit esse duces.
 Ipse libens vobis dum vivo, & persfror aura
 Obsequar, & laurenis vos reverebor avos.
 Hoc tamen impetrem finite, atque ignoscite Divi
 Dum pietate calens Virginis arma sequor.
- i Sævus ut hostis avertet, si spicula mittitis arcu,

supra ab
 ina quali-
 tate inno-
 centiæ
 Christi &
 Mariæ.
 g Solutio
 ex modo
 innocen-
 tiæ habite
 in Christo
 h Quos
 defectus
 Christus
 contraxit.
 i Ratio ab
 omnipo-
 tentia Dei
 k Mundi-
 tia & in-
 nocentia
 in Maria
 sūt à Deo.
 a Quod in
 Maria
 Deus ma-
 xima fecit
 b Proba-
 tio ab ex-
 emplo eo-
 rum quos
 Scriptura
 tradit fui-
 sse in ute-
 ro sanctifi-
 catos.
 i Probatio
 à Scriptu-
 ris divinis
 d Præfigu-

ratio pu-
raris Ma-
ria in fee-
minis ve-
teris te-
stamenti.
e Triage-
naria rea-
tus, quoru
nullum
fuit in
Virgine.
f Ab Au-
gustino.
g Ab An-
selmo.
h Alia ra-
tio adver-
sarii du-
cta à Prif-
cis Do-
ctoribus.
i Respon-
sio ad di-
cta Do-
ctorum.
a Incon-
veniens.
b Exposi-
tio Do-
ctorum.
c Suasio
per alle-
goriã ve-
stimento-
rum & ce-
remonia-
tum vete-
ris Sacer-
dotii.
d Alia sua-

Latiferum Diva scordio vulnus aget.

- a *Fit rea, sit castris non digna aliquando supernis,*
Sed nec amata Deo, puris ut unda mero.
Quod scædum, & turpe est, nec fida admitteret auris,
Publica nec recipit (parcite) vestra fides.
- b *Sentio qua vobis sententia federit olim,*
Omnia communi subdere lege placet.
Non arctare Dei mundi moderantis habenas
Mens est, ut nequeat solvere, qua voluit.
- c *Pura Sacerdoti pracincto altaribus olim*
Cydaris, & candens linea vestis erat.
Quem vetitum scimus scædum tractare cadaver,
Nec sinere extinctis sacra nigrare focis.
- Pontificem sic credo novum, qui sanctior esset,*
Cælius & Patri victima digna foret.
Verbi paræ thalamum velis ornasse coruscis,
Vnde sit à puro factus ad astra gradus.
- Primo mortiferam qui nec contingeret alium,*
Sed fieret mortis, morte Redemptor homo.
- d *Quid panem Angelicum scædo prohibetis ab ore,*
Si carnem impuram primitus incoluit?
Vna fidem servat Christo moriente MARIA,
Vna habeat terris libera colla iugo,
- e *Vna fores Cæli vobis concepta reclusit,*
Vnam præ reliquis concio vestra colat.
Ne si contactam dicetis origine Matrem,
Et Christus ab immundo sanguine membra ferat,
Quæ fuit atra situ contaminat ollâ liquorem,
Et tristem subolet illita crusta picem.
- Virgineos igitur fermenti nullus amator*
Asperet exortus: Sit mera, sit simula.
Non vos oblectet duplex conceptus, ut hostis
g Suggesterit, omne tulit gratia præveniens.
Et pius antiquæ posuit retinacula legi,
Dum novus ex veteri conditur alter homo.
Lux comes è superis toros radiavit in artus,
Et brumam impendentem expulit Astripotens.
Sic prætentæ diu sacrorum oracula vatum,

Edita sic cælo signa relata probant.
 a Cui natura dedit miris compagibus artus,
 Addidit & lucis munera vis Domini.
 Perspice, Vincenti, quo me pius crebit ardor,
 Eloquar audenti carmine quod sapio.
 b Congruit hoc Gnato penitus lucescere Matrem,
 Si decuit, voluit, si voluit, quid obest?
 c Quod decuisse liquet, ratio nec pugnat, id ipsum
 Et dico, & clamo velle necesse Deum.
 d Qui legem tulerat venerari corde parentes,
 Omnino in Matrem jure benignus erit.
 e Belliger ut Josue tutetur ab hoste! Gabaon,
 Stare polos iussit, Sol retroflexit iter.
 Nec Ducis edictum sprevit regnator Olympi,
 Hostibus exitium sit remorata dies.
 A Pharaone volens populum servare Creator,
 Fert elementa suo cedere quæque foro.
 Nilus agens ranas fundit pro pisce cruorem,
 Dira locustis solum, corpora vermis edit.
 Hæc natura negat, prohibet lex, abstrepit usus,
 Esse tamen cernis prasidè facta Deo.
 Sic Pater Omnipotens populi perennis amator,
 Dum studet oppressis, & dare tutor opem.
 Legibus imperitat, jubet in statione teneri
 Progressus rerum, dum sibi constet opus.
 f Attamen interea superi de numinis actis
 Disputat argutus; si Deus astra regit.
 Os sursum profert, cælos & sidera supra
 Scandere conatus ponè tribunal Eloy.
 Atquæ iterum humano rimatus robore turrim:
 Concrepat ut Nembroth vocibus omnigenis.
 g Nec recipit demens, ut noctua Sole laborat,
 Lucifer ut toto fulminet astra polo.
 Ardua scrutantem sublimis gloria fallit,
 Numinis objectu mens hebetata jacet.
 h Dicite quos torquet scrupus tam cæca videndi,
 Quâ magnes ferri pondera vi rapiat.
 Qua brevis Echinus (nec enim plus ille pedalis)

soria ratio per similitudinem corporis Christi in sacramento Altaris.
 e Alia suasio ex gratitudine.
 f Alia suasio ab inconvienti.
 g Modus præservationis Mariæ.
 a Suasio à minori ad majus.
 b Ab Anselmo.
 c Ratio ab eo quod decet.
 d Ratio à lege, quæ est de parentibus honorandis.
 e Ratio sumpta ex eo quod Deus prodebandis Gabaoni-

tis solem
fecit stare
ad preces
Iosue.
f Contra
curiosos
disputa-
tores de
operibus
& omni-
potencia
Dei.
g Mens
humana
deficit à
confide-
ratione
Dei, sicut
visus noc-
tue à sole.
h Homi-
nes defi-
cere à Dei
cognitio-
ne eū ip-
si secreta
& occulta
naturæ
non cog-
noscunt.
a Torpe-
do piscis
b Aranea.
c Apes.
d Draeo.
e Ratio
confusa
Philoso-
phorum
circa oc-

Mercibus oppletam distinet arte ratem.
Nam neque vis hominum, Sed nec violentior Auster,
Pisciculus navem dum remoratur agat.
a Cur pelago in summo cobibet torpedo natantes,
Hanc licet obductam ceclet arena freti?
Vulgatum referam, Sed virtus cognita nulli;
Mirerur quam vis Crantor, & Empedocles.
b Reticulum pendens quo numine textit Arachne,
c Qui mella, & ceras floribus edit apis?
d Æthiopi cibus est Draco, nutrit edentem
Confestim, est aliis pestifer interitus.
e Hoc callet nemo, qui vis bonus ambigit auctor,
Vis facit hoc, aiunt, indita, cæca, latens.
O cæcas mentes studiorum! extantia coram
Linguimus, & longè condita discutimus.
Naturæ legum expertem, penetrabilia credam
Ingressum, & magni promere scita Dei.
Abstrusa introrsum rebus vis tota latet vos,
f Quis mentem primam calculi & penetret?
Quis vestrum penitus sensim illabentia menti
Senserit acta Dei? aut experiatur opus?
Dicitis hoc fiet, & stat deducere votum,
Mox conversi aliud volvitis, & facitis.
Pectora mens ut vult cælestis (credite) versat,
Libera nec vestris subjacet insidiis.
Non tam nigra tegit Solem quandoque procella,
Quam mentem recutit celsius orbe jubar.
Asi semel effracta, Vincenti, pila retorques,
Atquè redis iterum huc, unde repulsus eras.
g Est data lex, fateor. Legem suspendere quisnam
Latorem nolit, cum pius instat honor?
Credite non nostrum est vires & sensa Creantis
Noscere, sed quod agit prendere, facta sequi.
h Stant in subsidiis quorum virtute fovemur
Basileæ Patres, docta serire cohors.
Quæ numero, & rerum sublimis robore præstans,
Et veri & fides certa Magistra manet.
Huic tuus ille Sennum posita cervice manipulus

- Cederet, & Synodi se daret arbitrio.
- a Divus Aquinas quem sumis ad arma patronum,
Nutat & ambiguo te pugione tegit.
Nunc mundam affirmat, nunc scribit origine lasam,
Quo pede vis constet, quem variare vides?
- b Sed prostratus adhuc nescis consistere, quaris
Si Christi septem diceret illa preces:
An sibi dissolvi virgo peccata rogaret?
Vab miser argutor, quam ferus obstrepitus!
- c Ecce sacro quisquam lotus baptismate, supplex
Pectus & ora manu tundit, & illacrymat.
Nonne renatus eget mox mox à sorde lavari?
Venerat ex lavacro sydere dignus homo.
- d Candida cui nulla est felix Ecclesia ruga,
Dum petit eximere debita, quid repetit?
Non admissa gemit, venturi provida Mater
Gnatorum culpis condoleat, & metuit.
- Hoc caput ejus agit immunis crimine Christus,
Et delicta Patrem solvere mæstus avert.
- e Sic Virgo indulgens, aliorum debita radi
Posceret, & poterat nostra putare sua.
Nam communis erat per Christi facta Redemptrix,
Omnibus ergo dolens & fuit, meruit.
- f Mens humilis quam plena Deo est, tam certat haberi
Parva, timens culpam, non sibi iuta manet.
- g Namque scit ante Deum cunctos fordescere Cælos,
Est ideo trepida sedula cura sui.
Iam si forte fuga timide delapsus abibis,
Protinus à tergo verbera mille feres.
- h Ante sed obstringam rutilo te fulgure veri,
Ut qui lippus ades jam quoque cæcus eas.
Producam testes hesternâ gente citatos,
Helsinum in primis religione dncem.
- i Hic datus Orator Anglis dvertere Dacos,
Dum mediis certat fluctibus ire citus:
Et pravecta raris Euro vexatur & unda;
Incertus vita suspicit astra gemens.
Rumpi vela vider, nec mali sistere robur,

cultra natura.
f Homi-
nes defici-
cere à cog-
nitione
sui atque
ignorare
quid in il-
lis Deus
operetur.
g Repeti-
tio argu-
mentorū
adversarii
h Ratio
ducta ex
sententia
PP. Basil.
Synodi.
a S. Tho-
mas in sē-
tentia du-
bibus & va-
rius.
b Ratio
sumpta à
dominica
oratione.
c Solutio
per simili-
tudinem.
d Quid Ec-
clesia pe-
tit quado
orationē
Domini-
cā recitat.
e applica-
tio ad

Virginem
f Quanto
major es,
tato te hu-
milia in
omnibus.
g Caeli nō
lunt mū-
di in con-
spectu ej.
h Confir-
matio
propositi
ex mira-
culis.

Et malè compactum navis biarc latus,
Imbribus & crebra quassari grandine nautas,
Spe nulla salvo turbine cuncta premi.
Hac inter pavitans, animoque agerrimus, iras
Horrebat Caeli, miris ut agna lupi.
Credidit insalix moribundo busta parari,
Et pelago undanti verba suprema dare.
Dum flet egenus opis, miseris & quæstibus auræ
Verberat, has Diva concipit ore preces.
Virgo, salva miserum, propera subducere ventos,
Et tranquilla refer a quora fluctu vagis.
a Talibus acta senem Virgo jubet atbere labi,
Consciis ut peragat quæ pia gesta velit.
Pervolat ille citus infanti vertice Prasul,
Et patris Helsingi consistit ante ratem.
Atque diu tremulum, & centum jam cedere morti
Affatus senior, fortiter, inquit, age:
Nulla tibi ex tantis grassans quas turbo minatur, quæ
Pœna nocet si das dum loquor. (Abba) fidem
Virgo potens pelagi, statio, requisque gravatis
Annuat, evades, fide, repelle merum.
Concipe jam votis sancta solemnia Matri
Annua, qua sexta ferre Decembris Idus
Helsingi, & studeas, & plebi indicere cures, quæ
Atque aris supplex iburas Sabaa ferax, omnis
Nomen erit luci Conceptio fausta MARIE,
Tunc etenim vita limen adeptæ Dea est,
Dixerat. Helsingus spondet solatus honores,
Et grates, inquit, candida Mater, ago
Ut promissa fides, repetit, cœlestia Prasul,
Terrentur nimis, sit via lucifera.
Mox polus excussa terris caligine fulsit,
Rentulit & gratum navibus æquor iter.
b Alter adest verax surgens à flumine restus
Quem fluctu absorptum Sequana restituit.
Navigat à stupro retrâ dum nocte Sacerdos,
Immemorem culpæ sollicitavit aqua.
Pallidus assueo dum ritu Virginis odas

b Mira-
culum ex
Norma-

Incipit, exturbat fluctus & aura virum.
Exinctum furiae festinant tundere plagis,
Criminis ut poenas foedus adulter agat.
Virgo sed adveniens, hactantum voce repressit
Damonas: Ite, meus Presbyter iste fuit.
Dum caneret nobis undoso in flumine laudes,
Præripit huic vitam perfida vestra manus.
Ite, animam capiat frigans à morte cadaver
Illa pudens sceleris subruet ipsa scelus.
His confusa nocens se turba in tartara condit,
Virgo jubet mentem corpus adire suum.
Reddita sed postquam desunctum vita revisit,
Affatur miserum sic pia Virgo virum.
Vade, age, ne post hac vitij te subruat unda,
Vita sacerdotem crimine munda decet.
Te probri meminisse decet, jam gratis adesto,
Munus & acceptum gratior usque cole.
Festa dies tibi sit Conceptio nostra perennis,
Quam memor octava luce Decembris agas.
Hæc effata redit, sublimem suscipit æther;
Præshyer, ut iussus, tradita festa colit.
Plurima conceptum testantur & altera Diva,
Sit satis à binis testibus esse fidem.
Quid tandem solemne piùm peccamus agentes?
a Quid fidei adversum lux pietatis habet?
Creditor haud frustra terras & cuncta novantem,
Lege nova Matrem jure creasse novam.
b Novit ut omnisciens æterna mente futurum
Crimen Atlæ: pariter sciviz & antidotum,
Et quod mortiferum dabat improba culpa parentis
Totâ foret vita per reparantis opus.
Non igitur decuit labem incurrisse puellam,
Quæ purganda scit sordida nostra Deus.
c Maxima præ multis narratur sæpe diebus
Phæse Hebræorum, transitus ille maris.
d Omni Mardocheum celebrat Indæus honore,
Patronus genti qui fuit ille suæ.
e Atticus est Cecrops venerandus semper Athenis

a Nihil peccare eos qui Conceptionis diem colunt.
b Deus in sua æternitate dū prævidit primum hominem peccaturum, etiã præcivit Virginem fore, quã ad filii sui incarnationem crearet.
c Unaqueque gens suum authorem celebrat.
d Judæus.
e Athenienses

a Spartani.
b Romani.

c Peroratio per
amplificationem

d Apostrophe in
adversariu.

e Virgine
orat ut illi
gratum sit
opus presens.

f Excusat
se auctor
quod nihil poeti-
cum inle-
ruit.

g Quod
nemo ante
eum de
Virginis
conceptione in
Gallia
scripserit.

- a Spartaniis celebris jure Lycurgus erit.
b Romulus est Italii miranda laude perennis,
Quippe suum auctorem patria quaeque colit.
Et prohibere audes, Vincenti pessime, fastum
Esse diem Martis quae sit ad astra via?
c Sanctum ergo est festas venerari Virginis aras,
Et demissa polo credere signa piuum.
Ipsaque jam late communi fœdere sacra
Per populos ferri non ratione vacat,
Nec sineret pietas fecisse piacula justos,
Esti quibus innumeris tam memorata dies.
d Quid ista attonitus ceu bellua lapsa caverna?
Quam ter vè avertis lumina terrificus?
Orta Deo quae sunt nunquam dissolverit aetas,
Humanum in puncto solvitur, ut nebula.
Iam falsi adveniens mundo notissimus auctor,
Teque tuosque ferent fulgura dira libros.
Exul abi, & circo fugiens discede, madentes
Et sudore pigros jam iuba solvit equos.
e Quin etiam è superis tu nostros mater agones
Et tibi certatim protege semper opus:
f Nulla ebori veteris blando pede Musa canenti
Affuit, esse potes versibus una satis.
Vi tuus illa viem conceptus Virgo perborret,
Sic Iovis, & Bromij nomina despues.
g Prima per ignotum pressi vestigia circum,
Gallus ubi nemo luserat ante pugil.
Hinc plus fortè aequo verbis audaculus egi,
Vix prima incultus salice novatur ager.
Sacra sequens, humili penetrari Marte duellum,
Cetera jam punctim fortis Atbleta gerat.
Non mea comendo circundei tempora laurus,
Capta tibi pugna est, grata sit ipsa tibi.

CECINI.

VARIA

VARIA EJUSDEM AUCTORIS
Poëmata ab Beatissimam Virginem.

Oratio Afclepiadæo carmine.

Virgo labe carens, æthere purior,
Expurga vitium, ser tenebras procul,
Fac oro redeat spiritui rigor:
Qui te, qui Genitum sanctis excolat
Toto numine pectoris.

Tu fons es saluber, rivus & efficax
Purgando secleri: nec sine te salus,
Nec vita nitidus candor habebitur,
Nam te progenuit terrigenis Deus
Imbri ut fructificem tuo.

Premunda veniens carnis origine,
Primos mundicia dat tua lux gradus;
Tu Cælis referas facta parens fores:
Nobis lumen ades, cælitibus deens,
Toti per celebris polo.

A te concipimus vota, preces, opus.
Auge quod cupimus spes, amor, & fides.
Stat spretis opibus pergere liberos:
Stat virtute polos Virgo revifere:
Si dux veneris, & comes.

Ad Beatam Virginem MARIAM.

Sæpè mihi incaluit magno fervore voluntas,
Dignum aliquid meritis dicere Virgo tuis.
Sed tantum superas & nos & carmina: quantum
Præ rusco cedrus tollit in astra comas.
Te longa serie genuit prosapia regum:
Et Davidis claro germine progredieris.

Iam tibi ventura vatum responsa canebant,
 Prædixitque tuum sæpè Prophetæ diem.
 Cuius in exortu pulsa caligine, mundus
 Acciperet rutilam cum pietate fidem.
 Orta simul tecum est virtutum fulgida lampas,
 Quæ terris hæresum nubila disceret.
 Cumque esses celebs & moribus vndiquè tersa,
 Te modicam & mirem prætulit Omnipotens.
 Vna in te potuit humilis sapientia terris
 Accersire Deum, quem scelus expulerat.
 Eva virosuffecta comes genus omne nepotum
 Protinus ausa nefas tradidit exitio.
 Languida peccatis mortalis turba jacebat,
 Et cælum aspiciens retrò ferebat iter.
 Dira palus, erebi furiarum & mortis abyssus,
 (Prob) locus & sedes hæc animabus erant.
 Donec adest veniens cælesti nuncius arce,
 Qui Cæli arcana sic tibi doctus agit.
 Salve plena Dei: tecum Deus: ecce superno
 Numine mater eris non violanda viro.
 Talibus attonita moderate Virgo pavescens,
 Te Domini ancillam credula constituis.
 Nec mora. Divini virtus inspirat amoris,
 Et sis prole gravis, & manet usque pudor.
 O sælix gravitas! sine pondere viscera turgent,
 Et Virgo innupta concipit aure Deum.
 Indita naturæ vis hæc, & norma recusat:
 Sed magnoparent cuncta creata Deo.
 Sic vitrum radius: sic vellus præterit imber.
 Nec teritur vitrum, lana nec imbre mader.
 Tam mirò exorsu veniens à Patre Redemptor,
 Te vitæ & lucis prodere signa dedit.
 Prima quidem proferis nostræ vexilla salutis,
 Prima salutis agis classica militiæ.
 Ut quod triste jugum posuit captiva misellis
 Eva superba, levis, credula, desipiens,
 Tu mitis, sapiens, constans & libera Mater
 Ausferres vitærix, publica facta salus.

Ad Divam MARIAM.

Virgo qua melior, splendidior nec est
Terris: sed nec erit cara magis Deo:

Audi quod petimus vertice cernuo:

Et ne vos miseri criminis abluas,

Hinc & nos famulos fove.

Conceptum colimus laude piatum,

Te roto fidei robore credimus

Nullius macula scire calumniam:

Cui nec sit patriæ livor originis,

Sed fulges ni ve candidior.

Tu facta es Genitrix numinis & viri,

Qui nobis moriens in cruce retulit

Regnum, quod patrius perdidit furor.

Fac post hæc teneat turba fidelium

Quod nati peperit tritor.

Ejusdem Roberti Gaguni apud Cordubam febre graviter ægrotantis ad Domini Salvatoris Matrem Oratio, cum aliis quibusdam epigrammatibus.

Sitento infœlix, & crimine sordidus aures

Nunc pulsare tuas, nimium seu vrgere querendo,

Da veniam ægenti divum clementia: nobis

Te dedit antidotum quærenda (Virgo) salutis.

Tu gemitis, Tu vota, preces, suspiria, fletus

Innata pietate levaste semper ægentem

Vberiore sicut populum curasse, fides est.

In tua nunc igitur admitte sacraria Mater

Ægroti lachrymas, moveat te languor iniquus

Quem tremulo induxit exardens corpore febris

Iam carne exesa pellis rugatur, & ipsis

Ossibus exile vix præbet pendula regmen:

En dolor articulos (contractis nexibus) artos
 Pandit, & obtusi fugiunt introrsus ocelli:
 Ipsa etiam facies sectatur imagine larvas,
 Officioque vacant titubantia frigore membra.
 Semianimum fulcro decumbit inutile corpus,
 Nec baculo substantive capit natura iuvamen.
 Sola subest vacuo mens pectore, nescia sive
 Deferat exangues, vel adhuc suffulciat artus:
 Sive sub extremo voluisti sole Robertum
 (O totiens miserata parens) occumbere: quisnam
 Posteriora feret morienti verba salutis?
 Quis funus ducet? quis condet inane cadaver
 Busto: & tristem animam mandabit in astra vocari?
 O si inter dulces, si fidos inter amicos
 Pauca sub egressu liquisset, non voluere
 Fata; nec inflexa parca voluere: recedam
 Incuratus, egens supremum affantis amici:
 Tandemque implacida humabor tellure: perennis
 Incola Celiiberum nulli memorandus. Abito
 O infelix anima: pereuntem Hispania molem
 Servet: obrutum jam devoret horrida corpus.
 Sed prestat (famuli) cineres dispergiere austris,
 Seu mandare fretis: pennis velocibus illi
 Per juga Pyrenaei referent fortasse coactos
 Belgarum in sedes: vel ponti senior vnda
 Asseris obsequio notam ructabit in algam.
 Proderit occiduos quocumque exadere manes.
 Tum ergo inflexa mater, mitissima mater
 Spectare hoc poteris? multum vocitata reselles
 Vota precantis operam? dubio jam funere claudes
 Huius gremium misero? claudes praecordia seruo
 Exitum patienti? Tu quondam ultro solebas
 Ferre manum, relevare pios, miserarier aegros,
 Quid nunc lenta gradum differis? Quid tardius audis
 Supplicis aegroti miserandos, cuique precatus?
 Si forte ob noxam veniam aut dignare vocantem:
 Atque ideo immeritis precibus non annuis: assit
 Libera quae semper patuit miseratio, quae tot

Vt culpa implicitos materna sponte levavit.
Si meritis tantum quanta est clementia ! quantus
Vulgati dulcoris honos ! tum viscera nudas,
Dulcia tum expandis, tum porrigis ubera; si cui
Post scelus admissum redempti protinus astas,
Non planctu emollita pio, Quis grata putabie
Quæ fletu expresses ? magni est quodcumque gemendo
Torseris. Exurge non ficta pœcamina, sano
Corde damus, morimur. Potes d' medicina dolenti
Non prestare manum ? expectas fortasse querelis
Cessisse algentem. Iam desino, nec queror ultra.
At tua per Gnati morientis vulnera, perque
Virgo tuum nulla violatum sordè pudorem,
Perque tibi assuetum miserandi (fœmina) morem,
(Dum vivacis adhuc trepidant spiracula fibra)
Ocius accedas, dextram substerne labanti.
Da reditum in patriam. Da visere rursus amatos;
Vt meipsum quondam socios, quondamque sodales,
Pronus in acie sacra celebrarunt, quam tibi Franci
Letitia titulo numen venerabar & aras,
Ipse ego fulgenti mater face casta litabo,
Exsolvam & Gnato divi libamen honoris.

Ad MARIAM Virginem.

Ecce reus voti, composque salutis & aura,
Hanc cera & lychni reddo MARIA faciem.
In vasti orantem, solventem debita serva,
Et concede datâ Virgo salute frui.

Ad Divinam Matrem Salvatoris.

Virgo cui tellus, qui pontus servit & æther,
Dastabilem sine labe animum, da corpus opimis
Viribus integrum, partens algoria & æstus.
Cætera quæ fluitant vario discrimine sortis,
Et labor, & cura, & solers industria quæret.

Ad Divam MARIAM Salvatoris Matrem.

Non satis audenter tibi, Virgo nescia sordis,
Sordidus ipse malis debita vota sero.

Sed me sumpta salus devicto funere cogit
 Te benefactricem laudis honore sequi.
 Decumbebat iners tremulo spiramine corpus,
 Atque effœta cavo mortis agebat iter.
 Tu precibus clamata meis, tu Virgo benigna
 Protinus ad robur languida membra vocas.
 Hac ope defensus grates & munera pono,
 Atque avam & numen pronus adoro tuum.
 Tu post hac si morbus erit, festina medetor,
 Ne cum carne ruat mens superata malis.

De eo quod scriptum est, Mulier amicta Sole,
 & luna sub pedibus ejus.

E St visa in terris cœlesti semine facta
 Virgo, nec effregit viscera casta pudor.
 Hanc circumirradians vestibat lumine Phoebus,
 Subter erat teneras clara Diana pedes.
 Stella coronabat roseos bisseua capillos,
 Nigra tenebrarum nubila discutiens.
 Hanc possis verè Christi dixisse parentem,
 Nam virtutis habet omne MARIA jubar.

Oratio Dominica.

S ANCTE hominum genitor, quem fas dixisse parentem,
 Qui cœlos habitas, & regis omne quod est.
 Pone tuum cunctis sanctum & venerabile nomen,
 Et regna in nobis, Rex pius & sapiens.
 Et quodcumquè voles cœlo terraque mariquè,
 Eterno fiat scedere perpetuum.
 Daquè piis hodiè quem sumant prospere panem,
 Ne desint nostræ iusta alimenta viæ.
 Tu clemens nostros iudex dimitte reatus,
 Fratribus ut nostris debita corde damus.
 Nec nos tentantis astus incurrere perfer,
 Sed fragiles thro solve benigne malo.

FINIS.

CUNC-

CUNCTIS MARIÆ MATRIS

Christi veneratoribus, Robertus Gaguinus ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis de redemptione Captivorum major Minister, Salutem & veram, quam suis Christus discipulis reliquit, charitatem optat & pacem.

Nemo Christianæ religionis instituta secutus ignorat Ecclesiis Dei morem diligenter atque reverenter hæcenus fuisse observatum: ut eorum, qui nomen sanctitatis claritate gestorum meruerunt, venerabilis memoria coleretur. Tum siquidem primum illos verè nasci Mater Ecclesia confitetur, cum beatam apud Superos vitam morte adepti sunt. *Preciosa est*, inquit propheta, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: Quippè quibus ex hac humana peregrinatione, mors est in vitam perpetuam introitus. Natales enim nostros in hanc rerum caliginem, utpote faustos & felices, herodiano fastu repetere majores nostri damnaverunt. Et tribus ex omni numero Beatorum festum nativitatis diem dicavere, Deo scilicet & homini Christo, qui Sanctorum est Sanctus, ejus præterea purissimæ Genitrici, quæ salutiferum terris splendorem prima feminarum intulit: & dominico præcuratori & Baptista Joanni, cui Christum adventantem præcurrere, & præsentem indicare peculiari fuerat dono concessum. Cæteris omnibus quantalibet sanctitate coruscant, id solemne negatum est. Itaque non vitæ initium peccatori, sed ad virtutem progressus, & ad Deum felix migratio laudi vertitur. Tum denique venerandos eos suscipit Ecclesia: cum & dignitate meritorum commendati, & Dei ope subnixi, amicorum Dei appellationem, & beatæ æternitatis consortium non obscuris existimantur signis meruisse. Sed hic legis atque observationis vigor ad eam usque non pertingit, cui fuit sine contaminatione peccati conceptio, & sine inquinamento Virginitatis fœcunditas. Non enim solius Nativitatis MARIÆ dies veneratione digna est, sed illa lux quoque felicissima credi potest, quæ Dei miseratione virgineo erat conceptui designata. Imò verò si metiri posset æternitas, primum illud divinæ considerationis momentum meritò venerabile haberetur, in quo ad Protoplasti delendam

contumaciam de produenda aliquando Virgine beneficentissimum constaret Deum cogitasse. Nam si accepti præter omnem spem ingentis beneficii memores esse perpetuò debemus: quis prædicare contemnet Dei providam dispensationem quæ lapsuro homini salutis primordium à Virgine ante omnia tempora præpararat? Serviens Ægyptio Regi populus Hebræorum excusâ tandem Moyli ministerio fervitute, liberationis suæ numquam oblitus est: sed phasæ, id est, rubri maris trajectum annuum habuit & solennem. Mandantur item litteris initia urbium conditarum: & earum conditoribus gloria perseverat. **MARIÆ** igitur novæ urbis Hierusalem (auctore Deo) conditrici fidelis populus conceptionis solemne Christiana pietate frequenter: Fide scilicet persuasus se ex Ægypto, id est, à peccati obligatione migrationem fecisse per **MARIAM**, quæ Dei filium enixa, Holoferni, hoc est, dæmonioso serpenti capite adempto, obsessam vitiis Hierusalem genus videlicet humanum liberavit. Eam ob rem vetere majorum instituto canitur illi, Gaude **MARIA** Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in univèrso mundo. Extat enim in Hester historia, memorabilem illum diem constitutum Judæis fuisse, in quo multis ex Assueri provincialibus hominibus occisis, Judæi omnes (procurante Hester) servati sunt. Cur autem obscurus jacebit conceptionis **MARIÆ** dies, qui superandæ mortis, qui calcandi hostis principium exitit? Congruit itaque Christianæ institutionis majestati eam à principio habuisse parentem, cui nulla inesset originis aut vitæ contagio: sed nitida prorsus & omnifariam illustris conciperetur, quæ spiritali propagini spiritualem vitam erat præbitura. Faciens enim Deus ab exordio mulierem, quæ peccatoris populi genitrix post viri inobedientiam exitit, eam de incontaminata Adæ costa mundam formavit, ipse idem re-creator & novi cujusdam orbis institutor cum per **Isaiam** prophetam dixisset: *Ecce ego facio nova*: novam novi seculi Matrem irrationabiliter condidisse crederetur, cui vel origo sordida, vel animatio fuisset carnis communionem infecta. Longè liquidem dignior est reformati per **Christum** mundi conditio, quam fuerit illius, quem vel simul vel per vices dierum ordinavit. In quo carnalis & rudis adhuc & ingratus populus factorem suum (paucis exceptis) per falsas religiones dereliquit. In hoc verò cujus primordium **MARIA** exitit non carne nec animali sensu, sed Spiritu vivere atque ambulare per Dei leges præcipitur. Unde illud **Davidis** vaticinium prodiisse verum est. *Annunciabunt Domino Generatio ventura & annuntiabunt cali* (id est, spirituales homines)

mines) *justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Quibus hominibus Ilaia prædictione cor carneum, id est, ad obediendum facile & primum daturus erat Deus. Cur ergo æstimemus, Fratres, spirituali integritati Matrem fuisse designatam quæ initia haberet inquinata, quæ paternæ derivationis labe sordesceret? Nemo habitaculum sibi instituens luto finit illud inquinari: sed pura quoad potest & munda congesta materia ædes construit & incolit. Non est profectò minus consultus & diligens architectus Deus puram & expertam sordis Virginem sibi Matrem statuere: in cujus utero delitesceret ipse atque pasceret, ne purgaturus hominem adveniens maculatum prius diversiorum argueretur introisse: qui mundum egressus voluit in sepulchro reponi, quod nulli antea cadaveri patuerat. Et nunc quoque in cælum ad Deum Patrem reversus, qui per corporis & sui preciosi sanguinis Sacramentum nobiscum semper adest, peccatoris conscientiam respuit: nec eam spurcitas exolus, inhabitat. Quam institutionem secutus Paulus spiritualem vetat cibum nisi à probatis sumi. Unde mos & in hunc diem observatus perdurat ritus, preciosissimum Domini corpus accipere jejunos. Non igitur passus est Dei Filius peccati nexu Matrem vinciri, quæ & se Spirituum Patrem, & per illum Spirituales filios erat paritura. Et quia veteris Testamenti Patribus omnia in figura contigisse Apostolus astruit: eruamus mysticum ex Levit. adytis sensum: quem spiritualis Israël, id est, Christianus auditor non respuat. Aaron Pontifici legitur præceptum lineam tunicam atque iacynthinam cum ad sacrificandum prodiret induere, nec ad propiciatorium sine iis, quæ Sancta Dei testimonio habebantur, accedere. Lineam vestem, quæ nihil morticinii præferat, sed candida tota est, & item iacynthinam quæ quasi de terris ad alta conscendat, Pontifex terrenus induitur; Christus verò Pontifex factus in æternum ut nos Deo propiciaret, lineam Virginis uterum, id est, candidum & mortis contagio nullatenus infectum, sed iacynthinum, id est, purissimo cæli colori non dissimilem tanquam tunicam vestivit formatus scilicet divini ministerio Spiritus ex meris Virginis sanguinibus: qui nec parentum concubitu tabuerant: nec illorum contactu data à Deo anima originis culpa sorduerat. Quis enim consultus orator causam peccatoris acturus sordentem & fœde olentem amictum induerit? Fuit proculdubio Jesus in causa humani generis sedulus orator, qui & Virginis alvum velut indumentum & carnis trabeam assumens exauditus est pro sua reverentia. Porro quid est quod adoles-

centi Ioseph polymita vestis & pluricolor textur & talaris : nisi quia concipiendo Dei filio MARIA omnigenis virtutum & gratiæ coloribus decorata parabatur , quæ talari circumamicta vestimento nullo primæ mortis algore læderetur : nec tentatoris afflatu à fervore charitatis tepefceret? Et mihi quidem ad hanc rem astruendam argumentum Mater suppeditat Ecelesia , cuius per orbem circumsonat dignum MARIA præconium : paradisi , inquit , porta per Evam cunctis clausa est & per Beatam MARIAM iterum patefacta est. Magnarum & illustrium ædium portæ , fratres charissimi , multo nitore semper & ornatu præfulgent , nec contaminari permittuntur. A vestibulo namque iudicium sumimus claritatis internorum parietum. Et nos à MARIA spiritualis vitæ & cœli gaudiorum auspicium ingressumque facientes : eam talem prorsus rectè æstimabimus quale est cœli palatium : cuius ipsa porta est , & creditur. Si enim peccati vectem per Evam cœli foribus obditum MARIA referavit : impiè feceremus credentes illam principium fecisse à culpa quam aliquando deletura & perditæ vitæ restitutrix futura erat. Nec portæ cœlestis appellationem illi merito deferremus cui vicio laboranti cœli non patuisset ingressus. Sed ipsa est illa sine ambiguitate apud Ezechielem porta , quæ non modo pro Virginis integritate : sed etiam pro totius ejus innocentæ puritate clausa semper manet , per quam virtutum Dominus & Rex gloriæ magnificus ingrederetur omnipotens , & egrederetur mansuetus. Quæ clausa perpetuo esse non potuit , quam ab exordio suæ conditionis alienius mortis turbo violasset. Pulchrè ideo per Salomonem in Canticis , Hortus conclusus , fonsque signatus MARIA appellatur , cuius nec muri ambitum sceleris machina discussit , nec fontis signaculum paternæ prævaricationis calamitas infregit. Sed fontem istum humilitate parvum in longe patentem fluvium & aquas plurimas redundasse Hæster historia confirmat. Per MARIAM enim tanquam per latissimum fluentem redemptionis est nobis merces importata , ablutionis laværum derivatum , suavissimæ passionis eibus emollitus , adversus peccatorum vulnera salubre medicamen confectum. Ad expugnandum potenter dæmonum insultus arma instructa , & belli demum pugnaque gloriosa in cœlis compensatio reposita. De quo etiam fonte vaticinatus Zacharias , *Et fons* , inquit , *Domui David in ablutionem peccatorum* , & menstruatæ in ablutionem peccatorum datam esse Virginem quis autemet , cuius aqua fuisset conceptionis cœno turbulenta? Illud nempè de se dicere MARIA potest , quod secundum prædestinatæ suæ

suæ nativitatis honorem in Ecclesiastico scriptum est. *Ego quasi aqua ductus & quasi fluvius Dorix exivi de paradiso Dei.* Egredi enim quasi limpida aquæductus, & quasi fluvius Dorix, id est, regenerationis medicamentum de paradiso Dei merito MARIA debuit: quæ sordibus absterisionem & vulneribus antidotum afferebat. Quibus per MARIAM beneficiis nobis largissimè importatis ingrati revera fuerimus, si arbitrabimur eam mortis fuisse damno affectam: quæ prævaricationis culpam abolere & mortis veniebat damna per filium reparare. Quomodo enim de illa ad serpentem in pœnam assumptæ tentationis dictum est: *Et ipsa conteret caput tuum:* si mox superandæ culpæ gratiâ adveniens culpam contraxisset? Quid aliud nobis de MARIA gloriosius potuit significare serpentini capitis contritio, quam capitalis illius à primo homine rebellionis concessam puritatem? Capitis enim nomine solet principium vel origo designari. Caput ergo serpentis calcare peccati originis præteritio est. Porro sicut in tentatione repellenda primum est & gloriosum suggestionis, id est, malevolentis caput amputare: ita ad MARIÆ decus attinet, quod primæ damnationis ignominiam Dei potentia non accepit. Quæ inestimabilis in MARIA dignitas puritasque nec Christi potentia, nec redemptionis ejus beneficio ut plerique contendunt detrectat. Quia enim per unum hominem mors: & per unum Christum redemptio in vitam inducta est: MARIAM non negamus Dei privilegio & præservationis gratiâ, ut non caderet, eguisse. Sed aliud quippè est luto obvolutum eripere & purgare: aliud mergendo & cœno inficiendo ne maculetur occurrere: Et utrumque quidem beneficium attestatur Redemptoris: MARIA autem non à præsentis inquinamento mundata est, sed ne lapsu offenderetur servata: Non secus ac si lucernam per ventum vehementem ferendam recipias laternam circumponis [& à turbine salva est, ita concipiendam per paternæ originis noxiam cunctis tempestatem MARIAM divinæ velamen gratiæ circumsepit, ne mortis turbo illam extingueret. Unde illud de forti muliere in proverbii dictum Matri Dei commodè Sapiens assignavit. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Sicut enim deferentibus Ægyptum filiis Israël columna nubis interdiu velamen erat adversus Ægyptios: noctu verò ignis Hebræos antebat, ut ab hoste salvus populus dictum mare rubrum præteriret: ita Dei fortitudo MARIAM protexit atque igne suæ gratiæ per noctem & tenebras paternæ mortis illuminavit: ut omni parte custodita aquis non mergeretur Acherontis. Nec vos deterreat, dilectissimi fratres,

quod

quod lex propter transgressionem promulgata humanum omne genus sub peccato, ut inquit Apostolus, concludebat, quæ cæli prohiberet ingressus. Omnis siquidem legis hoc habet conditio: ut pro tempore & causa dispensationem admittat. Paucitati namque hominum cum recens creati essent, mandatum promiscuè est crescere & multiplicari. Soli item pisces & terræ fructus illi in esum positi sunt. Cæteris certe animantibus vesci fas non erat. Et quis nesciat exsecrato diluvio eduliorum nullum fuisse discrimen: Et longo post intervallo in lege Moyfi signatos fuisse cognationum gradus, quos de ducendis uxoribus observare oportuit? Nonne cunctis syderibus & ipsi soli statutum manet, orbem ambire semper & illustrare continenter? Iosue tamen in Gabaonitas præliante Sol à motu temperavit, donec profligatus est hostis. Et ægoranti Regi Ezechiaæ Prophetæ argumentum longioris vitæ inductum est, cum aliquot in solariorum lineas umbra non transisset: immo verò lineas decem retro abiisset. Unde solem constat à diurno cursu, fuisse remoratum. Agè verò nunquid Petræ natura arida est? molli, tamen, illam virgula percuciente Moysè reddidit laticem profluentem. Quod si ex ethnicorum scripturis quicquam (dum divinis de rebus sermonem teximus) afferre piaculum non est, nonne Accii Auguris novacula eodem exsecuit? Quis virgæ pontificis quamdiu sicca duruerat, frondem & flores fructumque præter naturæ consuetudinem induxit? Hæc legislatoris prærogativa est dum legem condit: legis necessitate non ligari; sed ut res, ut ratio, ut dignitas vel sua vel aliena postulat, legem laxare. Alioquin ea, quæ ad propagandos semine homines lex instituta est, non potuisset in MARIA dum viri nescia Dei concipit Verbum, immutari. Alia id genus multa sacris litteris mandata sunt, quæ, ne in illis immoremur, facile ostendunt conditæ ab eo legis dispensatorem esse Deum, & fuisse nonnumquam. Quemadmodum illud de igni in Exodo legitur, qui virtutem suam oblitus; nec rubum quem comprehenderat, offendit, nec in succensa à Chaldæis fornace pueros concremavit. Aded enim Dei nutu versantur omnia: ut res Deo; non ipse rebus obtemperet. De illo propterea scriptum est: In dictione tua cuncta sunt posita: & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Unde licet; per hominis inobedientiam omnis ejus posteritas mortis iudicium accepit: potuit tamen, dum ejus Mater concipit, sententiæ modum atque interpretationem adhibere: ut videlicet privilegio potentis Dei præmunita non contaminaretur sorde originis. Quæ singularis in MARIA dispensatio demon-

demonstrat legi quidem damnationis; nisi Dei providentia auxilium prætulisset, fuisse obnoxiam: quamquam legem ipsam originis non propter MARIAM positam fuisse Verbum illud me admonet confiteri, quod ad Hester de lege in Judæorum gentem lata querentem respondit Assuerus. *Hæc lex non pro te, sed pro omnibus constituta est.*

Sed quomodo, inquit adversarius, adjuncta Dei benedictione fuit, quæ nondum extabat? Et quomodo de duobus, inquam, geminis fratribus, Esau dico & Jacob, ex Dei persona, teste Apostolo, longissimè priusquam nascerentur, cum nec boni nec mali quicquam egissent; dici potuit: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* Ecce ante nascentiam alter privilegio amoris, aliter odii maledicto est præsignatus, Rectè profecto apud Ecclesiasticum Sapientia hæc loquitur: *Nondum erant abyssi & ego parturiebar.* Itaque concepit & parturit Deus quæ nescientibus nobis inæstimabili arcano suæ divinitatis statuto tempore profert. Quare credi sine fidei jactura potest natam in Dei æternitate MARIAM, licet corpore non extaret, gratiam nihilominus Deo, amaramque fuisse semper, ut cum tempus conceptionis ejus advenit, non destitit solum amare: sed eam speciatim protexerit gratia singulari, ne sibi fieret aliquando non amata: quam ad maternitatis magnificam gloriam destinabat. Quod odii malum MARIE contigisset, si paternæ conceptionis subolevisset sceditatem. Quod etiam non ignorans Salomon in canticis ex MARIE persona sic prophetavit. *Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cui vaticinio astipulatur mulier illa, idest, MARIA, quæ in Apocalypsi Joannis amicta sole visa est. Nullo siquidem potuit injustitiæ fumo obscurari: præsertim ad illuminationem gentium præparata, & paritura lucem, quæ & peccatorum tenebras & cordium abscondita revelaret. Eâ namque libertate decuit ingredi terras reginam orbis, ut præmissis caduceatoribus, & progredientibus obviam proceribus incederet liberrima, ne vestigalis quidquam nec tributū publicanis aut portitoribus, idest, dæmoni & mortis exactoribus pendat; quæ singula erga MARIAM non minus sollicitè quàm venerabiliter observata fuisse leguntur. Patriarcharum namque figuris & ænigmatibus, ut inquit Hieron. fuit præsignata: admirandis item præintellecta prodigiis. Portendebant itaque atque nunciabant venturam Rubus sine incendio ardens, florens sine irrigatione virga Pontificis, in area positum Gedeonis vellus, & apud Danielemons mons à quo sine artificis ministerio præcisâ est stupendæ æstimationis gemma, idest, Christus. His mirabilibus non incerta, ne-

que obscura, sed tandem cognita accessit vatum prædictio, qui de Jesse propagine nascituram virgam & florem: orituramque de Jacobo stellam Spiritu sancto afflati cognoverunt atque cecinerunt. Quibus sacrosanctis mysteriis longiorem adhibere explanationem abstinemus, quandoquidem veterum commentariis innotescunt ad MARIAM sana fide pertinere. Cujus exortus cum proximè secundum Dei dispensationem adesset, velut lucifer ortum solis præveniens, annuncius est. Qui prænunciationis honos, quandoquidem Isaac & Joanni salvatoris præcurfori, antequam Mater illos conciperet, concessus est, multò excellentius debuit erga Christi parentem observari. Sicut enim Annæ diù sterili Samuel concipiendus annuncius est: ita sancto Joachim Patri MARIÆ, dum apud armentorum suorum custodes ageret, Matris Dei MARIÆ est significatus conceptus. Tam multis igitur præcurrentibus signis, tot vaticiniis atque prodigiis MARIÆ adventum signantibus Christianæ non congruit sanctitati tam admirandam populi salvatricem, & reginam, servitutis, aut mortis legem subiisse. Cum enim reliqua omnia admirabili supra communem naturam privilegio fuerint illi delata: sine jactantia vix imitanda humilitas, concipiendi sine viro inaudita facultas, sine gravedine veneranda maternitas, sine ullius damno virginitatis perfecta integritas, nulla in partu gemebunda debilitas, nulla obstetricis curiosa sedulitas, nulla post partum pudoris temeritas, & per omnem vitæ progressum nullius peccati malignitas, impium æstimari debet conceptioni illius defuisse puritatem. Nam si præcentoribus dominici adventus, (Hieremiæ dico & Joanni) sanctificationem ab utero tribuimus: quod Dei genitrici majus gratiæ munus collatum esse putandum est: si, quemadmodum illi, ita hæc in utero tantam sanctificationem accepit? Parvi certe arbitrari debet in principe liberalitas atque gratitudo: nisi plures Matrem fecerit, quam militem; donavit revera Deus Matrem tanta magnitudine & copia dignitatum: ut secundum Anselmi sententiam nulla post ipsam purior, majorque posset intelligi. Grandis profecto debuit esse virtutibus, & gratis dilata misericordia, quæ quem orbis non excipit, intra sui uteri angustias comprehendit. Cujus beneficiæ non ignara Virgo: fecit, inquit, *mibi magna, qui potens est.* Et iterum, *fecit, potentiam in brachio suo,* in brachio quippe & fortitudine sua Deus nova puritate matrem ad se concipiendum, educandumque creavit, qui stellam novam, & ceteris splendidiorem crexit: quæ natum se & vagientem manifestaret mundo atque declararet.

clararet. Sed ecce obstrepit & frendet iterum maledicus: & ne in laqueum cadat quem tetendit, duplex conceptionis tempus signat. Unum, cum scilicet corpore membratim ad formam hominis composito rationalem creator Deus spiritum infundit. Alterum, cum jam integratus carne & spiritu homo, gratiæ & sanctificationis capax existit. Priorem conceptionem immunditiæ subdit & peccato: propterea quod per concubitum *MARIÆ* & feminae concepta caro sordem ducit à primi prævaricatione genitoris, cui carni inspirata anima peccati mortisque particeps efficitur. Quod peccatum, cui originale nomen est, indignam quæ celebris habeatur *MARIÆ* conceptionem reddit. Unde secundam illam, quæ benedictionis conscia esse potest recipit calumniator & colit tanquam post completam animationem parvo mox momenti intervallo *MARIAM* mundam fecerit atque sanctificaverit Deus. At *MARIÆ* simul dum conciperetur assiltricem comitemque innocentiam Dei potentia & virtute semper ita fuisse, non injuria quispiam dixerit: ut neque resolutum à parentibus semen prurium concubantibus aut titillationem attulerit: sed neque ex ipso semine conditum corpus *MARIÆ* sorduerit, ita ut adeo mundus adveniens spiritus, mundam carnem inspiraret. Itaque, quia religiosissimi *MARIÆ* parentes prolis studio, quamdiu caruerant, affecti, continuis se precibus apud Deum exercebant: orantes sibi concedi sobolem, quam sanctè educarent, & divinis formarent institutis, exauditi sunt. Et nuncio divinitus accepto, pietate magis, quam voluptate congressi sine libidine, ut piè credi fas est, *MARIÆ* generationi semen in morem sudoris posuerunt. Incubis enim (quod ex dæmonibus fieri traditur) potestas est sumpti alicunde seminis servandi atque effundendi: cum tamen humanæ libidinis sint expertes. Cur igitur quispiam mente purgatus, & per continuam pietatem ab animi perturbatione sepositus: & cui attrita sit caro exercitatione virtutum & diuturnitate jejuniorum effœta; cur, inquam, sine ulla veneris titillatione, si Deus unicè adjutor est, non operetur genituram? Extant apud Stoïcos hujuscæ purgati hominis exempla. Ex quibus divino huic tractatui unum inferere non verebor, ut, quod ethnico philosopho gloriæ datur: non sit Christiano & scutatori veritatis inexpertum. Xenocratem Philosophum tanta continentia fuisse litteris mandatum est, ut Phyrne meretrix nota Athenis mulier nulla palpatione, nullisque blandiciis, aut impudicis suavis eum emollire potuerit ad illecebras libidinis: quamvis de eo demulcendo bella & blanda insti-

gatrix cum adolescentibus quibusdam pignus posuisset. Tantum si potuit in Xenocrate continentia consuetudo: erit in fideli & continente Christicola gratia potentior. Quod cum in virgunculis multis, tum in Agata virgine legimus mirabili constantia comprobatum, quae à Quintiano urbis Romae praefecto, cum ad explendam turpitudinem appetita castitatem Virgo animose tueretur, missa est ad Aphrodisiam leaenam, quae scortis duodecim, velut primaria lenocinii artifex praesidebat: ut ejus contubernio titillantibus blanditiis, tenella Virgo à coepto pudore recipisceret. At illa firmissimae rupis instar, indiscussa perseverans: postquam dies triginta in eam molliendam blandiens leaena consumpsisset: nec mente, nec carne viciata puella continentiae compos evasit. Tam potens est mens Deo roborata omnes omnium rerum turbationes pervincere: ita ut vir proles causa uxori congregiendi, nec animali mollicie fluctuet, nec rationis eliminatione privetur, sicut absque ulla disceptatione confitemur, purissimum ex membris Virgineis sanguinem ad locum conceptioni designatum; sine ipsius immutatione ut Dei filius conciperetur, confluisse. Quo coituros modo conjuges, in prima illa si perseverassent innocentia, plerique affirmant, ita ut ad procreandos liberos maneret ab illis semen, non secus ac ab aestuante liquitur sudor. Quamquam non puto hinc, id est, à conjugum tantum prurienti coitione peccatum, quod originale est, duci: sed magis contactu supervenientis ad carnem spiritus contagione quidem primae originis infectam, id est, seminarium concupiscentiae praeserentem, sed quae parere caro spiritui tardiuscula est. Qui praeterea Spiritus, quia conjunctione corporis tanquam iam nolentis atque compeditus debitum Deo facile non exsolvit, carere traditur primae justitiae, qua & caro illi, & ipse suo creatori obedire ante Adae peccatum non pigritabatur. Prona igitur à recto deflecti concupiscentia velut languor & pigricies quaedam corruptentiae pedissequa & adeo discors in homine pugna peccati originis lues appellatur. Quam carnis & membrorum, ut inquit Apostolus, legem atque impuritatem nisi comes Deus continenter affuisset, accepturam in initio *MARIAM* non diffitemur. Verum ut ab epilepticis aut comiciali morbo gravatis, vel à morionibus proles medici operâ non semper infecta concipitur & nascitur, ita Dei benignitate jugique ministerio, vel quod excellentius dici potest, majestate atque auctoritate seu legis suspensione vel dispensatione procurata *MARIA* sine infirmitate; sine languore; sine morbida carnis qualitate concipi debuit & nasci.

nasci. Nam qui legem tulerat parentes honorandi, debuit concipiendæ matri innocentiam, & omnem quæ excogitari potest puritatem non negare: debuit legis severitatem moderari, & laxare rigorem, qui migraturo de Ægyptiorum servitute Ibraëli mare rubrum, stantibus in muri speciem aquis, exsiccavit, quiquè ad extremum vitæ progressum suam mundissimam genitricem non est passus corruptione carnis absumi: sed eam supra omnes cœlos, supraque angelicam dignitatem potenter magnificiquè terras deserentem traducere, non distulit. Venienti itaque in orbem terrarum MARIE non minus honorificus esse debuit Deus: quam futurus erat de terris abituræ, cum eam suscipientes cœlesti triumpho Angeli eccinerunt; *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora rutilans, pulchra ut luna, electa ut sol?* Et iterum. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula sumi ex aromatis myrrha & thuris?* Aurora mediufidius rutilans est MARIA: quæ solis, idest, Christi ortum præcurrens miro candore puritatis & concepta enituit, & nata refulsit. Nec inepta consideratione virgula sumi appellatur: quæ tenuis, & ut inquit Hieronymus, gracilis & delicata suaviquè virtutum omnium spiramine odorem diffundens: & per sanctitatis & meritum gradus evecta omnem supergressa est & dignitate & loco creaturam. Quamobrem non temerè illud Davidicum dicere MARIA potest. *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.* Sed cur, inquit obrectator, mortis conditionem, legemquè, hoc est, pœnam peccati incurrit, si à conceptione nullam reatus necessitatem contraxit? Enimvero sibi, fame, tristitia, dolore, metu, & reliquis humanæ fragilitatis perturbationibus affecta est, quæ ab origine incommoda certum est excipere mortales. Si reatus non præcessit, cur affligit cruciatus innocentem? Non attendit homo cæcus quo jaculum mittat, neque intuetur eodem se mucrone filium trajicere insontem, quo offendit genitricem. Melioris vitæ dator atque innocentia restitutor Christus vagiit natus: metu Herodiana persequutionis aufugit, esuriit adultus, infremuit spiritu mortem recordatus, tristitiam passus est, verberibus multis injuriam accepit, sputo irrisus est & colaphis, & morte tandem cum sedicioso multatus est. Dicemusne hæc illum propterea tolerasse, quia vicium sumpsit ex parente? Itaque suscepit infirmitates volens, à quibus nec alienam voluit esse Matrem, ne non ex hominibus eos prodiisse mortalis ignorantia putaret, si quæ hominibus communia per naturam erant, ea nec Mater, nec filius subiisset. Sed in hoc plénitudo majestatis habuit ut immaculatus

gigneretur, in illa verò ne pro communi lege paterna transgressione
 fordesceret, gratia & potentia salvatoris abundavit. Alioquin non
 Innocentem in virgine materiam unde ipse formaretur invenit. Nam
 si maternus sanguis saporem ex vase nonnumquam luteo & peccati cor-
 ruptione corroso suscepit; formatum inde Christum quantum ad
 eam attinet partem labefactum aliquando fuisse confiteri necesse est.
 Quod quandoquidem à vero abhorret, non improbandæ pietatis
 purari debet. Virginem Dei beneficio nihil sensitse unquam culpatae
 originis: præsertim cum ejus creandæ causa esset, ut novi, sicut supra
 ostendimus, mundi nova forma existeret, & Dei Filium mortis e-
 versorem conciperet, pareret, lactaret, educaret. Verum ne per-
 tinacis objectoris spicula suffugere videamur, ad conceptionis quo
 nos vocat exordium redeamus. Extare, inquit, oportet id quod al-
 terius opem beneficiumquè excipit. Actiones enim omnes, sicut rei
 extantis sunt, ita circa aliquid quod est versari intelliguntur. *MARIÆ*
 igitur puritati quæ nondum extabat, servator ille Deus opitulari qui
 potuit, nec unum prorsus extandi momentum esse conceditur & gra-
 tiæ. Qualitibus enim res ipsa, ut picturæ superficies substernuntur.
 Præit igitur natura benedictioni, & vita morti. At quia de summi
 figuli, idest, Dei, operibus & quam scitè ignorantibus nobis operetur
 disputationem sumere, non satis considerati hominis est; nemo enim,
 ut est apud *Isaiam*, dicit Patri, quid generas? suppeditent sacra nobis
 litteræ de gurgustio & pedica argumentantis exitum. *MARIÆ* siqui-
 dem, dum ad Angeli turbatur eloquium, sterilem *Elyzabeth* *Gabriel*
 anteponit: cui gravidæ factæ sextus à Joannis conceptu mensis erat;
 quasi concipiendi fidem Virgo respuere non deberet, quæ diutissimè
 sterilem & plenam annorum matronam intelligeret, concepisse. Ad
 hunc proculdubio modum quod difficillimum factu nonnumquam ar-
 bitramur: alio quodam ex scripturis exemplo comprobamus. Pro-
 deant igitur ad nostræ assertionis firmamentum *Isaia* similia, quibus
 adversatoris acies profligetur. Prædestinatio Dei actio est non tem-
 poraria, sed æterna: qua gratiam justificandis beatificandisque donare
 longè ineffabiliter antequam conciperetur, Deus ordinavit. Erga igitur
 nondum extantes creaturas mens & consideratio Dei versabatur:
 cum eas vel ad beatitudinem, vel ad miseriam seligeret. Unde *Paulus*
Tharsensis multis annorum millibus priusquam prodiret natus, lupi
 rapacis appellationem ex Patre *Beniamin*, ut interpretatur *Augusti-*
nus, accepit. Legimus quoque complures in divinis scripturis locos
 nomen

nomen à rebus postea gerendis per anticipationem fuisse sortitos. Et si figulum consideres, videbis ex terræ moléctis nondum vasis distinctisse officia : & ea certo aliquo vocabulo designasse quod nondum est. Non segnus aliquis tibi statuarius respondebit cum dolendam celandamque materiam delumpfit, Petri vel Andree simulacrum omne quod sculpsit, nullis sit licet figuræ lineamentis distinctum. Non aliter faber & celator Deus designatam sibi in æternitate genitricem, cum tempus oriendi successit, vigil conceptioni comes & protector affuit, & Matrem ne tenebris caligaret peccati, *vultu*, ut inquit David : *suo*, idest, præsentia majestatis, *eam adjuvit*. Non enim, ut in psalmis legitur, *dormitabit neque dormiet qui custodit Israël*. Nam illud Hieremiæ verum est. *Sicut vigilavi ut exellerem : sic vigilabo super vos ut ædificem*. Neque nobis de temporum momentis sive instantibus cura debet esse anxia, cum de divinis operationibus agitur quæ non stantia ideo dici possunt, quod vix sunt cum esse desinunt quorum discretionem vel subitam successione Dei virtus in operando non respicit. Stat enim Dei dictio & efficax verbum : cui per nullius momenti interstitium comes & præsto adest effectus. *Ipse*, inquit Propheta, *dixit & facta sunt*. Non scrutemur in Matris Dei conceptione præexistentiæ atque illuminationis instantia vel momenta, quibus anxari solet non Christianus, sed seculosus quispiam & litigiosus sophista. *Non est vestrum*, inquit Christus, *nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*. Nec pensitabundi aut solliciti sumus quo se loco MARIA recepisset : si præsurgente filio vitâ fuisset defuncta. Cum enim ex Simeonis prædictione gladius, idest, passio & mors Christi piæ Matris animam transitorus erat : præteriri vaticinium non potuit, ut genitricis interitus filii Crucifixionem & mortem præveniret, nam inane Domini verbum non est qui ad discipulos ait. *Amen dico vobis : unum iota vel unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant* Quamquam illud non est à recta fide alienum credere Domini Matrem si filium in mortem anteisset aliquo illustri collocandam loco, donec simul cum suo & omnium salvatore in eam quam nunc supra cœlestes thronos sedem obtinet fuisset assumpta. Enim vero minore privilegio digna non est quam beati illi viri Enoch & Joannes, quos paradisi illius terrestris amœnitas admirabili nobis modo excepit, & in postremum dominici diem adventus servat. Sed temeritati proximum est ea anxio scrutinio rimari : & tamquam anticipia introducere, quæ vel ab illuminatissimis Vatibus prædicta : vel à Christo

à Christo posita cognoscimus. Matri igitur mors dominari ante filii excessum non debuit, quæ passionis ipsius gladio trajicienda erat. Sed quamobrem unam præ creatis omnibus MARIAM mortiferum originis genus superasse dubitemus, cum alia quædam in genere animantium oppidò stupenda referantur? est enim Africa multiformi serpentum veneno vexata qui homines bestiasque nunc clam nunc palam aut interimant, aut crebro vulnerent; Psylorum tamen genus adversus hanc perniciem inoffensum stetit complures auctores pari sententia scripsere. Cur igitur in MARIA miraculum esse videatur: & in commune humani generis virus sola steterit intacta? Nec verò indubitatum illud est: Æthyopas sine sui jactura draconibus vesci. *De disti*, inquit David, *eum escam populis Æthyopum*. Si virulentum animans edentes se Æthyopas non lædit: minus longe mirari pietas debet Virginem adversum peccata prodeuntem vicio non tabuisse primi facinoris. Et quia Æthyopas cursim attingimus: vicinos illis consideremus Ægyptios apud quos pestifer anguis crocodillus frequenter visitur Nili fluminis incolæ, qui omni animanti crudelissime infestus uni trochiloaviculæ, quem regem avium Italus vocat, pareit. Tentyrios quoque inter habitatores Ægypti solos non attingit, & ad eam quam incolunt insulam auctore Plinio non adnatat. Non ergo imbecilli fide teneamus fratres humano generi sapientius consuluisse Deum, ut qui contra serpentium inquietudinem quosdam voluit populos intemeratos esse: ita adversus invidiosa venena dæmonis unam saltem futuram sibi Matrem illoesam profus fore provideret. Quare illi scitè per Salomonem ex perlona cœlestis Sponsi præcentum est, *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te*. Cujus equidem pulchritudini atque puritati assentitur Augustinus de baptismo parvulorum, sic differens (Hac excepta) omnes sancti dicunt. Porro de conceptionis hujusmodi mundicia atque innocentia, tametsi nulla nobis ex litteris divinis expedita testimonia suggeri monstrariquè vociferetur adversator: attendat ipse qui diversam positionem agrè atquè operosè tuetur: nihil ominus sacris se testimoniis adjuvari. Quamyis enim numero stipatus Doctorum gloriabundus insultet: id eò spectat ut fuisse olim tempus constet: sicut ante divi Augustini atatem de Virginis assumptione nulla lata erat sententia: ita de conceptionis puritate licuisse aliquando varia conjectari. At post ubi optimorum relatione hominum Miracula auctore MARIA facta nunciata sunt, quibus conceptionis diem fore festum Virgo mandavit: quandoquidem etiam

reverentia & devota fidelis populi religio nullo suafore, sed Dei tantum ut sanè credi potest instinctu: hoc annum & solenne accepit: simulque piis votis successit spiritualium virorum & Basilianæ conventionis non contemnenda autoritas: impiè eos agere putandum est qui celebranda quotannis conceptionis morem eliminare contendunt. Nam si dignis officiis excipimus natam: cur non venerabimur conceptam? Itaque plurimos dies festos longè inferiore causa Clerus induxit & habet. Si enim cujusciam è sepulchro sancti corporis translationem venerandam retinemus: si fragmentorum vel sanctarum reliquiarum acceptionem sive susceptionem in memoriam revocamus: si Apostolorum divisionis à quibusdam colitur memoria: si principis Ecclesiæ Petri cathedra: si doctoris gentium Pauli conversio venerabilis est: quare ejus conceptionem differemus venerari, quæ ut nasceretur concepta est: nata vero ut Dei filius ex ea progrediens nos à mortis damnatione liberatos in vitam & regnum suum miseret? Observant alii nova institutione diem qua fecunda Deo Virginis humilitas gravidam sancto Joanne Elisabeth visitavit. Alii solenne est *MARIÆ* festum de nivibus. Introducunt alii Virginis in templo præsentatione Quæ licet solennia cujusciam habeant & cultûs ratione: minor tamen aliquanto est quam omnium parentis & reginæ principium, unde reliquæ festivitates ut celebrarentur caput observationemquè sumpserunt. Quare si *MARIÆ* singulageneri christiano præbita pii operis & honestissimorum exempla morum pensitemus, non indecorum neque irreligiosum putabitur ejusdem juxta crucem filii astantis plorationes & fletus annuo festo recordari, dequè ea re commemorationem populo indicere feriatam. Nam si gaudiorum ejus consortes fieri benè vivendo speramus, cur amaritudinis ipsius & compassionis dolores non imitabimur? Sed tam multa & filii & Matris pii dogmatis colligenda fragmenta supersunt: ut illa colligere Ecclesia sufficienter non possit: ut mysteriorum quantum saltem particulam quisvis per anni circulum dies accipiat. Sed primarias rei gestæ dignitates paucioribus assignare observationibus satis est, ne minutarum multitudine rerum pressa plebs Christiana à quærendis vitæ subsidiis revocetur. Sunt enim semper abundè in Ecclesiæ sanctuariis quibus hæc omnia curæ & meditationi succurrunt: quorum frequenti memoria solatium in vitæ adversitatibus & adversus irruentes tentationes præsidium sibi suppeditant. Itaque nemo unquam *MARIÆ* deditus devotusquè quem puritas illius atquè indicibilis sanctitas & excellentia delectavit: quiquè inconcussâ spe accipiendæ

ab ea opitulationis ductus eam excoluit, nemo inquam est qui se ab ea desertum queratur. Cujus rei certam experientiam quia non tantum immanis olim peccator ille Theophilus, sed innumeri beneficiorum *MARIÆ* conscii cognoverunt: non subjiciam de re celebratissima historiam. Ipse ego *MARIÆ* beneficentiæ testis non mendax accedo: qui in Bethica Hispaniæ parte cum diù gravissimè ægrotarem, nec medici sedulitas remedium afferret: sed salutis expectatione defectus in unius *MARIÆ* benignitate opequè meam salutem reponerem, me jugi oratione & assiduo morbo fatiscentem somnus accepit. Nec diù quieveram: ecce misericors Virgo filium suum Jesum in dextera comportans aureo vestita pallio, facie adedò venustâ & clementi ut Virginem facile pudicissimam existimares: cui mille gemmis corona capiti infidebat, meum modestè cubiculum ingreditur, in pluteum qui reponendis poculis tapete tegebatur ascendit. Quæ stans & me clementer aspectans: mihi eam per quietem intuenti solatium non mediocre conferebat. Admirantem me Virginis speciem atque decoram modestiam sic tandem est comiter allocuta. Orasti, inquit, me & diurnâ prece permovisti, levamen tibi à morbo præstarem: ne te extremâ ut sæpè multumquè querebaris tellus vitâ functum sepulchro exciperet: sed curatus atque incolumis caros tibi vitâ & consuetudine conjunctos reviseres: negotio cuius gratiâ adveneras expleto, perseveranti fide esto, exauditus es, valetudinem consequeris bonam. Francos repetes, & dulci tuo nativitatibus solo non privaberis. Vix hujusmodi sermonem Virgo exegerat: & ipsa cubiculo delapsa est: Quam voto voceque sum ut eram appetens salutis, devotè profecutus. Cujus Virgineæ consolationis non est mihi vana fides. Protinus enim elanguit morbus & melior me virtus stupentibus postridie medicis solidavit. Quippè qui me superiore proximo die tanquam morti derelictum inter plorantis familiæ gemitus deseruerant. Adedò potens est misericordiæ Mater & regina succurrere petentibus se atque unicè diligentibus. Petitionis autem & precum dum ægrotabam mearum orationem versibus commendavi: quæ apud multos extat testimonium restituta mihi à Virgine sanitatis. Perstemus ergo, fratres dilectissimi, in virgineo cultu alacres, nec formidini nobis sit adversantium calumnia, sed conceptam sine contaminatione *MARIAM* stabili pietate credamus, quoniam concipi impura non potuit quam supra choros Angelorum omnipotens Deus destinaverat exaltandam; ubi ad dexteram sublimis Dei assumpta patrocinium accepit poenitentium

tentium peccatorum. Jam ergo sermoni nostro finem adiicientes : te Virgo innocentissima multâ devotione flagitamus : si quid tuæ simul & filii tui dignitati non consentaneum de tua conceptione differentes attulimus, nos admonere festines. A pietate enim omnino est quod in tuas laudes nostra humilitas desumpsit. Erratum emendet tua miseratio celeriter, quod equidem non temeritas, sed religiosa in te observatio persuasit, nosque de tuis benè meritis obsequiis redde, quibus credimus (si digna erunt) non minus quoque gratiam mereri salvatoris. Tu à fragilibus exhibitum tuo honori officium mitis & clemens accipe. Boni consule quicquid vel tentatione victi vel ignorantia cæci peccamus. Impetra resurrectionem à virtute cadentibus, perituris mitte præsidium, benè agentibus perseveranter agere concede : atque iis & benigna semper & misericors accedas, qui tuo se suffragio petunt sperantque fideliter adjuvari. Hoc nempe præstare potes ut domina : implere ultra soles ut mater : differre ut patrona non debes : assistente tuis perpetuis supplicijs filio tuo Iesu, cui datam in cælo & in terris omnem esse potestatem catholica per orbem religio confitetur, quique cum Patre & Spiritu sancto vivit & colitur Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IN CONCEPTIONE B. MARIE Virginis, per eundem Gaguinum Officium.

Ad I. Vesperas. Antiphona.

Incipe sancta cohors gaudere frequentibus odiis
Ingreditur vita lumina virgo parens.

Psal. Lætatus sum.

Antiph.

Eva caput scelerum colubro dum credula parer,
Et fletum, & mortem, stulta virago tulit.

Psal. Ad te levavi.

Antiph.

Lucis principium est MARIA, & origo salutis,
Aret ubi vicium, nascitur inde fides.

Psal. Nisi quia.

Antiph.

*Mare diu sterili, veterum signata figuris
Candida concipitur nix velut orta recens.
Psal. Qui confidunt.*

Antiph.

*Tale decebat opus datricem legis opima,
Quâ vetus interijt, & nova gens oritur.
Psal. In convertendo.*

Hymnus. Versu Saphico.

*Hæc dies nobis veneranda semper,
Annua cœli redijt meatu,
Quâ celebs Christi genitrix paratur
Visere terras.*

*Canticis olim celebrata Vatum
Concipi cœpit sine labe culpa;
Nam Dei lumen paritura, fulsit
Vndique clara.*

*Hæc fuit lesse genus, & propago
Pulebrior lunâ procul à tenebris
Legis haud quicquam referens Paternæ,
Mundior astris.*

*Quam sibi mortis Dominus parabat
Morte percelli vetuit parentem,
Gnatus hoc matrem cumulare dono
Debuit amplo.*

*Legis excelsus faber, & Creator
Clandit, & cœlos aperit què rursus,
Vinculis nec se patiens teneri
Liber agit rem.*

*Demus huic laudes humili canore
Quem colunt divi super astra regem,
Cujus est nomen decus & potestas.
Mira creatis. Amen.*

Versus. Pulehra es & decora filia Hierusalem.

Resp. Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Ad Magnificat. Antiphona.

*Supplicibus votis pecimus te virgo benigna
Dirige conceptos in tua festa modos.*

Oratio.

Presta nobis Deus noster benedictæ matris tuæ conceptionem venerantibus
innocentiæ puritatem, ut sicut illa tuo hodie beneficio Paternæ transgressio-
nis contagionem dum conciperetur non incurrit, ita nullâ nos permittas iniqui-
tatis impuritate sordidari. Qui vivis, &c.

Invitatorium.

Festa dies agitur **MARIÆ** venerabilis ortus,

Exulet hinc torpor, & pia mens vigilet.

Venite Hymnus carmine a sepleiadeo.

Cælorum Dominam, magnificet chorus

Conceptusque diem proferat impiger,

Hinc nobis oritur vita fidelibus,

Et scelus interit.

Hac Ruth est Noëmi credita pulchrior,

Non ullis veniens oblita sordibus,

Quam gnatus meritis auxilii honoribus

Nec tulit infici.

Hac cæli referat sponte pia fores,

Festinans miserum solvere compedes,

Et crebris precibus conciliat Deo

Quos videt atteri.

Ergo te petimus digna Deo parens,

Fer clemens famulis & veniam atque openam

Si felix aderis vota ferentibus

Nil erit anxium.

Sit Patri pietas, sit Genito decus

Communi sit honos Spiritui sacro,

Est quorum rutilans una potentia,

Vna benignitas. In Laudibus Antiphona.

Ecce rubet properans aurora revivere terras

Dum virgo exorians candida concipitur.

Pfal. Dominus regnavit.

Laudibus ut par est Christi solemnia matris,

Mens pia, vox modulans puraque lingua sonet.

Pfal. Jubilate Deo.

Hac virgo est nullo sceleris temerata reata,

Pura magis vitro, sidere lucidior.

Pfal. Deus deus meus.

*Transgreditur superos meritis, & sede beata
Quæ rerum auctorem flamine sacra tulit.*

Pfal. Benedicite omnia.

*Te virgo ardenti ser ventes corde rogamus
Da nobis de te cum pietate fidem.*

*Pfal. Laudate dominum,
Hymnus in laudibus.*

*Virgo decus superum cælestis origo salutis
A te principium vita beata capit.*

*Mater es unigeni fluit à quo gratia verbi,
Reddimur & luci quam scelus obtenebrat.*

*Te semper canimus, te cantica nostra loquuntur :
Ergo save resonis laudibus alma tuis.*

*Solve reos culpâ : populi miserere ruinis,
Quoque tuum premitur haste levato genus.*

*Hoc præstet genitor, & de te virgine natus
Flamina cum sacro, quos decet unus honos.*

Verf. *Fecit potentiam in brachio suo.*

Respons. *Dispersit superbos mente cordis sui.*

Ad Benedictus Antiphona.

*Virginis obtineat nobis conceptio pacem,
Discipulis Christus quam moriendo tulit.*

Oratio ut supra.

Ad Magnificat Antiphona.

*Sacra tui virgo conceptus annua vesper
Exigit, & jam sol aquora subter abit.*

*Lux veniat Christus qui te sine nocte creavis,
Et nos illustret lumine perpetuo.*

Oratio ut supra.

Secreta Oratio.

Plas fidelis populi oblationes ad tuæ majestatis conspectum Deus admitte, & quem pura genitricis filij tui conceptio hodie devotioem reddit, eundem tua benignior semper indulgentia custodiat. Per eundem.

Oratio post Communionem.

Spiritualis nos refectio Deus virtutibus amplifcet, ut quibus matris filij tui conceptio solennis perseverat : tuæ quoque benedictionis adju eisdem munimentum. Per eundem. Amen.



S E R M O

VENERABILIS MAGISTRI NICOLAI DE BLONII,

Decretorum Doctoris, Capellani Episcopi Bosno-
nienfis, valdè deservientes populo scilicet &
Clero utrumq; docto eos dignè legenti, prædi-
canti aut audienti. De Tempore & de Sanctis.

DE CONCEPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS SERMO QUINTUS.

Ut extat in impressione antiqua, ubi in fine dici-
tur : *Finiunt Sermones Magistri Nicolai de Blonij
Decretorum Doctoris, Capellani Episcopi Bosnoniensis,
de Tempore & Sanctis, conscripti ab eodem anno
Domini M. CCCC. XXXVIII. & videtur capi ex
Sermonem C. XIII. circa medium membri primi ejus-
dem Sermonis, impressi Argentinae anno Domini
M. CCCC. XCVIII. in vigilia S. Bartholomæi.*



*P*lebra ut Luna, terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant.
vi. cap. sic dicit Aug. in quodam sermone : Adest no-
bis, Dilectissimi, dies Beatæ MARIÆ Virginis dedica-
tus, & omnino gaudeat terra nostra tantæ Virgini de-
bitum obsequium exhibendo. Hæc enim est flos campi,
de quo

de quo ortum est pretiosum lilium Convallium, per cujus partum mutatur natura prothoplastorum quo deletur culpa; Hæc ille; Ex quo pater, quòd festum MARIÆ quodlibet debet esse maximæ reputationis apud Christi fideles ultra cæteros sanctos, præsertim cum per eam magis quam per cujuscumque sancti meritum nobis gratia inventa est apud Deum, ut dicit Gilbertus Carnothens. Episcopus in sermone. Unde Ansel. in contemplationibus suis dicit eam Aulam universalis propiciationis & generalem causam reconciliationis, vas & templum vitæ & salutis universonum. Et quia ut dicunt jura: Quod commune est omnibus, ab omnibus debet approbari, & per consequens venerari & celebrari; ideò festivitas tantæ Virginis meritò est appetenda, veneranda & cunctis seculis prædicanda; maximè autem illa festivitas quæ magni beneficii sibi à Deo exhibiti est memoria: ejusmodi est festum sanctificationis seu Conceptionis quod hodiè agitur à Christi fidelibus, in quo Ecclesia cum Christi fidelibus, Virginem gloriosam prædicat, devotè & humiliter dicens eam pulchram ut Lunam in sanctificatione sua sub verbis thematis: *Pulchra ut Luna*: In quibus verbis B. Virgo tripliciter commendatur propter tria Virgini MARIÆ appropriata: Primo modo comparatur Lunæ ratione nominis quod habet ex impositione. Secundo comparatur Lunæ, ratione pulchritudinis quam habet ex solis irradiatione. Tertiò comparatur Lunæ ratione virtutis quam exhibet in recepti luminis diffusionem.

Dixi primò quòd Virgo gloriosa commendatur ex verbis præmissis ex comparatione lunæ; ratione nominis ipsius lunæ. Appellatur autem lunatriplex nomine. Dicitur enim luminare minus, Genesis primo. *Fecit Deus Luminare minus ut præset nocti*. Eccl. 43. *Luminare minus quod minuitur*. Secundo, dicitur luna Regina cæli. Unde Hieremiæ 44. *sa-crificemus Reginae cæli*. Tertiò appellatur luna vas castrorum; Eccl. 43. *vas castrorum in excelsis in firmamento cæli resplendens*. In primo significatur meritum perfectæ humilitatis; sic enim luna est minor corpore omnibus stellis cæli exceptâ illâ quæ est soli conjuncta scilicet Mercurio: ita Beata Virgo omnibus sanctis humilior, exceptâ naturâ humanâ unita solis divinitati, ideò quantò plus habuit de humilitate in terra post Christum, tanto plus de felicitate habet in cælis post eum. Si autem volumus comparare corpus lunæ ad solem, & tunc expressior erit figura præsentis solemnitatis. Nam sicut luna est inferior loco & dignitate: ita Virgo Beata inferior est in sua conceptione filii Dei conceptione, Nativitate & omnibus aliis; & omnino supposito isto quod

quod non sit concepta in originali peccato, ut quidam pie credunt; tamen adhuc non æquiparatur nec assimilatur Christo in omnibus. Dicit enim Ptolomeus in Almagesti propositione. 18. quod sol excedit lunam quadragesies octies; sic Christus excedit Virginem Matrem suam sua Conceptione & Nativitate. Ille enim de Virgine conceptus, ista de conjugè. Secundo, quod ille de Spiritu sancto, Hæc de viro. Tertio, quod sanctificatio Christi in conceptione fuit plenior quam **MARIÆ**, eò quòd ab instanti conceptionis fuit anima Christi beata; non tamen sic **MARIÆ**. Et omnino Patet illorum protervitas & durities qui timent vel nolunt concedere illam conceptam sine originali peccato, timentes eam per omnia assimilari Christo, ac per hoc metuentes offendere Majestatem singularem Christi, si eam sibi in conceptione assimilent, videant & audiant. Adhuc dato quod sic esset concepta, non tamen per omnia similis esset & Christo, sicut supra dictum est; eò quòd Christus respectu ipsius se habet ut sol ad lunam, quia maximè distant à se invicem, majoritate, loco & dignitate. In secundo nomine insinuat præconium regis Majestatis & dignitatis: sicut enim luna per solem tenet principatum in cælo æthereo; ita & Beata Virgo post Christum dominatum possidet in cælo empyreo; unde ipsa signatur in regina Hester, cui Rex concessit medietatem Regni sui. Regnum Dei in duobus consistit, in justitia & misericordia, justiciam reservat sibi, juxta illud, *Mibi vindictam & ego retribuam*, sed misericordiã concessit dispensandam Matri suæ: unde dicit Bernardus: quod **MARIA** omnibus misericordiæ sinum aperit, nec est qui se à gratia ejus abscondat. In tertio nomine insinuat officium sedulæ pietatis: luna enim dum noctis tenebras illuminat, deservit existentibus in castris; sic **MARIA** pugnantibus in certamine viciorum contra diabolum: Et idè dicitur in Themate: *Pulebra ut luna, terribilis ut castrorum acies ordinata*: Nulla stella magis utilis castrorum custodiæ, quam luna, quia in luce ejus facilius est custodia, defensio & pugna in nocte. Sic nullus sanctus ita est propicius hominibus ad pugnandum contra diabolum, & ad prævidendum ejus insidias, sicut patrocinium hujus Virginis. Et omnino sicut luna specialiter præest nocti, sic Beata Virgo defensionem peccatorum in tenebris ignorantis errantium, unde Gen. 1. dicitur; *fecit Deus luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, & stellas fecit & posuit in firmamento*. Lumen majus quod præest diei gratia est Christus, qui est verus sol justiciæ ortus timentibus Deum. Quamdiu iste sol lucet per gratiam suam,

tandiu est dies salutis Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Luminare minus, quod præest nocti peccatorum, Virgo Beata est, quæ per compassionem & misericordiam suam plus adjuvat peccatores quam cæteri Sancti; unde ipsa habet singulare dominium supra mare, quantum ad augmentum ejus, ut dicitur primo metheor. Sic Virgo habet potestatem augendi contritionem & devotionem in amaritudine peccatorum. In comparatione autem **MARIÆ** alii sancti dicuntur stellæ. Et ideo addit: & *Stellas posuit in firmamento.* Sicut enim stellæ habent multiplicem distinctionem & multiplicem effectum, sic & sancti, Aliæ enim sunt aliis clariores, aliæ aliis viciniore, aliæ aliis altiores, aliæ aliis velociore, Aliæ aliis efficaciores: unde Apostolus 1. Cor. 15. dicit, quod *stella differt à stella in claritate*: Sic est de sanctis respectu Dei: quia quidam sunt clariores in cognitione divinitatis & viciniore Deo. Alii altiores speculando & videndo Deum. Alii velociore ad juvandum nos. Alii efficaciores in exhibendo nobis beneficia. Sunt & aliæ stellæ quæ sunt fixæ in firmamento, & moventur cum eo, & significant Angelos qui semper moventur ad motum voluntatis divinæ. Aliæ præcedunt mane solem ut stella matutina, ut fuerunt Prophetæ prænunciantes Christi nativitatem Eceles. 1. *Quasi stella matutina in medio nebulae.* Aliæ conjunctæ soli, ut Patriarchæ, qui per opera misericordiæ fuerunt conjuncti Deo. Aliæ currunt contra firmamentum, & significant Apostolos, qui currunt per doctrinam contra mundum istum ne ruat. Danielis 1. *Qui ad justiciam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Aliæ sequuntur solem, ut est vespere, & significat martyres, qui per martyrii passionem secuti sunt Christum Job. 23. *e. vestigia ejus secutus est pes meus.* Et Salvator: *Tollat crucem suam & sequatur me.* Aliæ dicuntur erraticæ, quia modo istam, modò illam tenent viam, & significant Confessores qui diversis viis meruerunt merita æterna: Nam quidam in vita heremitica, quidam in claustrali, quidam in statu laicali, quidam in sacerdotali, quidam jejuniis, quidam orationibus. Unde Baruch. 3. *Stella dederunt lumen in custodiis suis.* Aliæ sunt ita altæ, quòd obumbrante sole vix videntur, & significant Virgines, quæ altum habent meritum, & obumbrantur à sole Christo ut vix videantur, quia videntur ab hominibus nullius esse meriti, cum non faciant fructum ventris, juxta illud: *Maledicta sterilis.* Aliæ sunt stellæ, quæ non recedunt à stella maris, sicut currus qui vocatur major ursa, & significant viduas, quæ

licet Virgines non sint, tamen sunt castæ, & adhærent Beatæ Virgini quantum possunt per devotionem specialem ad eam. Unde Philip. 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria verbum vitæ continentes, id est, verbum Dei vitæ implentes.* Aliæ sunt quæ faciunt viam per medium cœli lucidam propter multitudinem nimiam, & dicitur via lactea seu galaxia, & significant conjugatas quæ multæ sunt. Unde Ecclesi. 43. *Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis:* Istud promittit Dominus Abrahæ, Gen. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* Sicque patet primum principale in quo dictum fuit quod MARIA recte comparatur lunæ propter nominis impositionem: sicut enim audivimus, Christus dicitur verus sol justitiæ; sancti vero tam in præsentem quam in futuro dicuntur stellæ. Restat ergo ut MARIA inter Deum & homines: sicut inter solem & stellas tenet proprietatem lunæ quoad nominis ejus virtutem. Et tantum de isto.

Dixi secundo quod B. V. comparatur lunæ ratione pulchritudinis quam habet ex solis irradiatione. sicut autem dicunt Astronomi. Luna recipit à sole sub triplici gradu pulchritudinem: siquidem pulchra est in principio quando est nova: in medio pulchrior quando est plena: pulcherrima in termino, quando est soli conjuncta, licet nobis tunc non appareat, tunc enim magis perfunditur luce quam ante, ut probatur per Astronomos. Sic Beata Virgo habuit triplicem gradum pulchritudinis suæ à sole Christo. Fuit enim pulchra in ingressu suæ conceptionis, quando anima ejus ingressa est corpus; Tunc enim fuit quasi nova luna, per donum gratiæ sanctificationis, quando ipsam emundavit à macula originali; unde miratur de eâ Salomon, Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora surgens, pulchra ut luna?* Item fuit pulchrior in processu velut luna plena in diebus suis per donum gratiæ fecundantis, tunc enim fuit mundata à fomite Carnalis concupiscentiæ. Sicut enim luna pulchrior in plenilunio est, quam in novilunio, quando ex nulla parte est vacua lumine. Sic & Beata Virgo in conceptione Filii Dei pulchrior fuit, quando nulla sui parte vacua sed plena divinitate fuit. Unde dictum est ei: *Ave gratia plena;* Sed pulcherrima fuit postea in egressu velut soli conjuncta per donum gloriæ elevantis & Beatificantis. Sicut enim luna in conjunctione sui cû sole est clarissima, ut puta radiis solaribus illustrata magis, licet nobis non appareat, quia tunc habet lucem inaccessibilem. ita B. V. quando in assumptione sua fuit elevata & soli inaccessiblei justitiæ Christo associata.

Dixi Tertio quod Virgo gloriosa comparatur lunæ ratione virtutis quam

quam exhibet in recepti luminis diffusionē. Luna enim lumine suo tria facit, secundum Philof. in inferiobus. Replet enim conchilia humidum augmentando, attrahit MARIA foetidum humorem de profundo extrahendo, Temperat adusta de nocte aëra, ardorem solis reprimendo. Hæc sunt tria beneficia quæ erant valde necessaria habitantibus, nobis in regione umbræ mortis, quibus ad solatium est concessa. Si quidem peccatores vacui erant gratia, & omnino indigebant repletione ponderosi culpâ. Ideo indigebant elevatione & de profundo lacu extractione, Adustâ justiciâ divinâ, & ideo indigebant divinæ justiciæ temperantia per propiciationem. Hæc tria facit Beata Virgo in nobis lumine & beneficio suæ gratiæ, Primo enim replet conchilia, id est, corda nostra gratiam nobis impetrando: Unde de ipsa dicit Angelus Lucæ primo: *Invenisti gratiam apud Dominum*; Nec dubium quando nobis eam dicatur invenisse, licet ipsa sola plena gratiâ dicitur extitisse, ac per hoc non sibi sed nobis acquisisse. Ideo ipsa comparat se aquæductui, Eccl. 24. *Ego quasi aquæductus exiui*. O quam optimam aquam gratiæ propinavit nobis ista Virgo; Certe talem aquam qui biberit non sicut in aeternum, Job. 3. Sed nunquid eam nobis in paritate vel penuria propinat? Certe non. Sed in maxima copia. Unde de ipsa de se dicit *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini*, Non dicit Bibatis, sed adimplemini, ad copiam & abundantiam, & saturitatem, & plenitudinem. Nec mirum: Non est enim gratia istius Virginis sicut aliorum sanctorum, quibus Deus dedit ad eorum sufficientiam, sicut dicitur de B. Stephano quod erat plenus gratia, quod utique fuit ad sufficientiam. Sed isti data est gratia ad plenitudinem, unde dicitur Gratiâ plena. Sicut enim dicit Ambros. lib. 2. de virginitate, Virgo MARIA nullo genere virtutum caruit, cui Angelus plenitudinem nunciabat. Et concludit Bernard. super *Missus est*, quod de plenitudine ejus accipiunt universi, Æger curationem, Tristis consolationem, Peccator veniam, justus gratiam, & sic de aliis, omnibus enim omnia facta est, & de plenitudine ejus recipiunt universi. Secundò, MARIA elevat & attrahit vaporem foetidum, id est, culpam extrahendo. unde in Canticis clamat peccator ad eam dicens: *Trabe me post te*: Tractus autem iste non fit invitus aut molestus, sed valde suavis & dulcis, unde sicut Mater attrahit puerum ut post eam currat, ostendendo sibi pomum vel blandiendo manibus. Sic hæc Virgo ostensione exemplorum suorum attrahit ad se; unde in Canticis: *curremus in Odorem unguentorum tuorum*, Odor unguentorum sunt exem-

pla virtutum in hac Virgine, quibus illecti peccatores plus quam exemplis aliorum sanctorum currunt per viam mandatorum & semitam Consiliorum ad Christum. Tertio, hæc Virgo est reconciliatrix inter Deum & peccatores. Unde sicut nemo venit ad Patrem nisi per filium, ut dicit salvator: Ita nemo ad filium, nisi per Matrem & sicut nemo est aptior ad mitigandum iram Patris contra filios degeneres scipientem nisi Mater: Ita nemo sanctorum est aptior ad intercedendum pro nobis ad Deum sicut ista Virgo, quæ cum Deo Patre meruit habere eundem filium, cui non est fas ut ei Deus Pater aliquid neget, ex quo Pater ei voluit dare Unigenitum filium & dilectissimum. Unde Apostolus: *Nonne cum illo donavit nobis omnia?* Similiter filius non poterit negare quidquam Matri, à qua recepit omnia quæ habet secundum sanctam humanitatem à Matre. Sic nec Spiritus sanctus poterit ei quidquam negare, qui in eam superveniens plenitudinem donorum illi non dubitatur contulisse. Adeamus ergo cum fiducia Thronum gratiæ, ut gratiam consequamur per eam & post hoc gloriam, ad quam nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.





EPISTOLA
 FRANCISCI
 TURRIANI,
 Sacerdotis Societatis JESU.

De definitione propria peccati originali ex Dionysio Areopagita. Et de Conceptione Virginis & Matris Dei sine peccato, ex Scriptura Angelicæ Salutationis, & testimoniis antiquorum Patrum.

*Ad Reverendissimum D. JACOBVM AMIOTVM,
 Episcopum Antisiodorensem.*

Cum licentia Superiorum.

SALMANTICÆ.

In ædibus Lucae à Junta. M. D. LXXXII.

DOn Geronymo Manrique, Obispo de Salamanca, del Consejo de su Magestad, &c. Por la presente damos licencia á qualquier Impressor desta ciudad para imprimir una carta del Padre Francisco Turriano de la Compañia de JESUS, dirigida al Reverendissimo Señor Jacobo Amioto Obispo Antifidoriense, contenida en veinte y dos fojas de quartilla que estan rubricadas del infrascripto Notario, guardando las pragmaticas de su Magestad y leyes destos Reynos. Dada en Salamanca, à treynta y un dias del mes de Mayo de mil y quinientos y ochenta y dos años.

Don GERONYMO, Obispo de Salamanca.

Por mandado de su Señoria Illustrissima.

HERNANDO DE SOLIER.

REVERENDISSIMO DOMINO,
D. JACOBO AMIOTO,
Episcopo Antifidiorensi.

FRANCISCVS TVRRIANVS, Societatis Jesu.



Quod ex literis Maldonati nostri, ad me superioribus diebus datis intellexi, P. V. Reverendiss. librorum meorum, qualescunque sunt, lectione delectari, fateor pergratum, & perjucundum fuit, non quòd ambitiosus sim; etsi malebam hoc ab alijs potius, quam a me prædicari, ne reprehensionem, sapientis incurrerem, cum ait: *Laudet te alienus, & non os tuum*, sed quod te omni genere literarum alioqui cultum & perpolitum, ac negotijs magis necessarijs, studijsque gravioribus occupatum, aliquid spatij ad legendum nostra, eis surripere, spem affert, fore ut qui magis otio abundabunt, & scientia atque judicio multò inferiores erunt, non usquequaque ea negligent, ne noster labor inutilis sit. Ubi hoc in epistola Maldonati legi, ipsa jucunditas, quam dixi, continuo excitavit me ad cogitandum, quo genere remunerationis tantum lectorem prosequer, & grati animi mei significationem darem, beneficij enim loco pono, quòd P. V. Reverendiss. tempus ullum in meis libris legendis ponit: præsertim si non Lector tantum, sed Corrector esse vult, quod magnoperè opto, & si tempus vacat, peto & rogo. Statim ergo occurrit animo commentatio quædam mea, etsi perbrevis, de definitione peccati originalis apud Dionysium Arcopagitam, à me jampridem non indiligenter observata; quam quidem propter gravitatem auctoris Dionysij cupiebam cum ijs, qui studio ejus tenentur, communicare, & in primis cum Parisiensibus, qui tanto Pauli discipulo Gallix Apostolo, Magistro & Patrono jure suo gloriantur. Scio alios ante me & fuisse & esse nunc, qui studiosè Dionysium legerunt, in eoque scrutando & utendo multum operæ & industriæ posuerunt, qui, ut me ingenio & sagacitate superarunt, ita & priùs & faciliùs olfecissent, quod ego serò tandem post eos, nec acri neque sagaci inge-

ingenio præditus, deprehendi, si cum ea cogitatione ad observandum hoc in Dionysio accessissent, qua ipse accessi. Semper enim mihi persuasi, non præterisse hunc divinum scriptorem, id quod in divina ejus de sancto Baptismo tractatione præcipuum erat, delere scilicet baptismum peccatum originale, cum quo in hanc vitam ingredimur: quod ille quidem ea ratione ibi expressit, quæ quid sit, propriè & perfectè, & ad Scripturas sanctas appositè declarat. Itaque cum hac sententia essem, ita attente ac sæpe Dionysium legebam, ut singulas ejus sententias & verba ponderarem, omnesque illas mysticas Baptismi sacri ceremonias omni diligentia, & quorsum auctore Dionysio pertinerent, considerarem. Sic factum est, ut me hujus loci de definitione peccati originalis apud Dionysium observatio non prætervolârit. Spero omnes deinceps scholas Theologorum relicta tam varia & multiplex quàm nunquam satis expedita ratione, peccatum originis definiendi, recepturas inter alias Theologorum sententias, hanc, quam dico, Dionysii definitionem. . . . Ex qua definitione illud quoque commodi accedit, quod magis inde adhuc apparet, decessisse Deum, ut virgo Dei mater sine labe peccati originalis conciperetur, quod quidem ipsis verbis Angelicæ salutationis significari, planè (ut arbitror) in altera commentatione, quam de hac quaestione contractè etiam, & concisè texuimus, probamus. Has verò duas commentationes, quia breviores erant, quam ut ex eis liber confici posset, in epistolam contuli, quam ad P. V. Reverendiss. mitto. Sanè quidem hæc epistola de definitione peccati originalis ex Dionysio Apostolo & Patrono Galliæ, & de conceptione Virginis sine peccato originali, tibi in primis debebatur; tibi, inquam, Dionysii studioso, & in Gallia Episcopo, ac alumno Principis Scholæ Parisiensis, & cæterarum omnium parentis, quæ & ipsa hujus sententiæ de conceptione Virginis sine naturali labe originali Patrona est. . . .

Gratum.

Gratum.

Ut Igitur ad priorem commentationem aggrediamur, ostensuri quid sit peccatum originale, quo id facilius fiat, videamus prius brevi, quid non sit eorum, quæ alii aliter definiunt, neque enim est ipsa transgressio Adæ, quod quidam nostri temporis scripserunt, Augustinum credo malè interpretati, qui in libro de Baptismo par-

Quid non sit peccatum originale.

vulorum, peccatum dixit transgressionis, propagationis & originis vitio transmissum. Quos quidem errare probant ij, qui non peccaverunt (sicut Apostolus ait) in similitudinem prævaricationis Adæ, in

quos etiam mors regnavit ab Adam, usque ad Moysen, id est, quousque duravit Moyses; lex, inquam, & Prophetae, hoc est, usque ad Evangelium. Quod si fuerunt, qui in similitudinem prævaricationis Adæ non peccaverunt, multò ergò minùs illud ipsum peccatum Adæ peccaverunt. Neque rursus est peccatum originale, imitatio transgressionis Adæ, ut Pelagiani volebant. Si enim, secundum sententiam Apostoli, qui baptizati sunt in mortem Christi, mortui sunt peccato, quomodo infans per baptismum peccato moritur, quod ad imitationem pertinere non potuit, antequam eligere puer infans posset? Nec est peccatum originale, substantiale malum, ut Manichæus dicebat, & dicit novus Manichæus, Matthias Flaccius Illyricus, quomodo enim substantiale esse potest, quod accessit naturæ humanæ; & principium habuit voluntatem? *per unum enim hominem*, inquit Apostolus, *peccatum intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt.* Nec est participatio peccati Adæ, ut sentiunt iidem, qui dicunt peccatum originale esse transgressionem Adæ, scilicet nobiscum communicatam, & à nobis participatam. Illud enim Apostoli, *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, non de peccato Adæ nobiscum communicato accipiendum est; peccatum enim Adæ non intravit in nos, sed in ipso remansit solo, quousque per pœnitentiam deletum est; sed potiùs peccatum quod nos peccavimus, qui eramus in lumbis Adæ, intravit ad nos cum primùm in utero vitam cepimus, & cum eo nascimur. Neque rursus peccatum originale est peccatum commissum ab anima, sua voluntate, antè hanc vitam, sicut nonnulli, ex quibus fuit Origenes, falsò putaverunt, ut etiam Augustinus, contra Cœlestium & Pelagium notavit, cum nihil neque boni, neque mali egerit anima, antequam fuerit in corpore, imò cum ne fuerit quidem. Neque est peccatum originale, concupiscentiæ carnalis ingenitæ vitium, quod pater in filium trajicit, ut Augustinus aliquando vult, ut in libro contra Pelagium & Cœlestium, id est, vitium ingenitum, quo caro adversus spiritum concupiscit cum reatu, id est, habens obligationem ad damnationem, ut idem interpretatur in libris contra Iulianum Pelag. somes enim utpotè effectus, & ipse reatus, posteriora sunt peccato originali, quæ autem sumuntur in definitione, priora debent esse, ut Philosophi tradunt. Neque est peccatum originale alienatio à Deo, quæ mors est, quod quidam ex antiquis senserunt, ut Marcus Anachoreta, & Anastasius Patriarcha Antiochenus: non, inquam, est reatus ad pœnam, hoc enim ad Pelagianos

lagianos quodam modo pertinet, qui aiebant nullum naturæ vitium eum pueris nasci, esto, non pateret illis regnum cœlorum absque Baptismo. Neque peccatum originale est carentia iustitiæ originalis eum debito habendi eam, ut Anselmus, & eum secutus Scotus definiunt, quia carentia privatio mera est, in peccato autem originali, non est privatio mera, sed dispositio, sive habitus quidam. Deinde illud, eum debito habendi eam, non declarat, utrum debitum dicatur naturæ, an personæ, Siquidem amissa per peccatum gratia baptismi, quæ hominem in pristinam iustitiam originale secundum vacationem omnis culpæ restituit, renovans eum secundum imaginem ejus, qui creavit illum in iustitia, & sanctitate veritatis, non redit peccatum originale, manet tamen carentia iustitiæ Originalis eum debito habendi eam, non quidem naturæ debito, quod jam per baptismum in sanguine Christi, qui naturam nostram assumpsit, semel solum est, sed debito voluntatis, debemus enim velle facere & pati, quantum opus erit, ut ab omni peccato mundemur ad intrandum in gloriam cœlestem, definitio igitur non erit æqualis definito, nisi sumatur in definitione differentia propria peccati originalis. Hactenus de malis definitionibus peccati originalis. De definitione autem S. Thomæ nihil dicendum est, cum facillè ad definitionem Dionysij referri possit. Sequitur, ut nos quid sit, si fortè possumus, perfectè declaremus. Ac primùm quidem sciunt omnes Catholici, quid hæc oratio, peccatum originale, significet, nempe peccatum, quod omnes in Adam peccaverunt. Idem rursus credunt & confitentur esse id peccatum in filiis Adæ, donec per baptismum tollatur, quid verò illud sit, id est, *Quid peccati* ejus natura & ratio, adhuc disceptatur. Nos autem qui hoc idem *catum ori-* in præsentia inquirimus, ut exitum tandem aliquem reperiamus, in *ginale sig-* re tam difficili quam varia, sequamur Scripturam, & divinum ejus *nificet.* interpretem Dionysium. Ergo quia ejusdem scientiæ est considerare negationem & privationem, & id ejus est negatio & privatio, *Investiga-* considerare prius oportet, id, ejus privatio est ipsum peccatum, esse *tio definitio* enim privationem, ut negari non potest, ita plerique auctores, qui *nis peccati* de eo tractarunt, confessi sunt. Fecit ergo Deus, ut ait Scriptura, *originalis.* hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem quidem... Ut antiqui Patres, & Ecclesiæ Doctores dicunt; tum *Græcum.* quia fecit eum participem rationis, qua imperaret partibus animæ, iræ & cupiditati, quas dedit Deus homini, tanquam servos naturales, ut ait Damascenus in Oplotheca contra Monophysitas, sicut omnia

*Quæ in
Scriptura
in primis
designent
divinitatē.
Græcum.*

*Etymologia
verbi, ...
ex Diony-
sio.
Græcum.*

*Quid sit
factum esse
hominē ad
imaginem
Dei.*

Græcum.

omnia serviunt Deo natura, tum quia immortalis esse poterat per gratiam, quod Deo convenit per naturam. Hæc enim duo, scilicet, natura habere omnia serva, & esse natura immortalem, in literis sacris præcipue designant divinitatem. Unde beatus Ioannes Theologiam filij Dei divinè docuit, ex ratione, sive sapientia Dei Patris, quæ est, & dicitur... cui natura convenit dominari, & ex æternitate esse, dicens: In principio, id est, & æternitate fuisse... id est, verbum & sapientiam Dei Patris, & ex æternitate fuisse eum apud Deum, & ex æternitate eundem fuisse Deum hanc Theologiam serpens divinitus didicerat, cum volens suadere, quod Deus minatus fuerat primis parentibus, quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini, non ita fore: imò futuros sicut Deos, id est, immortales & sapientes, *Eritis*, inquit, *sicut Dij, scientes &c.* quæ duo etymologia verbi ipsius designat, Deus enim Græcè... dicitur, id est, ut omnia videns & contemplans, ut ait Dionysius cap. 12. de divin. nom. item dicitur... id est, & ut omnia circumiens, & principio usque ad finem per omnia means, ut idem Dionysius ait capite. 10. atque hoc significari in ænigmate, cum Scriptura sancta alias ut senem, alias ut iuvenem, describit Deum. Hoc ergo significat hominem factum esse ad imaginem Dei, id est, rationis participem, & immortalitatis, quod clarissimè docuit Salomon Sapient. cap. 2. *Fecit*, inquit, *Deus hominem inexterminabilem*, vel, ut melius est in emendationibus exemplis Græcis manuscriptis, ad immortalitatem. Sequitur, ad imaginem sempiternitatis suæ fecit eum, quod perinde est quasi diceret, hæc, scilicet ratione immortalis fecit Deus hominem ad imaginem suam, qui est ipse natura æternus, sic enim est in exemplaribus emendationibus, non autem ad imaginem similitudinis fecit eum. Et ita legit, atque interpretatur S. Athanasius in libr. contra Gentes. Fuit autem facile, ut vera lectio Græca corrumpere-tur una litera detracta, scribendo pro... quod vulgata interpretatio reddit, Similitudinis. Sed hæc obiter. Reddō ad propositum. Hanc igitur imaginem Dei primus homo per peccatum non amisit, ut sanctus Epiphanius tomo. 3. contra Audianos hæreticos probat: vel potius non omnino amisit, ut Gregor. Nyssen. & alij Patres loquuntur non enim homo per peccatum desinit esse particeps rationis. Deinde post peccatum Adæ, Scriptura vetus hominem dicit ad imaginem Dei, sicut Noë dictum est, *Omnis qui effuderit sanguinem hominis super terram, pro sanguine ejus effunderetur sanguis ejus, quia ad imaginem*

ginem (inquit) Dei fecit eum. Quid enim hoc referebat, ad vindictam sumendam de interfectione hominis, si jam non erat ad imaginem Dei, sed potius per peccatum illam amiserat? Sed de hoc plura Epiphani. Videamus jam deinceps, quid illud alterum sit, quod adjunctum est, ad similitudinem Dei factum esse hominem, id est, non solum factus est, ut esset aptus natus, ad capiendam iustitiam & sanctitatem, omnemque virtutem & imitationem Dei, quod inerat in ratione imaginis, id est, in eò quòd particeps rationis factus erat (est enim ratio radix libertatis humanæ, quam Deus dedit homini, sicut ait Didymus in libro de libero arbitrio, ut esset electione bonus) sed re ipsa secundum actum creatus est, sicut Apostolus ait, in iustitia & sanctitate veritatis. Creatus, inquam, est, conversus ad Deum, & imitans eum pro viribus omni vera sanctitate, ac proinde similis Deo. Unde Dionysius Areopagita capit. 9. de divinis Nom. Dat, inquit, Deus similitudinem, convertentibus se ad eum, secundum imitationem pro viribus. Et quanquam Angeli (ut hoc obiter etiam annotem) ad similitudinem Dei facti quoque sint, ut eum imitentur, ejusque expriment similitudinem, ut ait idem Dionysius capit. 4. Cœlestis hierarchiæ, unde, ab eodem vocantur, tamen præcipua ratione præ cæteris homo dicitur ad imaginem & similitudinem Dei factus, qui ad hoc ei, non solum cætera omnia subjecta fuerunt, ut essent tanquam instrumentum ac materia hujus similitudinis Dei, comparandæ per imitationem, sed Angeli ipsi dati sunt tanquam ministri & adjuvatores. Ergo ad exercendam, conservandam & augendam homini conversionem ad Deum secundum imitationem, ut similitudinem Dei retineret, dedit primo homini Deus mandatum sanctum & bonum; at homo elegit contra mandatum, ut sumeret cibum vetitum, & averteret se à Deo, eligendo contrarium, seque similitudine Dei privaret. Ut enim Deus, (sicut Dionysius, ut supra memini, ait) dat similitudinem convertentibus se ad eum secundum imitationem, sic in peccato dicendum est, qui se avertunt à Deo privare se similitudine Dei, quæ haberi debet. Et hæc privatio similitudinis Dei, est differentia propria, & ultima forma peccati, habet enim actus principaliter secundum Scripturam, ut sit conjunctè, & ex accidente malus ex eò quòd homo eligendo tallem actum per se, reddit se per accidens dissimilem Deo, ad cuius imaginem factus est, ut ei se assimilet, ipso adjuvante. Unde Dominus, estote, inquit, perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus

Quid sit factum esse hominē ad similitudinem Dei.

Græcum

Quomodo

peccavit

Adam sumentibus

quæ sit differentia

propria, & ultima forma

peccati.

est.

est. Est enim hoc generale præceptum, quo iubemur, ut omni genere virtutis assimilemus nos Deo, quoad fieri possit. Ut autem huiusmodi Dei similitudo venire non potest, nisi per conversionem ad eum, quam nobiscum operatur Deus, quæ est tanquam dispositio necessario antegressa: sic neque dissimilitudo Dei, id est, privatio similitudinis ejus, fieri potest sine aversione antegredienti, & inordinatione, quam vocant, tanquam dispositione ad privationem similitudinis Dei; sive ad dissimilitudinem Dei, quæ est, ut dixi, tanquam forma & differentia propria peccati: quod tunc quidem est mortale, cum in eo est privatio similitudinis Dei, veniale verò, cum non est privatio similitudinis Dei, sed est aliquid præter similitudinem Dei, quia est præter charitatem, quæ similitudinem Dei exprimit.

Quæ sit dispositio ad formam peccati originalis.

Quædo peccatum est mortale, & quædo veniale.

Quæ sit causa propria peccati.

Quomodo peccatum originale contrahatur.

Quæ sit ratio peccati in Adâ, & quæ in nobis.

Vnde sumatur differentia

Hoc quoque docet idem Dionysius, cum ait in hier. Eccl. c. de Baptismo, renuntiare eum, qui baptizatur, omni contrario id est, contrario Deiformitati, sive similitudini Dei: Renuntiat autem omnibus peccatis mortalibus, quibus carere potest, non autem venialibus, quibus non potest. Satis ergo expositum est, quomodo peccavit Adam, cum cibum vetitum contra mandatum comedit; Et quæ causa fuerit effectrix peccati propria, & quæ non propria: peccavit enim, quia se Deo dissimilem fecit, ad ejus similitudinem factus erat, ut ejus similitudinem semper servaret, sequere ei semper magis ac magis similem faceret, fuitque ipse causa efficiens propria suæ injustitiæ.

Sequitur jam, ut ad definitionem peccati originalis veniamus, quod non est ita difficile definire, ex his quæ hæcenus dicta sunt. Quia enim in lumbis Adæ tanquam in origine nostra fuimus, sumusque ex eo, tanquam ex prima origine & principio naturæ nostræ nati, factum est, ut ex injusto, & dissimili Dei, ac mortuo Adam principe generis nostri, injusti, dissimiles, & mortui nati sumus. Quare ratio peccati Adam in eo consistit, quod Deo, ad ejus similitudinem factus fuerat, sua electione dissimilem se fecit, id est, similitudine Dei se actu privavit; nos verò ut in ejus lumbis eramus, & non per electionem nos Deo dissimiles fecimus, unde natura, privati similitudine Dei nascimur, & in privatione perseveramus, donec renovatur creatura per Baptismi sacri mysterium, & habitum similitudinis Dei recipit, fide, spe & charitate infusus; ejus charitatis similitudinem qui fert, similitudinem Dei fert, quatenus homo fieri Deo similis potest, ut sanctus Diadochus in lib. de perfectione spirituali ait: Ex eo igitur, quod hæc dissimilitudo, id est, privatio similitudinis

tudinis Dei ingenta est homini, sumitur differentia propria & ultima peccati originalis, ex eo dicti originalis, quod non per electionem voluntatis suæ, sed in Adam origine sua, homo peccavit. Peccavimus ergo originaliter, id est, quatenus eramus in lumbis Adæ, qui fuit origo generis humani: eo enim comedente cibum vetitum, & nos non per actum nostrum; quia nondum eramus, sed in eo comedimus, ut ita dictum sit: sicut Paulus loquitur de decimatione Levi, facta in lumbis Abraham. Et illo se à Deo avertente tanquam dispositione antegrediente, seque ei consequenter dissimilem faciente sua electione & operatione: & nos eidem Deo nos dissimiles fecimus in Adam, & cum ea dissimilitudine nascimur. Quare erit peccatum originale habitus dissimilitudinis Dei ingentus homini: sic mihi divinus Dionysius peccatū originale dē finisse planè videtur: ne sine auctore, & quidem divino ac Apostolico loquamur. Is enim loquens de adultis baptizatis, quorum tunc erat major numerus, quam parvulorum, (de quibus alio qui parvulis baptizatis in cap. de ijs qui dormierunt, meminit) loquens inquam, de adultis, & Baptismi ritus symbolicos mysticosquē tradens, ad occidentem eos verti, ait & manuum depulsione communicationes tenebræ malitiæ tenuere, atque habitum dissimilitudinis ipsis ingentum sufflare &c. Ut autem illud prius dixit de peccatis actualibus, quorum poenitentiam Baptismum in adultis antecedit, imitatus Apostolum, ut frequentissime solet, qui ait: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sic hoc posterius nemo dubitarit, quin de peccato originali dixerit. Quomodo enim verisimile sit, non meminisse eum peccati originalis, cum de purgatione atque ablutione Baptismi ageret, quæ propria est peccati originalis? Est ergo hæc definitio peccati originalis exactè posita quæ . . . declarat, nunc definitionem quidditativam vocant, cum constet ex genere proximo & ex differentia ultima. Genus enim proximum definitionis, est habitus dissimilitudinis Dei. Habitus enim dividitur in differentias contrarias, similitudinis Dei & dissimilitudinis. Deinde similitudo Dei conjuncta & composita cum habitu, virtus est sive justitia simplicis nomine, cujus species sunt multæ: (loquimur autem de genere virtutis sanctæ, & spiritualis) dissimilitudo verò composita cum habitu, simplici nomine vitium sive injustitia, vel peccatum dicitur, di quod rursus dividitur in contrarias differentias voluntarij & ingenti. Voluntarium compositum cum vitio, actualis sive personalis culpa dicitur: hæc enim nihil aliud

tia propria
& ultima
peccati ori-
ginalis.

Quæ dica-
tur peccatū
originale,
& quomo-
do peccave-
rimus ori-
ginaliter.

Definitio
peccati ori-
ginalis ex
Dionysio.

Græcum

Divisio ha-
bitus in dif-
ferentias
contrarias
similitudi-
nis & dif-
similitudi-
nis Dei.

liud

*Diſſo peccati indiffe-
rentias cō-
trarias vo-
luntarijs &
ingeniti.*

liud est, quam vitium voluntarium. Altera verò differentia ingeniti
 composita cum vitio, peccatum originale est, quod simplici nomi-
 ne caret ut jam peccatum originale vitium sit ingenitum homini, sive,
 ut clariùs definiamus, Dionysius definiuit, pro genere proximo ge-
 neris definitionem adjungens, est habitus dissimilitudinis ingenitus
 homini: Sicut si quis hominem definiens, generis definitionem ad-
 deſer, dicens, hominem esse corpus sensitivum, rationale, esse
 autem hanc differentiam essentialē peccati originalis, id est, ex
 qua peccatum originale, velutiformam sumat (cū sint differentia
 ut Philosophus tradit, principium, ut unumquodque sit id quod
 est) dixisse mihi videtur Dionysius ex Aostolo, cū scribit in
 Epistola ad Ephesios, Eramus naturæ filij iræ, sicut & cæteri, id est,
 non filij secundum eam similitudinem, ad quam facti fueramus sed
 dissimiles, & ad mortem damnati, jam inde à principio & origine
 nostra ita nati. Et Sirach sive Ecclesiasticus loquens de originali pec-
 cato, ut cū alij, tūm Gelasius in libr. contra Pelagianam hæresim,
 interpretatus est, grave jugum (inquit) super filios Adam, à die
 exitus ex ventre matris, significat enim cum eo nasci hominem, ut
 etiam Philosophi naturale solent appellare, quod abortu ipso sequi-
 tur. Quod ergo Paulus dixit naturā, Dionysius dixit ingenitum. Rursus
 illam alteram differentiam dissimilitudinis additam habitui, quæ est
 definitio vitij, sive peccati, accepisse mihi videtur idem Dionysius
 ex Scriptura sacra, quæ tradit hominem esse factum ad similitudinem
 Dei: creatum, inquam, in justitia & sanctitate veritatis, sicut A-
 postolus ait, ut eum scilicet imitaretur, sequè ei semper similem red-
 deret per electionem. Et David: Cū homo, inquit, esset in ho-
 nore, id est, ad imaginem & similitudinem Dei factus, non intellexit,
 id est, noluit intelligere, ut bene agendo eum honorem simili-
 tudinis Dei servaret, sed potius se Deo dissimilem reddidit, & simi-
 lem bestiis, per earum imitationem. Sed comparatus est, inquit,
 jumentis, & similis factus est illis, ut ibi, Porphyrioni, Cigno He-
 rodio, Caradrio, quæ sunt longi colli, & ex profundo, ut ferunt,
 tum terræ, tum ut quæ cibum extrahunt: quibus similes efficiuntur,
 qui de ventre & cibis nimis solliciti sunt, quod Dominus in lege
 prohibebat in ænigmate, interdicto ejusmodi avium esu: Item, ac-
 cipitri & milvo similes sunt rapaces: cani similis is, qui ad vomitum
 peccati redit & suis, qui in vitio volutatur, & sic in alijs. Itaque
 ex similitudine Dei, tanquam ex differentia propria formam accipit
 bull

virtus sive iustitia: similiter ex differentia huic contraria, formam accipit vitium contrarium sive iniustitia, sive peccatum, sive quo alio nomine appelleretur. Ex his etiam facillè intelligi potest, cur Christus, naturalis alioqui Adæ filius, originalis peccati expers fuerit: nempe, quia erat homo & idem Deus. Quomodo ergò poterat induere Dei dissimilitudinem, avertiquè à se, qui erat Deus, & naturalis imago Dei Patris, ad cuius similitudinem facti essemus? quæ enim vis ac natura faciebat, ut, sicut ait Isaias, antequam cognosceret, aut præligeret mala, eligeret bonum, quoniam priùsq̃am cognosceret puer bonum vel malum, repugnavit malitiæ ut eligeret bonum, eadem vis & natura, id est, divinitas fecit, ne peccatum originale habere posset. Deinde quomodo peccatum originale habere poterat, qui in lumbis Adæ non fuit, quia ex virgine sine semine virili Spiritu sancto in eam superveniente, nasci voluit tametsi ex Adam carnem assumpsit? Rursus intelligi potest, cur virgo virginum MARIA originali quoque caruerit. Quomodo enim decens erat, ut in ea unquam habitus dissimilitudinis Dei fuisset, quæ illum paritura erat, ad cuius similitudinem facta fuerat? Ut jam, quod Apostolus dixit: *in quo omnes peccaverunt*, de illis omnibus accipiendum sit, quocumque aut possibile fuit, aut consentaneum peccare. Illud præterea, quanquam observatio minuta fortassis esse videatur, admonere tamen non pœnitebit, quam Dionysius dixit, id est, dissimilitudinem vocare nostros deformitatem vel obliquitatem: & similitudinem, vocare conformitatem vel rectitudinem; ita ut conformitas sit, qua homo Deo conformatur vel similis efficitur. Hactenus de peccati originalis definitione ex Dionysio.

Huic quæstioni definitionis adjuncta est quæstio transfusionis peccati originalis; *Omnes enim, sicut Apost. ait, in Adam peccaverunt*, cum nondum essent; quia antequam nati essent, in lumbis ejus fuerunt, cum peccavit, præcepto Domini, quod acceperat, violato. Simile exemplum est ex parte, quod Apost. in Epist. ad Hebr. posuit, de omnibus filiis Levi, qui in Abraham, cum nondum essent, decimas sacerdoti Dei altissimi solverunt. Subjungit autem Apostolus rationem; quia, inquit, Levi erat adhuc in lumbis Patris Abrahamæ, quando obviavit illi Melchisedech. Sicut enim fuit Abraham Pater circumcisionis (licet circumcisio non erat ex natura) & in Abraham elegit Deus omne semen ejus; sic Adam fuit Pater omnium naturâ, & in eo fecit Deus omnes, tanquam in origine naturali. Quare sicut decimas solverunt, quicumque

Quare Christus naturalis alioqui Filius Adæ peccatum originale habere non potuit.

Quare dicitur ut MARIA Dei Mater peccato originali caruerit? De quibus intelligendum sit, quod Apostolus ait, in quo omnes peccaverunt. Gratum.

Exemplum de decimis in lumbis Abrahamæ, simile peccatis in lumbis Adæ

ex circumcissione fuerunt natura in lumbis Abraham decimas solventis; sic quicumque ex natura humana fuerunt in lumbis Adæ peccantis peccaverunt: sicut rursus in eo accipiente iustitiam, antequam peccaret omnes in lumbis eius iustitiã acceperant, & ad gloriam immortalitatis tamquam filii Dei per gratiam eius adducti fuerant, sicut Apostolus in Epistola ad Hebræos, de eis post amissam iustitiam loquens, Decebat, eum, inquit, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem cõsumari. Qui multos, inquit, filios in gloriam adduxerat, in Adam scilicet: sic enim Athanasius in lib. de incarnatione interpretatur. Ratio igitur, cur ex Adæ peccato, peccatum originale ad nos transfusum est, hæc est, quia fuimus in lumbis Adæ, cum peccavit; sic enim ait Proclus Constant. in homilia de Natali Virginis, omnes peccatum, per Adam manu ob signavimus, & sic ab eius primo semine ortum humanæ naturæ ducimus. Ex quo fit ut si quis aliter natus esset, quam per successionem naturalis generationis, ex illo primo semine derivatæ, is jam quia ad Adæ lumbos, qui sunt instrumentum generationis naturalis, non pertineret, non in Adam peccasset: sicut idem Apostolus de Melchisedech ait (ne ab eodem exemplo recedamus) non fuisse eum in Abraham decimatum;

Quæ sit ratio transfusionis peccati originalis in nos.

Græcum.

Comparatio decimationis Levi in lumbis Abraham, facta cum peccato in lumbis Adæ commisso.

quia, inquit, ejus generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham. Deinde, sicut decimatio Levi & filiorum ejus facta in lumbis Abraham, non fuit ipsa decimatio Abraham illa enim fuit personæ Abraham, & actu peracta; siquidẽ ipse Abraham per se decimas solvit sacerdoti Dei: decimatio verò Levi & filiorum ejus, nõ per personam Levi, sed per Abraham, in ejus lumbis natura, Levi, & filii ejus, tanquam in origine Leviticæ tribus erant, facta est & ob eam causam minor decimatio fuit, quam decimatio Abraham. Unde Apost. & ut ita, inquit, dictum sit, per Abraham, & Levi, quidecimas accepit, decimatus est; sic pari etiam ratione peccatum originale, non est peccatum ipsum Adæ, sed minus peccato Adæ: illud enim fuit, ut vocari solet, actuale, sive personale. Quare cum dicit Apostolus: *In quo omnes peccaverunt*, non sicut illum peccasse intelligendum est; quod neque fieri potuit, cum nondum essent: sed

Quid illud sit, per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.

potius, ut Apostolus ait, de Levi in lumbis Abraham decimatione, ut ita dictum sit: Levi per Abraham decimatus est; ad eundem modum, ut ita dictum sit, Omnes per Adam peccaverunt. Sic enim idem Apostolus in eodem quoque loco loquutus est, inquiens: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, quod perinde est, ut si diceret: Per unum hominem omnes hujus mundi homines peccaverunt.

runt. Itaque ut Levi & filii ejus cum decimatione originali, id est, facta in Abraham origine circumcisionis, hoc est, populi Istaëlitici nascebantur, cum illa, inquam, habitudine decimationis factæ in Abraham, quatenus in lumbis ejuserant, cum Abraham decimas solvit; sic de peccato originali dicendum est, omnes nasci cum illo habitu dissimilitudinis Dei, quem in lumbis Adæ induerunt, sicut explicatum est.

Rursus verò, quare ita factum est, ut Adam peccante, omnes in eo peccarent, quicumque in eo erant,, id est, secundum rationem feminalem, cum alioqui non hoc in aliis parentibus & eorum filiis eveniat, ut ab illis ad hos labes peccatorum, tanquam hæreditariæ possessiones veniant, aut tanquam contagiones morborum dimanent, ex eodem quoque exemplo decimationis Leviticæ tribus factæ in Abraham intelligere licet.

Etenim quia justitia solvendi decimas sacerdoti Dei altissimi, & gratiam benedictionis à sacerdote Dei profectæ, dedit Deus Abraham, tanquam capiti, & origini populi ab eo procreandi, & hujusmodi justitia & gratia, non personam Abraham tantum, sed naturam ejus ornavit: id est, non dedit dona ista Abraham propter eum tantum: sed etiam propter eam gentem, quam ex stirpe ejus, ut populus suus esset, elegerat: idcirco solvente Abraham decimas sacerdoti Dei, & benedictionem ab eo ferente, tribus Leviticæ pariter decimata & benedicta fuit in lumbis ejus: & cum illius decimationis habitudine, ut dixi, Levi & filii ejus nati sunt. Ad eundem modum, & pari ratione si Adam justiciam, in qua creatus est, & quam non propter se solum, sed propter naturam ipsam humanam, quam Deus illo suo dono ornare voluit, acceperat, conservasset universum genus humanum cum eadem justitia ab illa origine propagatum esset. Sic rursus, quia peccato admisso, justiciam prothoplastus amisit, fit, ut quicumque in lumbis ejus fuerunt, & ex illo primo Adæ semine per successionem naturalem seminis ex semine originem trahunt, nudi justitiâ illâ, & cum peccato originali naturaliter orientur. Ex quo fit, ut universa ratio peccati originalis ad nos transfusi, ex generatione naturali, à primo illo Adæ semine orta pendeat. Unde qui tenet, qua ratione, & quomodo semen illud primum Adæ, ad unionem corporis cum anima, quæ à Deo recenter creatur, & corpori organicè formato pariter infunditur, pertineat; idem facillè tenet, quomodo & quare ex peccato Adæ, culpa originalis ad hominis animam descendat, si sola caro ex Adam

Gratum.

Quare omnes qui in Adæ lumbis fuerunt peccaverunt ex exemplo decimationis Levi in lumbis Abrahamæ facile intelligi potest.

Vnde universa ratio peccati originalis ad nos transfusi pendeat.

Questio peccati

*cæti origi-
nalis ex A-
dâ trãssu-
Augustino
obscuris-
sima.*

*Quomodo
semen Adæ
ad animam
hominis ex
illo semine
orti perti-
neat, ex Gre-
gor. Naz.
Græcum.*

traducitur, & anima hominis, non ex anima Adæ generata est. Quæ beato Augustino oblectissima quæstio visa est, quam se in lib. quem de origine animæ scripsit, proposuisse, sed non solvisse confitetur: Imò non ad eam beatus Hieronymus, ad quem librum miserat, respondit: Non tam fortassis quòd ad scribendum otium non esset, quòd eum excusasse ait Augustinus, quam quòd quæstio difficilis ad respondendum esse videretur. Quomodo verò semen illud primum Adæ ad animam hominis, ex illo semine ortum ducentis, pertineat, optime sanctus Thomas intellexit & explicavit, & antè eum multi antiqui Patres, ut Gregorius Naziancenus testatur. Is enim Scripturam & rationem Physices sequens, quomodo natura hominis ex illa stirpe, & radice primi seminis Adæ oriatur, & in illo semine tanquam in causa sit, elegantissimis versibus descripsit. Sic igitur ait in Heroicis prosequens post creationem Adæ aliorum hominum propagationem ex illa stirpe.

Græcum.

Interpretemur ad verbum: Atque hæc quidem primi hominis coagmentatio; verum postea corpus ex carnibus (scilicet viri & mulieris) anima verò immiscetur invisibiliter foris illapsa formationi pulveris (id est, corpori origine sua terreno) scit, qui miscuit, quomodo primum inspiravit, & imaginem eum terra colligavit, nisi quis meis versibus assentiens hanc rationem fidenti animo, ac multos sequens statuet: Quia scilicet corpus à principio ex terra nobis concretum, postea fuit virile semen, quod non interibit aliis hominibus, alio tempore ex illa radice ficta ex terra ortum ducentibus: ac postea anima à Deo inspirata, cum corpore humano formato, pariter copulatur recenter creata, ex primo illo semine divisa multis, in membris mortalibus humanis semper speciem habens. Igitur ex terra primum, ut sententiam Gregorii paraphrastice repetam, formatum est corpus Adæ: fuitque terra materia ejus: deinde ex primo semine Adæ, quod potestate erat corpus, cæteri homines per generationem naturalem, originem ortus hactenus ceperunt, & deinceps capient: animam Deo recenter creante, & simul corpori organice formato infundente: quæ ut ait Gregorius ex primo illo semine dividitur multis, id est, factum est per virtutem illius primi seminis Adæ, ut anima sit in materia hac, ut universali, id est, ut in corpore humano organico, inde ortum ducente, habeat, ut ait Gregorius, speciem suam, id est, sit forma ejus. Ad hunc modum, ratione illius primi seminis

*Interpreta-
tio para-
phrastica
versuum Gre-
gor. Naz. de ori-
gine nostra
ex Adam.*

minis traducitur natura humana, quæ ex corpore & anima constat. Est enim homo, (ut Philosophus ait) quiddam totum ex hac forma & hac materia, ut universali: itaque ut ratione materiæ proximæ, quam idem ultimam vocat, fit, ut hæc anima sit in hoc corpore (singulare enim, ait ipse Socrates, ex materia est extrema) sic ratione primæ illius materiæ, id est, illius primi feminis, anima est forma corporis humani: ab illo enim derivatur eo modo & ratione, quam dixi, natura humana, quæ in singularibus est, & extra singularia esse non potest, nisi cogitatione tantum. Hac itaque ratione semen illud primum Adæ, ad animam hominis ex ipso Adam, secundum rationem feminalem oriundi pertinet. Ex qua ratione, ratio peccati originalis ad nos ex Adæ peccato transfusi pendet. Eodem spectat, quod ait sanctus Thomas, per virtutem feminis naturam humanam traduci, siquidem virtus, inquit, feminis ad animam movet dispositivè. In eandem sententiam dixit Scotus, per carnem concupiscibiliter traductam ex Adam fieri, ut ex ea formetur corpus organicum, cum quo anima constituit personam, quæ sit filius Adæ naturalis, & hac ratione peccatum ab anima per naturalem generationem carnis contrahi. Idem itaque sentit Gregorius Nazianzenus, ac limatiùs fortassis, & locutus: unde peccatum, cum quo homo nascitur, quod per baptismum, qui est spiritualis quædam circumcisio, amputatur, in libr. de Baptismo, vocat, id est, à generatione integumentum propter tenebras; scilicet, quibus ipsa natura hominis ab ortu suo ex prima illa radice feminis Adæ ratione generationis naturalis cœpto, operata & circumfusa est, antequàm eam lumen fidei per lavacrum regenerationis tegumento illo tenebrioso exutam, & spoliatam illustret. Unde Apostolus inquit; *eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et B. Dionysius describens, in capitulo de communiõne, regenerationem novæ creaturæ factam: obscuritatem, inquit, mentis nostræ beata & divina luce implevit, & pulchritudine divinæ similitudinis deformitatē decoravit. Libenter ista hætenùs ex Gregorio Nazianzeno attuli, tum ut pateat, quod in Scholis Theologorum docetur, quomodo per virtutem feminis natura humana ex Adam traducatur, unde ratio transfusionis peccati originalis, ut dixi, pendet, idem quoque multos veteres Patres teste Gregorio Nazianzeno docuisse. tum ut admoneam, ne quis errore labatur, Nicetam Dadybrensem Episcopum, non benè hos Gregorii versùs interpretatum esse, cum illud, quod Gregorius dixit de anima, ex illo primo

Unde pendet ratio peccati originalis, in nos ex peccato Adæ transfusi.

Græcum.

Græcum.

Quomodo Greg. Naz. peccatū originale vocaverit.

Quomodo quodst. Thomas sēsu de traductione natura humana, ex Adam per virtutē femi-

nis; unde ra Adæ femine divisâ multis sic interpretatur,, id est, & tantio *transfu-* quàm ex femine antiquo illius animæ, in multas & infinitas animas
sionis pec- multiplicatur. Fateor me quoque aliquando hic interpretes fefellit.
cati orig. Existimabam enim sic intellexisse Gregorium, ut Nicetas iste inter-
pendet idē pretatur, et si Gregorius animas à Deo creari planè affirmat, sed non
senferit Gre ita est, non hoc Gregorius sentit, quod Nicetas putavit, cum enim
gor, Nazi- dixit, ex primo semine animam dividi multis, non intellexit Grego-
an. & multi rius primum semen animæ; nullum enim semen animæ, neque tan-
alii cum eo quàm semen animæ est, ut Nicetas voluit: sed intellexit Gregorius,
senferint. ut supra explicavi, primum semen virile Adæ, quod fuit radix huma-
 næ generationis, ex quo natura humana polluta ortum ducit, per na-
 turalem generationem. Hastenus commentatio de peccato originali.

Quomodo Sequitur altera brevis commentatio de quæstione Conceptionis Vir-
Nicetas in ginis sine peccato originali. In qua illud primùm dicendū est, quod tra-
terpres Greg dit Dionysius Areopagita in principio de divinis nominibus, nō esse lon-
cus male giūs progrediendū in divinarū rerum tractatione, quàm quò lumen ipsū,
versus Gre- quod divinæ literæ præferunt, pertingit: sitque hoc quod Apost. Rom.
gor. Nazi- præcipit, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quod
interpreta- divinè mihi Dionysius in eo loco interpretari visus est, eodē usus Græco
tus est. verbo, id est, sobrietatis, id quod magis adhuc Eccl. cap.
 3. intelligi potest, cum præcipit iis intelligendis studere, quæ sunt
 necessaria, & non sunt occulta, nec supra nostras vires, nec superva-
 canea nobis, nostrisque operibus. Quòd, (ut mihi videtur) ea quæ
 talia non sunt inquirere, intemperantia sit ingenii, otio, industria,
 & studio aburentis. Certè non esse hanc quæstionem ex iis, quæ Ec-
 clesiasticus dicit occulta, nec omnino in Scripturis tacita, suo loco
 demonstrabitur: certè non esse supra nostras vires, Deo revelante cog-
 nitionem ejus, nec supervacaneam & inutilem nobis, nostrisque ope-
 ribus, Ecclesia Catholica satis aperte judicasse videtur, cum diem fe-
 stum Conceptionis solemnè lætitia & celebritate quot annis voluit agi-
 tari, Ut sicut Apostolus de memoriis Sanctorum pia & Ecclesiastica
 religione colendis in Epistol. ad Hebr. cap. 13. scripsit, inquit:

Græcum.

*Qualis sit
 quæstio de
 conceptione
 Virginis.*

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locati sunt verbum, quorum inveniunt exitum conversationis, imitamini fidem: sic nos non solum in exitum & ortum, sed etiam in purissimam & omni peccato liberam conceptionem Virginis Dei Matris, intuentes, puritatem ejus summam, & Dominum, qui tantâ gratiâ Matrem suam cumulavit, semper laudemus. Itaque, ut ad Ecclesiasticum redeamus,

addit

addit deinde, non habens pupillas indigebit lumine: sic enim est in exemplaribus Græcis, quod perinde est, quasi diceret, qui oculis captus est, non videbit lumen. Transferamus sermonem ad mentem, quæ est oculus animæ: cui non est, inquit, intellectus sanus, non intelligit Scripturam, quæ est lumen quoddam divinum, ut Scriptura ipsa vocare solet. Subjungit deinceps idem Ecclesiasticus, sine cogitatione ne profitearis: ut jam sapere ad sobrietatem (quod magis hic locus explicetur) sit etiam habere sanum intellectum Scripturæ, & per sanum intellectum Scripturæ cætera intelligere, ut qui visum habet integrum lumen videt, & reliqua in lumine. Dicamus ergo prius strictim, quæ in hac quæstione ex Scriptura, contra Conceptionem objeci solent. Ad quæ cum brevi responsum erit, nos etiam Scripturam profereamus, unde conceptam fuisse sine peccato, planè appareat.

Objiciunt ergò illud, 2. Corinth. cap. 5. *Quod si unus, inquit, pro omnibus mortuus; ergo omnes mortui sumus: & cum idem Apostolus dicat in Epist. ad Roman. de hujusmodi mortuis in Christo, qui mortuus est justificatus est à peccato. Et Paulò post, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel &c. Sequitur, aut Christum non esse mortuum pro Virgine matre, aut si fuit, ipsam quoque mortuam esse, & quidem peccato, à quo fuit justificata: ac proinde in peccato aliquando fuisse, nemo enim moritur peccato, aut justificatur à peccato, in quo nunquam fuit. Respondemus, cum ait Apostolus in illo loco: Ergo omnes mortui sumus, loqui eum de morte non vera sed in typo per Baptismum, sicut in Epistola ad Roman. scripsit, quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus &c. vivunt, jam non sibi vivunt, sed ei conscripti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. Similiter in loco superiore Epist. ad Corinth. quia de eodem genere mystico mortis per Baptismum loquebatur, postquam dixit, ergo omnes mortui sumus, & Christus pro omnibus mortuus est, subjungit, ut in Epistola ad Romanos, ut qui pro ipsis mortuus est. Sic solvimus debitum manendi in perpetua corruptione mortis, ad quam damnati eramus omnes, qui in Adam peccavimus. ad quos etiam pertinebat edictum illud: in quocunque die comederis ex eo, morieris mortuus: ab hoc debito, quia libera & immunis concepta est Virgo Dei Mater, non opus habuit, ut per Baptismum peccato moreretur, in quo nunquam fuerat; neque tamen ex eo sequitur, ut non fuerit pro ea mortuus Christus, quin potius multò excellentius eam redemit, & pro ea mortuus est. Siquidem in-*

Quæ ex Scriptura contra cõceptionem Virginis sine peccato objeci solent.

Responso ad locum ex Epist. ad Corinthios.

tuens Deus in mortem Filii sui, qui redempturus erat genus humanum, voluit, sicut decebat, ut quæ futura erat Mater illius, in qua, & ex qua formanda erat illa benedicta caro, pretium redemptionis, libera & immunis conciperetur; propter ipsam illam mortem, iper quam futuri erant homines, sicut Apostolus ait, ex mortuis viventes, & in novas creaturas reformandi. Obijciunt præterea quod est in Epistola ad Roman. capit. 5. *Ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* At idem paulò infra in eodem cap. *Si enim inquit, unius delicto multi mortui sunt*, quos suprâ dixerat, *omnes*, hic dicit, *multos*, fortassè ne neminem exceptum existimarem. Rogabo ergò istos, cur ex eo, quod Paulus dixit, *in quo omnes peccaverunt*, ipsi potiùs putent nulli datam esse exceptionem, quàm ex eo quod idem postea in eodem cap. parvo intervallo dixit, *unius delicto multi mortui sunt*, existimemus nos datam esse? Huc pertinet, quod

*Observatio
Photii Cõst.
in Scriptu-
ra figura
universali,
& senten-
tiam non uni-
versali.*

loechium Cyrici Metropolitanum notavit, sæpè in scriptura figuram esse universalem, sententiam verò non esse, ut illud, quotquot ante me fuerunt, fures fuerunt & latrones: quod Martionista, inquit, transferunt, ad vituperandum vetus Testamentum, ajunt enim comprehensos esse hic; Moysen & alios Prophetas, cum tamen de illis hoc dictum non sit; sed de illis, quos paulò ante adventum Christi, deceptoribus esse demonstraverat. Sic oppugnatores Spiritus sancti, *Omnia per ipsum facta sunt*, interpretantur, sententiam esse universalem, & non figuram tantùm, hujusmodi est illud, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: non enim virtus, pietas, sapientia, vanitas est. Et illud, *Omnes inutiles facti sunt*: non enim inutiles sunt, qui per singulas generationes passiones, & dæmones & tyrannos vicerunt, & coronas meruerunt. Hactenùs Photius. Sic ergò dicendum est, *In quo omnes peccaverunt* figuram & non sententiam universalem esse. De iis enim dicitur, qui peccare potuerunt, & quos peccare originaliter non dedecebat. Sed hoc levius fortassis est, illud gravius, quod nobis objici potest, quod scilicet Zozimus Papa ad omnes Episcopos, adversùs Pelagium & Cœlestium scripsit, ut Augustinus in Epistola ad Optatum testatur, nullù nisi qui peccati tervus est, liberum effici, nec redemptù dici posse, nisi qui verè per peccatù fuerit antè captivus: At si ita sit, sequitur Virginem non esse redemptam, & Christum non esse universalem Redemptorem; quasi omnino redemptio sit à peccatis & morte liberatio, & non liberatio etiam à morte tantùm corporis; Ita ut Virgo semel

*Alia ob-
jectio, & res-
ponso ad
eam.*

semel mortua, sicut omnibus hominibus semel mori, ut Apostolus ait, constitutum est, & postea vita restituta, in cœlum, ut credit Ecclesia Catholica, assumpta, non amplius moriatur. Quod quidem per Christum redemptorem factum est, qui ut *Primogenitus ex Deo multis mortuis*, primus intravit in sancta, aeternam redemptionem inventam, simpliciter vericut Apostolus ait. Ergo hæc quoque redemptio dicitur, & est, sicut *bo redi* idem Apostolus ad Romanos capit. 8. *Et ipsi*, inquit, *intra nos gemimendimus adoptionem filiorum Dei*, expectantes redemptionem corporis nostri, tunc enim apparebit quod filii Dei sumus. Etsi enim adoptionem filiorum jam habemus, nondum tamen, sicut ait Joannes, *apparuit quid erimus*. Imò & anima Virginis simul cum corpore redempta est, siquidem per Christum liberata est ab hac peregrinatione molesta & laboriosa, *quandiu enim sumus in corpore*, ait Apostolus, *peregrinamur à Domino*.

Deinde comprehendens Apostolus totam redemptionem nostram per Christum factam, *Deus autem*, inquit, *qui dives est in misericordia*, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, *convivificavit nos Christo*, *cujus gratia estis salvati*. Deinde subjungit, *& convivificavit & consedere fecit in cœlestibus in Christo IESU*. Esto, non fuit Virgo MARIA *convivificata*, tanquam mortua prius peccato ullo; neque fuit gratia Dei à peccato, in quo nunquam fuit, salvata, si Deus dives in misericordia, gratia sua nos à peccatis salvavit, an non major gratia, & major misericordia fuerit, præsalvatis, sive præservatis hanc unam Virginem Matrem suam futuram? id est, fecisse, ut salva conciperetur? Ac rursus si Deus fecit eam consedere in cœlestibus in Christo JESU, quomodo non est redemptionis Christi particeps facta? Præterea cum idem Apostolus scribit ad Ephesios de Spiritu promissionis sancto, quo sumus signati, esse quidem pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis: profectò perfectam illam & cœlestem redemptionem intelligit, cum attingeret Deus sicut ait Scriptura, Apocal. 21. & Esai. 25. *omnem lachrymam ab oculis eorum*, *non erit amplius neque luctus, neque clamor*. Redempta est ergo Virgo, & redemptor ejus est Christus primogenitus ex mortuis. Notavit quoque Dionysius in divinis nominibus capite 8, hoc genus redemendi, ut cum quis defenditur, ne de statu bonorum suorum deiciatur redemptus etiam dicatur. Sozimus ergò de communi lege redemptorum, ac de communi redemptione loquebatur.

Sed jam accessuri pedetentim & quasi gradatim ad Scripturam, ne

lumen ejus in oculos infirmos subito incurrens ferri fortasse non possit, dicamus priùs aliquid, quod ad illam præparare possit. Deus cum omnia possit, non facit tamen, ut ait Magnetes Ecclesiasticus auctor, & pervetustus in libris Apologeticis contra Theostenem Gentilem, id est, non facit, quatenus potest, sed quatenus vult. Vult autem, inquit, quæ conveniunt: conveniunt quæ decet: decet autem quæ consentanea sunt, sicut Apostolus ad Hebr. capitul. 2, ut doceret, qua ratione consentaneum fuisset, ut Deus veniret homo patibilis ad instaurandum genus humanum. Decebat enim, inquit, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Ut enim Rex (inquit Athanasius explicans hunc locum in libro de incarnatione) postquam ædificavit urbem, si eam videat civium negligentia ab hostibus oppugnari & diripi, eam quidem liberat, non intuens in negligentiam & vitium civitatis, sed in decus suum & potestatem. Sic etiam Filius Dei fecit; alioqui, quid, inquit, profuisset, ad imaginem suam tam multos fecisse, tantaque gloria eos ornasse in Adam, antequàm ab ea gloria excederet, & secum posteros suos ruens traheret, qui illo stante, gloriosi & immortales ut filii Dei futuri erant, ut postea facti sunt filii iræ & damnationis. sic interpretatus est Magnus Athanasius, quod Paulus dixerat, qui multos filios in gloriam adduxerat. Igitur, ut restitueret, sicut idem ait, genus humanum in possessionem immortalitatis sublata morte perpetua, ad quam homo propter peccatum damnatus est, & ut non amplius cum dæmonibus pollueretur corpore, anima & spiritu, sed potiùs his tribus sanctus esset, Deum contemplans in natura sua restituito ex omni parte omni eo, quod erat ad imaginem Dei, scilicet, quantum ad immortalitatem & Dei contemplationem, *ad imaginem enim æternitatis fecit illum*, ut Salomon ait, Sapient. 2. idcirco decuit, corpus nostri corporis simile sumere, ut morte sua mortem nostram destrueret; & ut nobiscum versans negligentiam nostram, & errores atque ignorantias doctrina sua & exemplo corrigeret. Hactenus Athanasii sententia, ad explicandam rationem decentiæ, in Christi incarnatione & passione. Ut igitur Scriptura, quod decuit, & cur decuit, fuitque consentaneum Christum pati, notavit: sic ad exemplum Scripturæ sanctæ licet nobis quærere, an Virginem sine originali peccato conceptam esse decuerit, & qua ratione; ut si decuisse intellexerimus, sic factum esse intelligamus. Ac decuisse quidem, ut infinita alia omittam, quod mihi propositum sit brevem esse,

Explanatio
loci Epist. ad
Hebr. c. 2.

Decebat
eum, qui
multos fi-
lios, &c.
auctore
Athanasio.

Quare de-
cuerit, Vir-
ginem esse
conceptam
sine peccato,
secundum
Scripturã.

esse, ex una re potissimum intelligi potest, ex ipsa, inquam, vi & natura originalis peccati, quod non est ita difficile intelligere ex iis, quæ in superiore commentatione de peccato Adæ dicta sunt. Quia enim in lumbis Adæ, tanquam in origine nostra eramus, sumusque ex ea natura, tanquam ex prima origine ac principio naturæ nostræ nati, factum est, ut ex injusto, ac dissimili Dei, & mortuo; injusti, dissimiles, & mortui nati simus. Quare cum ratio & forma peccati Adæ in eo consisteret, quoddam Deo ad cuius similitudinem factus fuerat, sua electione vetitum cibum comedendo, se dissimilem fecit: factum est, ut ipsi quoque dissimiles nos fecerimus, ut in lumbis ejus eramus & non per electionem, ac propriè, sed ut ita dictum sit, ut Paulus loquitur, de filiis Levi decimatis in lumbis Abrahæ. Ex quo rursus fit, ut quia hæc dissimilitudo, cum qua homo nascitur, ingenita est ei, idcirco sumatur inde differentia propria & ultima peccati originalis, ex eo dicti, originalis, quod non per electionem voluntatis suæ homo, sed in Adam origine sua illud peccavit. Peccavimus ergò originaliter, id est, quatenus eramus in lumbis Adæ, qui fuit origo generis humani, eo enim comedente cibum vetitum, & nos non per actum nostrum, quia nondum eramus, sed ut ita dictum sit, in eo comedimus, & illo se à Deo avertente, seque ei dissimilem faciente sua electione & operatione, & ipsi nos item dissimiles fecimus in Adam, & cum ea dissimilitudine nascimur. Hinc igitur facile intelligi potest, cur Virgo Dei Mater originali peccato caruerit, scilicet, quia decebat, ut careret: decebat, inquam, ut superatis legibus naturæ, cum habitu similitudinis Dei conciperetur, ut contra indecens erat, cum habitu dissimilitudinis Dei unquam reperiri eam, quæ tanto honore & gratiâ dignanda erat, ut ejus, ad cuius similitudinem in Adam facta fuerat, mater esset.

Hanc igitur Virginem solam decuit hac singulari ratione, non cum eo habitu dissimilitudinis Dei, quam in Adam post peccatum ejus, ceteri omnes induimus, concipi & nasci: sed cum habitu similitudinis Dei, quem omnes in Adam ante peccatum ejus indueramus, quatenus eramus in lumbis ejus. Hanc decentiam, quam ex Scriptura ipsa observare didicimus, facile est hic videre, si quis accuratè advertat. Ex his etiam liquet, quod Apostolus dixit: *In quo omnes peccaverunt*, quod ij, qui contra nos sentiunt, sæpè & multum urgere solent, intelligendum esse de ijs omnibus scilicet, quos possibile fuit peccasse. Christus enim peccare non potuit, quia erat De-

us, aut quos non fuit indecorum peccare, ut quidem erat indecorum peccare in Adam, id est, induere in Adam dissimilitudinem Dei, ut dixi, quæ futura erat mater Dei, ad cujus similitudinem factus fuerat homo.

De conceptione Virginis, inter pretibus magnis authoribus breviter attingamus. Scriptura verò est ipsa salutatio Virginis ab Angelo dictata, quam Magnus Athanasius in sermone id est, de Annuntiatione vocat, quod summa brevitate multa comprehendat & declaret. Ave MARIA, inquit, lætari jubet Angelus cum avere jubet, est enim . . . vox lætantis. Lætitiâ itaque nuntiat; ut sit perinde, atque diceret, exultet Spiritus tuus in Deo, sic enim postea interpretata est ipsa Virgo verbum Ave, quod ex Angelo audierat, quod erat unum ex ijs, de quibus dixerat Elisabeth eidem Virgini, *Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*: dictum enim

erat inter cætera per Angelum, Ave. Unde statim Virgo ostendens, jam perfectum esse in se illud . . . id est, gaudium ab Angelo nuntiatum, quamobrem se ait infinitas gratias Deo agere, subjungit, *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit*, id est, quia exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: Illud enim, Et, secundum idioma Scripturæ sæpè valet, quia Ave igitur MARIA, id est, exulta, ac gaude: quod nihil aliud est, quàm congratulari ei: sicut scriptum est in Evangelio Lucæ, de cognata ejus Elisabeth, & audierant, inquit, vicini, & congratulabantur ei, quod Græcè est composito verbo ex hoc, quo usus est Angelus Gaude igitur, quia gratia plena, & quia Dominus tecum. Hæc sunt magna illa, quæ eadem Virgo dixit in Cantico, Prophetans de hac nostra congratulatione, qua Virginem prosequimur, & beatissimam supra omnes beatos prædicamus. Ecce enim, inquit, *beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est*. Magna fuit gratia, qua supra omnes gratificata est à suo Salvatore, quem jam conceperat, quæ erat causa gaudii, & exultationis ejus, sicut eadem Virgo in cantico dixit: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Sed explicemus jam vim verbi hujus. quo Angelus Virginem salutavit; imò explicent magni & antiqui auctores. Beatus Gregorius Neocæsariensis cognomento in sermone interpretans quod Angelus Virgini dixit, *ne timeas MARIA, invenisti gratiam apud Deum*: perinde, inquit, est quasi dictum sit, ne dijudices gratiam secundum naturam

Quam vim habeat in salutatione illud verbū Ave, Græce

Gracum.
Gracum.
Quam vim habeat illud
naturam

naturam....., id est, legi enim naturæ se subiei non patitur gratia. Et paulò post, quali explicans illud verbum salutationis....., quia in hac, inquit, totius thesaurus gratiæ....., id est, reconditus erat, Ex omnibus enim generationibus, inquit, hæc sola Virgo sancto corpore & spiritu fuit, sola fert eum, qui verbo portat omnia, & non solùm admiratur Angelus pulchritudinem sanctæ, sed virtutes animæ. Idcirco, inquit,....., id est, gratiâ plenam, appellavit. Cùm hanc solam Virginem ex omnibus generationibus dixit sancto corpore & spiritu fuisse, qui alioqui sciebat, quod Apostolus docet, studium veræ Virginis esse, curare, ut sit sancta corpore & spiritu, profectò de novo & inaudito genere sanctificationis intellexisse necesse est. Id autem fuerit ex omnibus generationibus hanc solam Virginem conceptam esse sine peccato originali. Fuerunt enim alii in utero, postquam in peccato originali concepti sunt, sanctificati. Rursus paulò post explanans quod idem Angelus dixit; *Dominus tecum*, tecum, inquit, non terrenus sponsus, sed ipse Dominus sanctificationis, pater castitatis, iuctor immortalitatis, dator libertatis, salutis procurator, & veræ pacis conservator & distributor: qui ex terra Virgine fecit hominem, & ex ejus costa Evam. *Hic Dominus tecum*. Satis apertè significat hic magnus auctor, ut fuerunt Adam & Eva creati, omnis maculæ puri, sic Virginem omnis peccati puram generatam esse. Nisi enim sic sensisset, quorsum dixisset, qui fecit ex terra Virgine hominem, & ex costa Evam, *Hic Dominus tecum*? Videtur enim comparasse creationem Adæ ex terra Virgine, & Evæ ex costa, eum purissima conceptione Virginis. Et rursus ex te, tecum: cum pulchra pulcher, & speciosus præ filiis hominum: cum impolluta, qui sanctificat omnia: tecum Deus, & ex te Deus & perfectus homo. Impollutam ergò vocavit, quia nunquam fuisset immunda, aut non sancta: cum impolluta, inquit, qui sanctificat omnia; fuisset autem aliquando immunda, si in peccato originali concepta esset, à quo postea mundata per spiritum sanctificationis, non jam sola ex omnibus generationibus sancto corpore & spiritu fuisset, ut quidem fuisse hic gravissimus & antiquissimus auctor Gregorius Neocæsariensis planè affirmat. Proclus quoque Constantinopolit. *Proclus Constantinopolit.* illustis & vetus auctor in homilia de Virgine, inquit,....., id est, caro Virginis impolluta. Atqui caro sine anima pollui non potest, neque rursus animam quicquam potest præterquam peccati labes, polluere. Item Theodotus Ancyranus in homilia quam de Na-

Ancyrenus
Episcopus.
Græcum.

tali Domini in Concilio Ephesino fecit, . . . , inquit, , id est, uterus virginalis mundus à passionibus peccati, ex Apostolo mutuatus est, quin in Epistola ad Romam. cap. 7. passiones peccatorum illa dicit, quæ capite proximo, id est, 8. dixit facta carnis, cum ait, *si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*: mortificare enim facta carnis, est non consentire eis per spiritum sive mentem. De hujusmodi autem factis carnis, sive passionibus peccatorum dixerat idem Apostolus in persona sua, cap. 7. utens eodem verbo unde , id est, facio, unde facta, *quod nolo malum hoc facio, si autem, quod nolo malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Concupiscentiam dicit, qua caro hominis concupiscit adversus spiritum, quæ quia ex peccato Adæ orta est, peccatum vocatur. Ab istis igitur concupiscentiis, quas hic auctor Apostolum imitatus, passiones peccatorum vocat, cum mundam fuisse Virginem affirmat, planè affirmat non peccasse Virginem in Adam: neque comprehensam esse in illa sententia Pauli, *In quo omnes peccaverunt*. Accedit præterea auctoritas divini Dionysii Areopagitæ, capit. 3. de divinis Nom. cum enim meminisset de Ivo & Hierothei atque Apostolorum adventu ad videndum corpus Virginis, appellavit ut sanctus quoque Maximus, Dionysii Scholias tes notavit, Tametsi vim horum verborum non explicavit. Nos verò quia singulis verbis utrumque interpretari non possumus, interpretemur pluribus, id est, corpus quod fuit Dei receptaculum, & dedit principium vitæ. Ergò sicut Virgo, quia peperit Deum, qui in ventre ejus per unionem hypostaticam utriusque naturæ factus est homo, dicta est, , sicut in Ephesina Synodo contra Nestorium & patres ejus Paulum Samosatensem, Diodorum, & Theodorum Mopsuestiæ sanctum est: sic ejusdem corpus dicitur, quia Deum in utero suo accepit: & in eo usque ad partum portavit, juxta prophetiam Isaïæ, cum ait: *Ecce Virgo in utero accipiet, sive habebit, & pariet Filium, &c.* vero dicitur, id est, quod dedit principium vitæ. Quia corpus Virginis dedit principium carni Christi, quæ facta est vivifica, & dedit vitam mundo. Quomodo ergo decebat, ut illud corpus Virginis postquam habuit animam, fuisset unquam mortuum peccato, si dedit principium vitæ illius, qui, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos? ut sicut Eva secundum nomen, quo eam vocavit Adam, fuit mater cunctorum viventium, sic esset Virgo mater omnium verè viventium, dum mater est ejus, qui est omnis vitæ auctor, &

Dionysius
Areopagita.

Græcum.

vita ipsa, ac supra vitam. Præterea Sophronius Hierosolymitanus *Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus.* Patriarcha, in Epistola Synodica, quam, ut Photius Constan. in Bibliotheca sua testatur, ad Honorium primum Pontificem Roman. Hierosolymitanus. scripsit, quæ in sexta Synodo recitata est, & in actione 11. collocata, falsò autem inscripta Sergio Constant. Sic de filii Dei incarnatione confitetur: Et in uterum à viro intactum castitate virginitatis decoratum *MARIÆ sanctæ & puræ, & quæ Dei erant sapientis, & ab omni labe secundum corpus & animam ac mentem liberè ingressus, carnem assumit, qui erat sine carne: & quæ sequuntur.* Græcè est, Si ira & cupiditas, & omnes sensus corporis, ita erant subiecti rationi, ut hac ratione secundum corpus & animam, & mentem, cui illa obediebant, esset innocens, erat igitur libera ab omni labe peccati venialis. At ab omni labe peccati venialis libera esse non poterat, nisi fuisset libera à lege peccati, *quæ est in membris*, sicut Apostolus ait, & quæ ex peccato originali, quod in Adam peccavimus, manat. Et hoc rursus fieri non poterat, nisi à peccato quod in Adam Peccavimus, aliena fuisset. Cùm harum partium, corporis scilicet, & animæ & mentis, ex quibus homo constat, mundiciem Apostolus Thessalonicensibus optat, & à Deo precatur, sic ait: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus & anima, & corpus, sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* Non dixit sine peccato, quia si dixerimus, ait Ioannes, *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: sed sine querela dixit, hac erant esse sinim carere possumus, sicut ait Lucas de Zacharia & Elisabeth, & ne peccato, erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificati & esse sine omnibus Domini sine querela.* Nec hic dixit, sine peccato, propter eandem querela. causam, sed sine querela, quæ ad crimen pertinet, & non ad peccata minima, id est, venialia, quæ vocamus, & sunt. Cùm igitur Sophronius in hac Epistola Synodi ea confessionem suam edens, dixit, liberam fuisse Virginem ab omni labe secundum corpus, & animam, & mentem; complexus est, imitatus Apostolum, vires hominis naturales, quas habet corpus communes cum arboribus, ut sive manducamus sive bibimus, in gloriam Dei manducemus & bibamus. Et animales, communes cum animantibus, & spirituales communes cum Angelis, quas Græci vocant, ex quibus totus ho- *Græcum.* mo constat, & quas mundare debet ab omni iniquamento. Hoc enim ordine creata sunt omnia, primùm arbores, deinde animalia, postremò homo. Quòd si non opus erat Virgini, ut se mundaret ab omni

omni inquinamento carnis & spiritus, sicut nos Apostolus in Epistola I. ad Corinth. hortatur, quia erat munda, necesse est, ut dixi, ut Virgo gloriosa & felicissima lege illa peccati caruerit, quam Apostolus in membris suis sentiebat, & unde se infelicem vocabat.

Deinde, ut quod in hac quaestione potissimum est, ac maximae auctoritatis, in extrema parte ponam; Habemus mysterii hujus, ac gratiae interpretem Angelum; ut mihi quidem videtur cujus salutationem ac virtutem Lucas Evangelista proprietate sermonis Graeci expressit. Declaravit enim secundum normam ac consuetudinem sermonis Graeci; sic fuisse Virginem..... id est; gratiam plenam, ut nunquam antea gratiam caruisset, ac proinde nunquam in ori-

Quam *virginali* peccato fuisset. Esse se enim....., id est, gratiam plenus, *habeat* !... ut idem verbum eodem modo nunc interpretemur, sicut vetus interpretis novi Testamenti in salutatione Angelica interpretatus est, *compres* *verit* mune est secundum Scripturam Pauli omnium nostrum; *qui cum esse* *Gratia* *ple-* *mum* *impii*, per remissionem peccatorum sanguine Christi vivificati sumus. Sic enim de istis ait Apostolus in Epist. ad Ephes. *In laudem gloriae gratiae* *eius* *in* *qua* *gratificavit* *nos* *in* *dilecto* *filio* *suo*, *in* *quo* *habemus* *redemptionem* *De* *loco* *A-* *per* *sanguinem* *eius*, *remissionem* *peccatorum*, quod Latinus interpretis dixit, *postoli* *in* *E-* *gratificavit*, Graecè est..... pro eo quod est... .., id est, *pistola* *ad* *E-* *justificavit*: justitiam enim aliquando vocat Scriptura....., id *phes.* *in* *qua* *est*, gratiam justificantem, ut B. Cyrillus in com. Esa. c. 51. notavit *gratificavit* interpretans illud. *Appropinquat* *justitia* *mea*, aut..... dixit pro eo *nos* quod est,....., id est, fecit pulchros in filio suo, qui eramus *Gracie*.... prius facti & deformes per peccatum. Sic enim Dionysius Areop. c. 4.

de divin. Nom. pulchritudinem divinam..... vocavit. Hujus ergo verbi..... quo Paulus in nobis à Deo per Christum ju-

Qui *dicun-* *stificatis* *usus* *est*, participium] est illud in salutatione Angeli..... *tur* *secundum* Itaque peccatores justificati secundum verbum Apostoli sunt, & *scripturam* *euntur*....., & in Ezechiele. cap. 18. *nonne* *ecce* *verbum* *super* *datum* *bonum*] ? Utrumque....., id est, utrumque apud hominem gratiam plenum: scilicet loqui verbum, quod det gratiam audienti, & dare bonum datum. Quare si Lucas Virginem....., id est, gratiam plenam ab aliis, qui secundum Scripturam, ut dixi, dicuntur, &

Gratum. sunt....., id est, gratiam pleni, tanquam excellentius gratiam plenam distinguere voluisset, idque vis Angelicae salutationis postulasset, omnino articulum participio addidisset, ut regula Grammaticae constructionis Graecae requirebar, quam non ignorabat Lucas, etiam sermonis Graeci non vulgariter peritus.

Sed quia sic erat Virgo id est, gratiâ plena, ut nunquam ^{nificet par-}
 ea caruisset, eratque sola ac singularis, quæ nunquam peccaverat, ^{icipiū sine}
 non erat ab aliis gratiâ plenis distinguenda, nec apponendus articu- ^{articulo se-}
 lus participio: quia participium sine articulo, a. id est, singulare ^{cundum}
 significat, ut tradit Apollonius vetustissimus Grammaticus, id est, an- ^{propriatē}
 te annos mille quadringentos, lib. primo cap. 27. & b. 28. Præ- ^{sermonis.}
 terea Eccl. capit. 26. gratia, inquit, mulieris sedula, delectabit virum ^{bGræci, ex}
 suum, & ossa illius impinguabit disciplina illius. Datum Dei est mulier tacita ^{observatio-}
 & sensata: non est commutatio erudite animæ, id est, gratia super ^{ne Apollo-}
 gratiam mulier verecunda & sancta, Virtutes ergo vocat hic Scriptu- ^{nii vetustis}
 ra gratias, quibus virtutibus multi abundant, qui habent, sicut ait Ec- ^{sini Gram-}
 cles. Gratiam super gratiam &, id est, gratiâ pleni dici possunt. ^{matici.}
 Quare si Lucas Virginem hujusmodi genere gratiarum, id est, virtu- ^{e Epipha-}
 tum omnium plenam, à multis aliis, qui multis & variis virtutibus ^{nus pres-}
 pleni fuerunt, ut cæteris præstantiorem & ornatorem secernere vo- ^{lyter in vi-}
 luisse, necessario, ut paulò antè dixi, articulo apposito, dix- ^{ta Virginis}
 isset. Nunc verò cum non sic dixerit, sed simpliciter, admo- ^{quales suc-}
 nuit nos, virtutes istas in sola Virgine non fuisse id est, ex ^{runt virtu-}
 certamine, ut in cæteris omnibus. In c. Virgine enim non fuit pugna ^{tes ejus.}
 carnis & spiritus, quia in ea sola non fuit peccatum originale. Sic etiam ^{d Meminie}
 sensit Epiphanius præbyter Constant. qui vitam Virginis diligentissi- ^{hujus Epi-}
 mè conscripsit. Is enim interpretans illud, d. Quoniam virum non cognosco, ^{phanus &}
 præter sententiam illam, quæ in promptu est, hanc quoque senten- ^{vitæ Vir-}
 tiam habere dicit, id est, non in est, inquit, mihi desi- ^{ginis, quam}
 derium viri, ignoro quæ sit voluntas carnalis concupiscentiæ viri. Sub- ^{scripsit Ni-}
 jungit postea hic autor, e id est, non habuit virginitatem se- ^{cephorus.}
 cundum continentiam & pugnam, more honestarum fœminarum, qui- ^{e Calixtus.}
 bus cura & studium pudicitæ est: sed ex natura, quod est extra om- ^{& ex vita}
 nium mulierum facultatem, & à natura alienum. ^{Virg. ab eo}

Dictum est de eo, quod Angelus dixit, gratiâ plena; dicendum est ^{scripta sū-}
 nunc de eo quod dixit, Benedicta tu in mulieribus. Sunt quidem & di- ^{præ sunt le-}
 cuntur in novo Testamento benedicti omnes, qui Christi participes ^{tionones inse-}
 facti sunt, si tamen, sicut f. Apostolus ait, initium substantiæ, id est, il- ^{sto præferati}
 lud esse divinum & novæ creaturæ, quod per regenerationem in Bap- ^{omis Virg. in}
 tismo Christi cepert, usque ad finem firmum retinuerint. g. Ad hos ^{vetere Bre-}
 enim transivit promissio benedictionis facta Abrahæ. Siquidem, ut ^{vario.}
 idem Apostolus ait, Abrahæ dicta sunt promissiones & semini ejus, qui est Benedicta ^{Christus,}
 Christus, & hi sunt sibi promissionis, qui secundum promissionem Isaac nati tu in mu- ^{sunt. licibus.}

g *Qui di sunt.* Ut enim, sicut ait B. Chryosthomus in homil. de mutatione no-
cansur in minis Pauli & Abrahæ, gratia illic operata est, sic etiam hic. Editus est ille,
novo Testa- inquit, ex utero, qui frigore obriguerat, & tu ex aquis frigidis ascen-
mento, be- disti, quod illi fuit uterus, hoc tibi fons Baptismi, ob hanc causam
nedicti. filii sumus secundum promissionem Isaac. Hactenus Chryost. Si igitur

filii promissionis sunt benedicti, quos benedixit Deus, sicut Aposto-
lus ait, *omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, in benedictione
ista omni spirituali est & remissio peccatorum; & sicut ait B. Petrus,
omnia divina virtutis, quæ ad vitam & pietatem nobis, de cælo donata sunt.
Unde idem Apostolus explicans omnem illam benedictionem spiritua-
lem & cælestia illa dona, subjungit, *sicut elegit nos ante mundi constitu-*
tionem, ut essemus sancti & Immaculati in conspectu ejus in charitate, qui
predestinavit nos, in adoptionem filiorum per IESVM Christum in ipsum,
secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ; in qua gra-

In quo in- tificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem, per sanguinem
primis con- ejus remissionem peccatorum. Ergo benedictio illa, cujus sunt hæredes
sistat bene- filii promissionis, & cujus typus & figura erat benedictio Abrahæ
dictio cor- promissa in remissione peccatorum in primis consistit. Unde Isaias ca-
qui sunt fi- pit. 27. Propterea, inquit, *auferetur iniquitas Jacob: & hæc est benedictio*
ti promif- ejus, *cum abstulero ejus peccatum.* Quem locum interpretatus B. Cyrillus
sonis. Promisit enim, inquit, Abrahæ Deus dicens: *benedicens benedicam*
te, & multiplicans multiplicabo semen tuum. Verum, non est, inquit,
benedictus secundum veritatem Abraham, nec multiplicatum est
semen eius; luentibus pœnas peccatorum Israëlitis. Postquam verò
lapsi alioqui in omnem genus vitiorum & impietatis, copiosam tamen
remissionem consecuti sunt, transivit ad eos promissio benedictionis.
Quando igitur abstulero peccatum eorum, hic erit modus benedi-
ctionis ei. Hactenus Cyrillus. Congruit enim hoc, quod dixit B.
Petrus in Actis Apostolorum: *Vos estis filii Prophetarum & testamenti ejus,*
quod disposuit ad Patres nostros dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicen-
tur omnes familiae terræ. Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum
benedicientem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitia sua. Non igitur
benedicit Deus, nisi convertentibus se à peccatis suis ad eum, quia
illis scilicet remittit peccata, Quare cum hic sit modus benedictionis
nostræ, per remissionem, inquam, peccatorum. Si Virginem hoc
modo benedictam Angelus vocasset, & eam Lucas Evangelista, se-
cundum vim Angelicæ salutationis, ab aliis eodem modo, licet non
æqualiter benedictis, tanquam magis benedictam distinguere voluis-
set,

Quis modus
sit nostræ
benedictio-
nis.

set, sicut in illo altero, Gratiâ plena dixi, articulum planè hic quoque apposuisset sermone ad usum articuli accommodato, sic, inquam, dixisset Sed quia sola erat Virgo alio modo benedicta, scilicet nulla antegressa maledictione propter peccatum, quod remissione opus haberet, dixit simpliciter David quoque dixit Abigail uxori Nabal sed quia non erat sola, imò aliæ quoque erant benedictæ similiter, ut eam ab aliis distingueret, sequutus est articulus, qui supplevit vicem articuli in priori participio prætermisisti: sic enim ait:, id est, *benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne venirem ad sanguinem, & servarem mihi manum meam.* Hinc magnus ille Gregorius Neocæs. quem supra dixi, cum hanc vim salutationis Angelicæ proprietate sermonis Græci à Luca expressam intelligeret, quod scilicet sola Virgo Dei Mater gratiâ plena, & sola benedicta diceretur, Ipse quoque eandem sententiam sequens, in sermone de Annunciatione, Hæc, inquit, sola Virgo fuit sancta corpore & spiritu: Quod si sola fuit sancta corpore & spiritu, ergo sola nunquam fuit in peccato originali. Etenim si aliquando in eo fuisset, non jam sola, ut paulò antè dixi, sancta corpore & spiritu fuisset. Siquidem Apostolus commune esse hoc omnium Virginum vult, cum ait. *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Quare si sola Virgo Mater fuit sancta corpore & spiritu, necesse est, ut sanctitas in corpore & spiritu, ejus solius & singularis semper fuisset, & non ut in aliis Virginibus, quæ priùs fuerunt omnes peccato pollutæ & postea sanctificatæ. Ac rursus si sola hæc Virgo fuit sancta corpore & spiritu, ut hic magnus auctor Scripturam secutus affirmat, Ergo sola hæc Virgo fuit benedicta, & sola gratiâ plena, siquidem propter benedictionem, qua sola fuit benedicta, & propter gratiam qua sola fuit plena, factum est, ut sola fuerit sancta corpore & spiritu.

Sequitur deinceps, ut illud quoque explanemus, quod est in eadem salutatione ab Angelo dictum, *Dominus tecum*: quod quidem cum positum sit inter illa duo, gratiâ plena, & benedicta, quæ singulari modo, ut jam explicatum est, Virgini soli conveniunt, consequens est, ut hoc quoque, ita dictum sit, ut soli Virgini congruat: Significat enim, ut ait Petrus Martyr Patriarcha Alexandr. Verbum carnem esse tunc factum, cum hoc Angelus pronuntiavit, idque significare *Dominus tecum*, pro eo quod est: Deus verbum in utero tuo generatur & fit caro. Citat hoc Petri Alexandrini testimonium Cyrillus Alexandrin. in defensione primi anathematis contra Nestorium

Verum non hoc solum significabat, sed illud etiam, scilicet Dominum esse in corde ejus per gratiam. Ut enim sola fuit semper id est, pulchra & gratia plena, ac benedicta, nulla sceditate aut inimicitia, aut maledictione antegressa, sic cum ea fuit semper Dominus ab ipso puncto Conceptionis, id est, semper fuit in ea, quod Domino placebat, & gratum atque acceptum ei erat. Hoc enim significabat secundum idiomam Scripturae sanctae, illud *Dominus tecum*, ut cum dixit Nathan Regi David, *Omne quod est in corde tuo fac, quia Dominus tecum est*, quod quidem Paulus in Actis Apostol. Apostolica paraphrasi interpretatus est cum ait, cui testimonium perhibens dixit: *Inveni David Filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Fuit ergo Dominus cum David, quia omne quod fuit in corde David, fuit secundum beneplacitum Dei. At cum sola Virgine singulari modo fuit Dominus, ita ut, ne tunc quidem, cum concepta est, aliquid in ea esset non secundum cor Domini, id est, quod Domino displiceret: ac proinde nunquam in ea peccatum originale fuerit. Verum sic fuisse Dominum semper cum sola Virgine, ex iis, quae antea dicta sunt, probatum est. Etenim si sola Virgo fuit benedicta nulla antegressa remissione peccati, ut ex ipsa vi verborum, & rerum consequentia demonstratum est, & sola item fuit gratia plena, ita ut nunquam gratia caruisset; ut docuimus, ergo cum Virgine, sic sola benedicta, & sic sola gratia plena, fuisse Dominum Angelus nuntiavit, cum ei dixit, *Dominus tecum*, sola benedicta, illa enim ut dixi, duo omnino postulant, ut quod interpositum est, & ex quo illa pendent, cum ipsis illis duobus conveniat. Nec enim sola benedicta esse potuit, nec sola gratia plena, nisi fuisset cum ea sola Dominus semper, ut jam explicatum est. Sed quae hactenus de gratia & benedictione Virginis explicata sunt, satis Virgo ipsa confirmat. Nisi enim novum & inauditum genus gratiae, & benedictionis ei nunciatum esset, non fuisset cauta, cur in salutatione Angeli tantoperè mirata esset. Nunc autem cum ex sermone Angeli intelligeret se solam gratia plenam, se solam benedictam, sic secum esse Dominum, ut cum nemine unquam fuisset, *turbata est*, inquit, *in sermone ejus*: turbata, inquam, est praè admiratione, scilicet, concepto timore quodam ex humilitate, qua se indignam judicabat

Et cogitabat qualis esset saluatio ista.

illo singulari genere gratiae donatae, & benedictionis. *Et cogitabat, inquit, qualis esset ista saluatio*. Verbum est admirantis, qualis, Graece quo usus est Mattheus, cum ait: *qualis est iste, quia venti &*

mare obediunt ei? Et Marcus, cum ait: *Magister, aspice quales lapides, & quales structura.* Et Ioan. 1. cap. 3. *Videre qualem charitatem dedit nobis Pater.* Non ignorabat Virgo promissionem patribus factam benedictionis per remissionem peccatorum, sicut scriptum est in Isaia. *Iste est omnis fructus:* scilicet benedictionis promissæ, *ut auferatur peccatum ejus.* Quod clariùs interpretati sunt 70. sic: auferetur iniquitas Jacob, & hæc est benedictio ejus, cum abstulero peccatum ejus. Sciebat Virgo, quod in eodem Isaia scriptum erat de benedicendis in semine Abrahæ Christo, isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Si igitur Angelus Virginem in sua salutatione benedictam vocabat hoc genere benedictionis, quod ex Scriptura notum erat, & omnibus in Christo promissum, quodque ex remissione peccatorum in primis constabat, & sic se benedictam vocari ipsa Virgo ipsa intelligebat, quomodo admirabunda cogitabat, qualis esset ista salutio, in qua sic benedicta dicebatur? An verò illud: Dominus tecum, novum & insolitum erat? an non potiùs pluribus aliis in scriptura dictum? *Si exieris, inquit, ad bellum contra hostes tuos, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est:* Et David dixit Natan, *Dominus tecum est.* Docui etiam supra, quemadmodum esse commune esset multorum secundum Scripturam. Quod ergo mirabatur in salutatione, illud erat, quòd se solam benedictam, & gratia plenam, & cum se sola Dominum esse, Angelus nunciasset, quod necesse erat intelligi de novo modo benedictionis & gratiæ, eo scilicet, in quo non fuisset, ut antea dixi, antegressa maledictio, nec peccatum, nec alienatio à gratia, nec à Deo aversio, quod in sola Virgine evenit. Hanc gratiam solam ac singularem cum nemine, excepta Virgine, communecatam significat, Quod idem Angelus dixit postea: *Ne timeas MA-* *Invenisti*
RIA, invenisti enim gratiam apud Deum, Græcè. . . sine articulo; *gratiam a-*
quia singularis erat, & soli Virgini data, esse scilicet conceptam & pud Deum.
 natam sine peccato originali cum benedictione: qui enim concipiuntur in peccato originali, in maledictione sunt usque ad liberationem, sicut Scriptura sacra per Ezechielem docet, cum ait, *Impios, si nati fuerint in maledictione nasci: & si mortui fuerint, in maledictione esse partem eorum:* Est autem illud in maledictione nasci, commune omnium, qui in Adam peccaverunt. Et subjungit rursus in eandem sententiam, quasi interpretans quid in Genesi maledictio illa terræ propter peccatum Adæ facta, significaret: *Omnia, inquit, quæ de terra sunt, in terram convertentur,* sic impii à maledictione in maledictionem. Hi

*Benedictus
fructus ven-
tris tui.*

enim, sicut ait B. Athanasius in lib. 3. contra Arrian. ut terra solum existentes in terram ibunt, id est, in perpetua mortis corruptione remanebunt: hæc enim est eorum pars, & fructus maledictionis: Benedicti verò, tanquam cum verbo cœlesti, inquit, Athanasius, uniti in cœlum tolluntur. Quod verò accessit ad salutationem Angeli ex salutatione Elisabeth, benedictus fructus ventris tui, declarat causam benedictionis beatæ Virginis, id est, cur ab Angelo, & sancta Elisabeth dicta sit, *benedicta in mulieribus*, scilicet propter fructum ventris ejus benedictum. Quod si illa erat benedicta propter fructum benedictum, quem editura erat, erat igitur fructus ille auctor benedictionis, ac proinde Deus Dei Filius conceptus de Spiritu sancto in utero Virginis: qui facturus erat salvum populum suum à peccatis eorum, secundum interpretationem nominis *Iesu*, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur, quod nomen continuò adjunctum est eidem salutationi. Hæc hætenus in laudem gloriæ gratiæ Dei, qui soli Virgini matri, nulla antegressa maledictione, benedixit, propter benedictum fructum, qui ex utero ejus edendus erat, qui est benedictus in sæcula, & ante sæcula, Amen.

F I N I S.

Epistolam hanc de vera & propria peccati originalis definitione, & de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione typis dignissimam censeo.

*Albertus Vngerus, S. Theol. D. Professor &
Procancelarius in Academia Ibgolstadiana.*

Fr. M. Dionysius Costaccarius Domini Florentini Generalis Inquisitor, licentiam imprimendi concedit, Die 15. Septembris. 1581.

ILLUSTRISSIMO ASCANIO
Columnæ Abbati Sanctæ Sophiæ,

LUCAS JUNTA.

Qui libris, quos edunt in lucem, virorum Principum nomen adscribunt, id ii aut suæ erga eos voluntatis testificandæ, aut adversus obtretractores patrocinii quaerendi causâ facere sese dictitant. Ego cum hasce causas cum iis habeo communes, tum vero illam peculiarem & propriam, libellum hunc sub tuo nomine emittendi habere mihi videor, ne si videlicet eum alterius tutelæ subjecero, authori ipsi injuriam fecisse judicer; qui cum summa sit erga te animi propensione, iniquo animo ferre possit, eum alterius fidei quàm tuæ commissum, commendatumque fuisse. Ejus igitur tacitæ voluntatis interpres librum tibi offero, & trado: tu illum ea, qua soles, humanitate excipe, nec minus me qui edidi, quàm illum, qui scripsit, ab invidorum malevolentia vendica: quod præstabis facile, si vel solius tui nominis splendore collucere patieris.





T R A C T A T U S

D E I M M A C U L A T A

Conceptione B. Virginis Michaëlis

Butzenbach, Ordinis S. Benedicti.

vixit circa annum 1440. obiit in

Monasterio S. Jacobi prope Mogun-

tiam 1466.



D laudem & honorem salvatoris nostri J E S U Christi, cui etiam ea quæ in sui generatione confusibilia sunt, contumelia videlicet & obprobria, sputa & flagella, spinarum coronatio, crucisque suspensio perficiunt ad gloriam; non mediocriter accedenti creditur, si gloriosa genitrix ejus, in cujus Scrutinio cordiali quasi in arca testamenti intus & foris deaurata, novem mensibus quievit sine originalis contagione peccati concepta ostendatur. Quod quamvis sacrosancta synodus Basiliensis non tantum Spiritus sancti autoritate, cui innititur approbaverit, quin etiam festivitatem ejus conceptionis per universam Ecclesiam celebrandam sanxivit, ac spiritualibus donariis universos Christi fideles ad hoc devotè faciendum invitarunt, multum tu ad majoris incitationem devotionis ac reverentiæ erga gloriosam Virginem MARIAM videtur prodesse; si etiam rationibus, S., Script. autoritatibus, figuris, & exemplis id ipsum demonstretur. Ad quod faciendum quia opposita juxta se posita magis elucescunt Primo movebuntur argumenta oppositum tenentium, quibus in 1. parte solutio pœnetur, in 2. parte veritas nostri propositi elarius elucescet. Quantum igitur, ad primum quod scilicet Beata Virgo MARIA in originali peccato sit

to sit concepta: illius intentionis est S. Thom. lib. 3. sent. q. 1. Richardus de Media-Villa l. 3. dist. 3. quæst. 1. & 2. Et Magister de Ales Alexander in tract. de concept. & plures DD. Et primò principaliter arguunt sic autoritatibus variis S. Script. ergo secundùm Aug. 1. re-tractationum quæst. 8. omnis pœna, si iusta est, & non voluntariè assumpta, pro peccato inflicta est; sed Beata Virgo MARIA multas pœnas habuit, ut famem, sitim, pauperratem &c quæ pœnæ nobis infinguntur pro peccato originali, ut in 2. sent. in pluribus locis, & istæ pœnæ non fuerunt voluntariè assumptæ à Virgine MARIA, sed à Christo, alias ipsa fuisset reparatrix nostra, igitur istæ pœnæ fuerunt ei inflicte pro peccato originali, quare, &c. 2. nullus excipitur à communi omnium salute & redemptione Christi, nisi qui ejus redemptione non indiguit, sed nullus est hujusmodi, nisi Christus, secundùm Aug. de perfectione justitiæ dicentem, quod qui dicunt aliquem fuisse, vel esse, cui redemptio Christi non erat necessaria, dicit contra S. Script. ad rationes, omnes in Adam peccaverunt &c. sed si Beata Virgo MARIA peccatum originale non contraxisset, non indignisset redemptione Christi, quia Christus secundùm Apostolû mortuus est pro peccatis nostris; igitur per cõsequens sequeretur, quod Christus non fuisset universalis Redemptor omnium hominû, quod est falsum juxta illud Gregorii in hymno dicentis: Christe redemptor omniû, vel quod B. Virgo MARIA indignuit redemptione Christi, & per consequens fuit cõcepta in peccato originali &c. 3. arguitur sic secundo lib. de baptis. parvulorû. Peccatû originale fuit obstaculum propter quod excludebantur homines ab ingressu cœlestis curiæ, quæ janua aperta fuit per Christi passionem; igitur, si Beata Virgo fuisset sine peccato & mortua ante passionem filii sui intrasset cœlum, & ita sequeretur quod non fuisset janua omnibus aperta per passionem Christi, & per consequens B. Virgo non indignisset redẽptione filii sui, quod est falsû juxta Apost. ad Coloss. 1. dicentem, quod placuit Deo ei per ipsum Christum reconciliare omnia, quæ in cœlis sive quæ in terris sunt &c. istæ sunt rationes DD. quibus arguunt, & probant B. Virginem conceptam in peccato originali.

2. Principaliter adducunt pro parte sua autoritates Canonis ad Roman. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt*, cum igitur qui dicit omne nihil excludat, vult quod Beata Virgo MARIA fuerit concepta in peccato, ad Roman. 1. 1. conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misererentur sed certû est quod fuit misertus Virginis. Itẽ in psal. omnes declinaverunt

ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, id eſt, Chriſtum, ſecundum gloſſam: igitur MARIA aliquando fuit inutilis, & per peccatum declinavit, igitur originale contraxit. Item Ezeleſ. 7. virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. Quod exponit Aug. dicens, unum virum, id eſt, Chriſtum inveni ſine peccato, de mulieribus autem nullam, igitur MARIA originale contraxit. Item ſecundo ad Cor. 11. ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur, cum igitur Beata Virgo MARIA fuit vivificata per Chriſtum, reſtat eam mortuam in Adam per peccatum.

3. Principaliter arguunt DD. & adducunt auctoritates Sanctorum. Primo dicit Aug. de fide ad Petrum 26. cap. Firmiſſimè tene, & nulatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato naſci impietati ſubditum, mortique ſubjectum, & ob hoc filium iræ naturâ naſci, à qua nullus liberatur niſi per fidem mediatoris Dei & hominum JESU Chriſti, qui ſine peccato conceptus, ſine peccato natus, ſine peccato mortuus factus eſt ſacrificium pro peccatis noſtris, igitur juxta hanc regulam fuit MARIA filia iræ, quia concepta per concubitum viri & mulieris. Item Hieronymus ſuper illo verbo Pſalmiſtæ, & de manu carnis unicam meam, unica eſt anima Chriſti, quæ ſola ſine peccato. Item Ambroſ. in ſuo exameron lib. 1. Solus Chriſtus ſine peccato, ſolus ſine vanitate. Item Greg. 11. moralium in fine exponens illud Job. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* quod Beatus Job Incarnationem redemptoris intuitus ſolum vidit in mundo hominem de immundo ſemine non eſſe conceptum, quia ſic in mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immûda cõceptione, ſolus igitur in carne ſua mûdus verè exiitit, qui delectatione carnis tangi non potuit; quia nec ad carnalem delectationem venit, hæc ille. Item Anſelmus ſecundo lib. Cur Deus homo. cap. 16. dicit, quod licet hominis Dei conceptio munda fit & abſque delectationis peccato, Virgo tamen ipſa unde aſſumptus, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam Mater ejus, & in originali peccato nata eſt, quoniam & ipſa in Adam peccavit, cum quo omnes peccaverunt. Cum igitur doctor & ſanctus iſte ſic dicit, temerarium videtur oppoſitum opinari. Item Bernardus ad Lugdinenſes in Epistoſa ſic dicit, quod Virgo minime potuit ſanctificari antè conceptionem, quoniam non erat, ſed nec quidem in ipſo conceptu propter peccatum quod inerat. Reſtat igitur ut poſt conceptum in utero jam exiſtens ſanctificationem accepiffe credatur, quæ
excluſo

excluso peccato sanctam fecit nativitatem, non tamen conceptionem, quamobrem solo Christo excepto omnes alii ex Adam propagati in peccato fuerunt. hæc ille.

Modo scias quòd quasi innumerabilia originalia Sanctorum reperiuntur, quibus probatur Virginem esse conceptam in originali peccato. Quantum ad secundam responsionem & solutionem argumentorum est notandum 1. esse sine originali peccato est dupliciter intelligendum, scilicet de jure, & de facto. Modo Christus solus de jure & de facto est immunis ab omni peccato, Virgo autem MARIA non de jure, sed de facto; & ideo quodcumque dicitur quòd Christus non esset majoris puritatis, sanctitatis, sive dignitatis &c est negandum, quia Christus de jure & de facto, MARIA verò solù de facto, & sic patet solutio ad omnia similia argumenta. Secundo responderetur ad argumenta & primo quando arguitur sic, omnis pœna si justa est, & non voluntariè asumpta pro peccato inflicta est, sed B. Virgo habuit multas pœnas, quare &c. Dico ad minorem, quod istæ pœnæ fuerunt inflictæ Beatæ Virgini non propter peccatum originale, quod radicaliter cõtraxit, sed quia ipsa fuit naturalis filia Adæ, a quo peccatum originale formaliter contraxisset, si non fuisset præservata, & ideo quia ipsa quodammodo habuit in radice peccatum, non tamen formaliter, id est, quod licet de facto non contraxit peccatum originale, tamen ipsa de jure, & de debito contraxisset originale peccatum, nisi fuisset virtute divina præservata, ideocirco Deus voluit quod ipsa aliquas pœnas peccati originalis haberet & aliquibus careret, ipsa enim non obstante tali præservatione aliquas pœnas peccati habuit, utpote mortem, & alia quia Virgo MARIA quantum fuit ex natura, & de jure culpam originalem, & pœnalitates debitas illi culpæ incurrisset, nisi gratiâ divinâ præservata fuisset. Nunc autem Deus potuit ei facere gratiam quoad ipsam culpam, & pœnalitatem unam, vel duas scilicet incinerationem & putrefactionem, non faciendo ei gratiam quoad alias pœnas scilicet mortis, famis, &c. Et hoc debuit fieri, quia valent ad tentationem & ad meritum, ipsa etiam caruit aliquibus, pœnâ scilicet concupiscentiæ, quia ònis libido fuit in ea extincta, & pœnâ peccabilitatis, quia in gratia confirmata, & pœnâ ignorantiæ, quia divina misteria fuerunt ei revelata, & pœnâ corruptionis, quia nec in partu fuit aggravata, nec in morte incinerata propter accelerationem resurrectionis, ut communiter tenetur.

Ad 2. Argumentum responderetur, quando arguitur: nullus excipitur

à communium omnium salute & redemptione Christi &c concedo majorem, sed nego minorem, quæ dicit; si Beata Virgo non contraxisset originale, non indignisset redemptione Christi, quia **MARIA** indignisset Christo, ut Redemptore, quia ipsa contraxisset originale ex ratione propagationis originalis communis, nisi fuisset præservata, gratiâ Redemptoris, est sicut alii indiguerunt Christo Redemptore, ut per meritum ejus remitteretur eis peccatum jam contractum, ita ipsa indignuit redemptione merente sibi ne aliquando esset sub peccato contrahendo. Et ideo Christ⁹ est perfectissimus redemptor Virginis **MARIÆ**, quod patet ex eo, quòd nisi eam prævenisset, peccatum intrasset, ideo meritò suæ passionis impetravit sibi quod nunquam contraheret peccatum, idcirco redemit eam.

Ex istis sequitur quòd Filius Dei Matrem suam præservando gloriosior est Redemptor ipsius, quàm alterius hominis; undè exemplum hujus ponitur: Nam si corpus alicujus hominis esset sic dispositum, quòd non posset generare filium nisi leprosum, iste qui adhibito remedio lepram generandæ prolis perfectè præveniret, non minus hujus prolem à lepra redimeret, quam si prolem infici permisisset, & postea ipsam infectam à lepra mudaret contracta, sic est in proposito, undè non minus laudanda est medicina præservativa quàm restaurativa. Et illud benè declarat Doctor Scotus lib. 3. dist. 3. quæst. 1. & Hugo de Novo-Castro ibidem, & Warro ibidem, & Thomas Argentina ibidem, & Petrus de Aquila ibidem, & Franciscus Marrii lib. 3. quæst. 1.

Ad 3. argumentum respondendo dicitur: peccatum originale fuit obstaculum propter quod excludebatur, &c. Dico quod ratio clausuræ cœlestis januæ fuit originale peccatum, & ideo qui de jure contraxit originale, de jure fuit sibi clausa janua; sed **V. M.** fuit aperta per meritum passionis Christi prævisæ, sicut sibi nunquam propter Passionem Christi prævisam infuit peccatum, propter quòd janua clauderetur sibi. Et hanc opinionem tenet Warro Ordinis S. Francisci, qui fuit Magister Doctoris Subtilis scilicet Scoti lib. 3. dist. 3. quæst. 3. & dicunt quòd non est inconveniens credere hanc prærogativam Matri Christi factam, scilicet quia janua sibi fuisset aperta propter Passionem Christi prævisam. Tamen aliqui dicunt quòd si Virgo **MARIA** fuisset mortua ante Passionem Filii sui non intrasset in cœlum, quia **SS. PP.** prius mortui, & à peccato originali per circumcissionem purgati descenderunt in lymbum, nec janua fuit eis aperta usque ad solutionem

lutionem poenæ debita. Quapropter dictum est, quòd sicut Patribus non patuit janua quousque Passio Christi fuit exhibita, ita probabile est, quòd nec Beatæ Virgini, si prius fuisset mortua.

3. Principaliter responderetur ad omnes auctoritates tam Canonis sacri, quàm etiam SS. DD. Unde omnia dicta SS. DD. loquentium in hac materia reducantur ad duos modos, vel quia loquuntur in genere de omni homine, quòd contraxit originale, vel loquuntur in specie de V.M. Illi autem qui loquuntur in genere sive in communi, nihil omninò concludunt in Virgine, quòd patet ex multis. Ratio Quidem, quia supra docuit nos B. Aug. quòd B. Virgo excepienda est à regulis generalibus. 2. Quia necessario Deus eam excepit ab illâ regulâ, *omnes quidem resurgemus*, constat quòd hoc non tangat MARIAM, de qua pie tenet Ecclesia & S. Aug. etiâ determinat quòd resurrectio sua non sit futura, sed assumpta est in cœlum cum corpore & anima. Item, ab istis regulis: *Omnis homo mendax, Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, Omnes nascimur filii iræ, &c.* De singulis istæ regulæ generales omnes nihil concludunt contra MARIAM, quæ in generali loquuntur de omnibus peccato originali, cum sit ipsa privilegiata. Nam privilegiati non tenentur sub communi lege, vel etiam sub decreto generali, cujus exemplum, & probatio est per sacram Scripturam. Nam scriptum est, *Omnibus ad vitam simul est introitus & exitus*, sed Enoch & Elias non similiter exierunt, sed aliter, quia non per mortem secundum DD. sed per translationem distulerunt mortem, sed non evaserunt. Hoc etiam confirmatur per legem sic, quæ sit lex melior, quæ unquam facta fuit. Respondet legis-consultus, dicens, quòd ista lex quæ dicit sic: legem in quid stare non est verba legis dicere, sed intentionem legis hic & diligenter inquirere; sed Dei Filius est legis institutor, qui, ut patet voluit Matrem suam à jure communi esse exceptam. Igitur hoc magis est intelligendum, quàm verba legis quæ ponuntur in quovis radice, & per ista patet quid est dicendum ad infinitas auctoritates si essent, si loquerentur in generali contra illud propositum. Dicta verò Sanctorum quæ loquuntur de B. Virg. in speciali, utique ad intentionem suam sunt vera, quoniam dicta Sanctorum nihil aliud volunt nisi quòd ipsa solum de jure originale contraxisset, & non de facto. Ipsa enim de jure & debito contraxisset peccatum originale, nisi fuisset divina virtute & gratia præservata. Et hoc est, quòd dictum est prius, quòd ipsa contraxit peccatum originale radicalitèr, non autem formalitèr. Et per ista potest responderi ad omnes auctoritates tam sacri

Canonis, quàm etiam Sanctorum. Quantum ad tertium, scilicet probationem, & declarationem partis negativæ quæstionis, scilicet quòd Virgo MARIA quæ à Deo fuit prælecta, ut Filium Dei pareret, non est concepta in peccato originali, hoc ostenditur multipliciter. 1. Quia à Deo fuit præservata. 2. Quia per sacram Scripturam fuit sine originali præfigurata. 3. Quia est exemplis pronunciata ac probata. Dico ergo primò, quòd B. MARIA sine peccato originali est concepta, quia à Deo fuit præservata, circa quod notandum quòd præservatio Virginis ab originali ostenditur tripliciter secundùm tria attributa in divinis scilicet, per potentiã, sapientiam, & bonitatem, quæ attribuuntur personis divinis, unde dicit Magister lib. 1. dist. 4. quod quamvis in Deo sint unum & idem pœnitus, sapientia, potentia & bonitas, tamè potentia appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto: secundum ista tria Virgo MARIA à tribus personis in divinis præservata est ab originali; unde convenienter possunt dicere illud 1. Machab. 9. *Abst ut inferamus crimen gloria nostræ*, Virgini MARIE; ipsa enim fuit gloria sanctissimæ Trinitatis, unde dicit Bernardus: MARIA sinum gratiæ omnibus aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiã, tota Trinitas gloriam. Ecce secundùm Bernardum quòd B. Virgo MARIA est gloria SS. Trinitatis, quare benè dicunt verbum, *Abst ut inferamus*, unde primò ostenditur quòd Deus primò præservavit MARIAM quia potuit; unde attribuitur sibi gratia. Unde dicit Magister lib. 1. d. 92. Omnipotentia Dei est, & omnipotens est Deus, quia omnia potuit quæ vult. Cùm igitur Deus sit omnipotens, ipse etiam potuit Matrem suam præservare. Nam quamvis dederat Deus illam legem & sententiam, quòd propter peccatum primorum parentum omnes homines deberent contrahere originale peccatum, ipse etiam potuit privilegiare suam Matrem nè contraheret originale. Nã lex dicit quòd Princeps universaliter nõ sit adstrictus legibus suis, cùm ipse sit super omnem legem; igitur quantumcumque fuit divinæ legis omnem hominem contrahere originale, Deus tamen potuit speciali privilegio præservare suam dilectam Matrem, nè incurreret maculam. Unde nonnumquam aliquis legislator quatuor modis aufert legem suam. 1. Ipsam legem totaliter auferendo, sic Deus legem circumcisionis datam veteri Testamento, in novo totaliter annullavit, ut scribitur ad Gal. 5. *Si circumcidimur, Christus nobis nihil prodest*. 2. Ipsam legem ad tempus suspendendo, sicut suspendit legem da-

tam in lege naturæ, & in humanæ legis Mosaicæ de solubilitate matrimonii propter timorem uxoricidij permittendo divortium, ut habetur Deut. 20. Et postea removit eam in Evangelio Matth. 19. ubi dicitur, *Quicumque dimiserit uxorem suam*. 3. Ipsam legem in speciali casu dispensando, sic dispensavit de lege furti, ut dicitur Exodi 4. quando permisit & præcepit filiis Israël sive Judæis, ut exspoliarent Ægyptum, & reciperentur ab eis vasa. 4. Contra legem faciendo, dando alicui personæ speciale privilegium contra communem legem, sic dedit speciale privilegium Enoch & Eliæ contra communem legem moriendi, quos viventes transtulit de hoc mundo, ut habetur Gen. 5. & 4. Reg. 11. qui tamen debebant secundum legem communem à Deo datam mori, juxta illud Genes. *Pulvis es, & in pulverem revertens*; sic isto quarto modo potest Deus facere, dando in speciali Matri suæ privilegium contra communem legem datam omnibus, ut conciperentur in peccato originali, & Virgo gloriosa non. Unde propter illud posse Dei ponitur una conclusio, quæ talis est: Sicut Dei Genitrix fuit taliter sanctificata ante suam nativitatem, quod nunquam aliquod peccatum actuale habuit, ita veraciter sanctificari potuit quod nunquam peccatum originale habuisset. Hæc conclusio est de intentione Scoti, deinde Aureoli, Francisci Maronis, Hugonis de Novo-Castro, & aliorum. Et illa pars quæ dicit quod potuit fuisse præservata penitas seu totaliter ab originali patet sic: Nam ut dicit Doct. lib. 2. dist. 32. quæst. 1. art. 1. & alii, quod peccatum originale aut est quædam infectio in anima contracta ex unione ad carnem seminatam concupiscentiæ, aut est carentia originalis justitiæ acceptæ in primo parente, & in eo amissæ, cum debito modo habendi eam, sed sive sit sic, sive sic, Deus potuit Beatam Virg. sic præservasse à peccato originali in primo instanti conjunctionis animæ cum corpore. Et ratio est, dato quod peccatum originale esset quædam infectio in anima contracta ex unione ipsius ad carnem seminatam concupiscentiæ, adhuc Deus potuit semen illud de quo Virgo est propagata præservare à qualitate morbida & tali concupiscentia, quibus fœtus in sui animatione inficitur originali peccato, igitur Deus potuit originem præservare ab hujusmodi macula; Nam sicut in paradiso fuissent homines geniti sine originali peccato propter puritatem seminis & carentiam hujusmodi morbide qualitatis & concupiscentiæ prædictæ secundum istos Doctores, ita & Deus hoc in Virgine potuit. 2. patet sic: quia peccatum originale sit carentia justitiæ

tutiæ originalis debita inesse, Deus potuit Beatam Virg. præservasse ab originali, ratio est, nam gratia æquivaleret justitiæ originali quantum ad acceptionem divinam, ut prope hanc gratiam non sit peccatum originale animæ habenti eam, sic in circuncisione & in baptismo: cum igitur gratia est ex solo Deo, potuit conferre Virgini hanc gratiam, per quam potuit esse præservata, ne macularetur originali peccato præ omnibus electis: unde dicit Aug. de natura & gratia, hæc Virgine excepta si omnes sancti & sanctæ Dei congregari possent, & quæreretur ab eis an peccatum haberent, quid responderent nisi quod Joannes ait, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & in nobis non est veritas.* Secundò dico & ostenditur quod Dei Filius per suam sapientiam præservavit suam dilectam Matrem ab originali, quia decuit eum facere, ideo attribuitur ei sapientia, quæ ut testatur Sapiens Sapientiæ 7. *non introibit in malevolam animam*, sed in animas sanctas se transfert, cum igitur Dei Filius, qui est sapientia Patris voluit inhabitare Virginem MARIAM, decuit ut eam præservaret, unde dicit Dionisius est mundicia ab omnibus inquinamentis libera, scilicet mortalibus, venialibus, originalibus; ergo decuit ipsum præservare suam Matrem ab omni peccato. Unde probatur per Anselmum in lib. de originali conceptu cap. 18. ubi dicit, quod de Virgine mundissima Dei filius natus est, unde dicit: Decebat ut illius conceptio de Matre purissima fieret, unde decesserat, ut Mater Dei ea puritate niteret, qua sub Deo nequit major intelligi, cui Deus Pater unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, & quem ita daturum disposuerat, ut naturaliter esset unus & idem filius Dei Patris & Matris Virginis, & quam ipse Dei filius sibi in Matrem eligebat: si modo MARIA Virgo mundissima non fuisset præservata, & peccatum originale contraxisset, magnum malum incurrisset, quod Deum non decuisset, Nam major puritas sub Deo fuisset, quam puritas Virginis. Quod quadrupliciter patet; primò ostenditur in primo Angelo, qui fuit creatus sine aliqua labe, ut patet per Magistrum lib. 1. distinct. 3. quod Angeli facti sunt immortales, rationales, justi, & innocentes. Et distinct. 4. dicit quod non fuerunt peccati miseri, nam miseri ante peccatum esse non potuerunt, quia ex peccato miseria est, & de sua puritate dicit distinct. 6. quod primus Angelus omnibus fuit excellentior, unde dicit quod sicut de majoribus & minoribus perstiterunt, ita de utroque gradu erraverunt, inter quos fuit unus omnibus cadentibus excel-

excellētiōr scilicet Lucifer, nec inter stantes fuit aliquis eo dignior, et si ergo Beata Virgo non fuisset p̄servata à peccato originali, tunc puritas primi Angeli fuisset major, quam puritas Virginis, & sic non habuisset supremam puritatem sub Deo. Secundo ostenditur in primo homine, qui fuit creatus in puritate originalis justitię sine omni macula, nam secundum claram imaginem Dei. Unde dicit Magister lib. 1. distinct. 16. factus est homo secundum animam ad imaginem & similitudinem, non Patris vel Filii aut Spiritus sancti, sed totius Trinitatis, quę similitudo per peccatum deformatur, ut patet per B. Aug. dicentem, quod nihil facit hominem ita dissimilem Deo sicut peccatum. Si ergo iterum Beata Virgo non fuisset p̄servata ab originali tunc puritatis primi hominis fuisset major, quam puritas Virginis. 3. ostenditur in prima muliere, quę fuerat in gratia, per quam poterat stare in summa puritate competenti rationali creaturę, ut patet per Magistrum lib. 11. distinct. 5. ubi dicit quod homini in creatione datum est per gratiam auxilium & potentia, per quam poterat stare, id est, non declinare ab eo, quod acceperat, id est, puritate originalis justitię, sed si Virgo non fuisset p̄servata ab originali peccato, tunc puritas Evę, quę fuit auctrix immunditię, fuisset multũ major, quam puritas Virginis MARIE, quę est destructrix totius peccati, patet hoc per definitionem peccati originalis. Nam ut dicit S. Anselmus de Conceptu Virginali, quem Scotus sequitur, quod peccatum originale est carentia justitię originalis, quam justitiam Adam in se accepit, quia peccatum originale non habuit, tunc nulla fuit comparatio inter puritatem Evę, & Virginis MARIE, primò ostenditur in puritate & Virginitate animę, nam anima fuit à Deo creata casta & pulchra sine omni macula, & corruptione, ornata stolâ originalis justitię, quapropter, ut dicit Aug. in lib. de libero arbitrio, quod Angelus & anima sunt naturã pares, sed illa puritas sive similitudo inter Angelos & animam consistit in speciali Virginitate: si igitur Virgo MARIA fuisset concepta in peccato originali, tunc ejus anima fuisset maculata. Et ratio est; nam conceptio est duplex, scilicet conceptio seminum & naturarum, in conceptione seminum non ponitur peccatum originale, quia res irrationalis non est subjectum peccati, in conceptione verò naturarum, quę est, quando anima creatur, & infunditur corpori, ponitur peccatum originale, & sic anima inficitur, & si MARIA isto modo fuisset concepta, ejus anima fuisset corrupta, & maculata, & non pulchra, & quomodo tunc verum esset quod dicit S. Anselmus supra: Decuit,

quod Mater Dei ea puritate niteret, quâ sub Deo major nequit intelligi, quod non esset verum, quia convenienter concluditur quod Deus Filius cui attribuitur divina sapientia per suâ sapientiam præservavit Matrem suam, cum decuit eum facere, quod sit sine originali concepta. Unde dicit Bernardus: Hanc fecisti Domine imaginem bonitatis tuæ, ut in ea velut artifex ostenderes magisterium pietatis tuæ. 3. dico, & ostenditur quod Spiritus sanctus per suam bonitatem præservavit Virginem MARIAM ab originali peccato & omni malo, ideo attribuitur sibi bonitas, qua omnia à Deo creata facta sunt bona, juxta illud Genesis *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat &c.* Quod bene ostenditur ratione naturali. Nam dicit Aristoteles 4. Eth. quod qualis unusquisque est, talia operatur, cum igitur Deus sit summum bonum sic necessario quæ facta sua sunt, sunt bona, Et cum Deus præ omnibus creaturis prælegit MARIAM in Matrem, ut ex ea assumeret humanam carnem, in qua voluit reparare totum bonum per peccatum amissum, sequitur convenienter, quod ipse eam præservavit de facto ab omni peccato. Unde Ansel. in lib. quem edidit de Conceptione Virg. dicit indignum est ut illa quæ erat futura Mater Dei, qui peccatum destrueret venerat, & quæ futura erat domina Angelorum, aliquando fuisset de consortio hominum peccatorum & filia damnationis, ideo dicit ibidem expresse, quod non contraxit originale: unde totum motivum, quo ista sententia de præservatione Virginis fulcitur, videtur in hac ratione consistere, quod Deus potuit hoc facere; & si potuit, decuit; & si decuit, factum fuit. Quod per dictum S. Aug. qui sub eisdem verbis etiam ponit in sermone de Assumptione Matris Christi dicens, Si Christum Matrem suam posse salvare à corruptione nullus dubitat, seu incineratione, cui dubium est, quod velit & conveniat, & per hoc cur non fit? Ex quo clarè patet quod ipse loquitur de Virgine, utiur tali materia: Deus potuit Matri Virgini istam facere gratiam, & si potuit decuit, & conveniens fuit, & si decuit, factum est, & ideo hæc convenientia non est inanis, quæ orta sit à tanto Doctore, S. scilicet Aug. Unde ad idem arguunt DD. sic: Illud quod decet aliquem facere, qui nullam excusationem habet de impotentia, & hoc non facit, pro inconvenienti poterit sibi imputari: sed Virginem præservare ab omni macula originalis peccati decuit Dei Filium, & ipse hoc potuit, igitur inconvenienti videtur, si hoc non fecit, sed maximum inconvenienti est apud Deum secundum Anselmum primo de Incarnationem capitulo decimo Et istius opinionis sunt multi DD.

Doctor Subtilis tertio Sentent. distinctione tertiâ quæstione primâ. Aureolus libro tertio distinctione tertio quæstione primâ. Wilhelmus Warro ibid. quæst. eâdem. Franciscus de Maronis libro 3. quæst. 41. Hugo de Novo-Castro lib. 3. dist. 3. quæst. 1. Thomas de Argentina lib. 3. quæ verò in oppositum inducuntur, scilicet quòd Deus multa potuit, quæ non deceuit, dico quòd in nullo procedunt in proposito. Nam multum est decens quòd quidquid sibi Deus potuit impendere gratiæ & honoris, totum impendit, nec etiam obstat quòd dicitur de Christo, quòd Deus potuit eum à morte præservare, & si potuit, deceuit, & si deceuit, factum fuit, hoc non obstat, quia falsum est, supposito quòd disposuerit humanum genus redimere per mortem, sicut certum est quod disposuit, ut nos magis attraheret ad suum amorem, pro quibus posuit propriam vitam, non autem apparet rationabile quòd Matrem suam voluit infici per peccatum, ergo nec aliqua decentia aut utilitas videtur inde sequi, aut honor; unde dicit Aug. in Serm. de Assumpt. Quidquid congruit rationi & dignitati ipsius hoc ei attribuendum est; unde stat ista conclusio, quòd Deus potuit, & si potuit, deceuit, & si deceuit, factum fuit. Sed ad majorem certitudinem & veritatem probatur quadrupliciter, quòd factum sit quòd Virgo MARIA fuit concepta sine originali. 1. Quia fuit honor Dei, unde sic arguitur: quidquid est decoris, honoris & condecens dignitati Matris Christi, & non derogat privilegio dignitatis Filii, debet attribui & æstimari esse concessum Matri Dei, sed ad ejus honorem est quod fuit immunis ab omni culpa originali, utique fuit principale & decens, & plus quàm quod corpus ejus non fuit incineratum, & hoc non derogat privilegio Filii, ergo semper fuit B. Virgo præservata ab originali: imo honor Filii fuit, ideo debuit attribui Virgini, quod ipsa fuit sine originali, & sit honor Filii. Unde dicit Aug. in lib. de Naturâ & Gratia: In Virgine MARIA nullum nunquam fuit peccatum, cum enim de peccato agitur, propter honorẽ Domini nullã quæst. volo habere de ea, si ergo est Dei honoris, certum est quod sit factum. 2. Ostenditur sic: si Christus permisisset MARIAM contrahere originale, pejus fecisset sibi quam si eam pœnã sentis perpetuò punivisset. Ratio, quia magis quis secundum rectam rationem debet fugere odium Dei, quam pœnam æternam, cum igitur peccatum originale sit odium Dei, & si Christus permisisset MARIAM contrahere originale, permisisset eam etiam incurrisse odium Dei, ad quod vitandum MARIA potius debuisset eligisse pœnam æternam. Quod etiam ostenditur in Psalm. *Elegi abjectus*

esse in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Unde talis ratio concluditur à S. Anselmo in lib. Cur Deus homo. Nam quilibet Sanctus præligeret damnari, quam divinum præceptum transgrediendo stare per unum instans in peccato mortali, cum per tale instans Deus justè infligat damnationem, & tamen in puniendo semper dat minus malum, & tunc Mater Dei habuisset tantum malum vel majus malum, quam poena inferni mala sit. Hæc est ratio Anselmi; unde dicit de seipso: Si hinc peccati pudorem, illinc inferni cernerem horrorem, & necessario uni eorum haberem immergi, prius inferno me immergerem, quam peccatum in me immitterem. Si hoc Sancti prælegissent, quid Virgo S. fecisset, quæ est corona & honor omnium Sanctorum? ergo convenienter benè ostenditur quòd Christus suam dilectam Matrem à tanto malo præservavit, ejus etiam ratio est, quia ille perfectius salvat, qui custodit nè quis cadat, quam ille qui post casum erigit & restaurat; alia ratio, nam ille mediator perfectius mediat, qui ab ira Domini præservat conservum suum, quam ille qui post iram reconciliat, sic est in proposito. 3. Ostenditur per legem, quærit autem lex, an Princeps subiciatur legi, quã condidit? Respõdet quod non, nec Augusta subicitur legi, si vult Princeps, & hoc ex singulari privilegio. Ratio est, ut habetur Extra. De Donationibus. Cum dilecti & de verborum significationibus, olim privilegia Principum largissimè sunt interpretanda, & idem, gratiæ non sunt arctandæ, sed dilatandæ; cum ergo Princeps omnium Christus legem condidit de contractione originalis peccati potuit etiam privilegiare Reginam & Imperatricem Matrem suam dilectam, ne subiceretur communi legi, sed non minus servavit citra Matrem Virginem privilegium legis quam Augustus sive Princeps servavit citra Matrem sive sororem tuam. Igitur Beata Virgo Mater Dei de jure non fuit legi communi subjecta, & defacto per suum filium benedictum ab originali peccato præservata sit & ipse tãquam Princeps non fuit legi per eum editæ subjectus, & ideo dicit Aug. in lib. de natura & gratia, unde scimus quod ei plus gratiæ donatum fuit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit ipsum, quem constat nullum habuisse peccatum. 4. ostenditur per præceptum divinum. Præceptum enim Dei dicit, ut habetur Exod. 11. & Deuter. 11. *honora Patrem &c.* cum igitur Christus dicit Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, sic ergo ipse implevit in Patre suo ipsum honorando, cum dixit, ut habetur Joannis 8. *Ego honorifico Patrem meum*, sic etiam implevit in Ma-

tre; Nam præceptum dicit & *Marem*, sed quicumque filius posset Matrem suam præservare etiam à minori malo quam fuit originalis culpa, ipse ad hoc tenetur ex præcepto divino, quia aliàs non honoraret eam secundum intentionem præcepti divini, nec in maxima necessitate ei subveniret, ideo cum Christus potuit subvenire Matri suæ dilectæ præservando eam à tali macula, & eam honorare, totum fecit, Nam sicut ipse præcepit, & docuit, hoc ita fecit juxta illud Act. 2. *cepit IESVS facere & docere*, quapropter dicit B. Aug. quod Christus nunquam aliquid docuit verbo, quin illud firmaverit exemplo, & sic bene concluditur quod factum sit, quod Virgo gloriosa sit sine originali concepta per bonitatem Spiritus sancti. 2. principaliter quod Virgo Beata fuit sine originali per sacram script. præfigurata, ostenditur dupliciter. Primò, per figuras 2. per Sanctorum autoritates & dicta. De primo ostenditur per figuras. Unde figura hujus præcessit in Ezechia Rege, de quo dicitur Isa. 28. & 4. Reg. quod ipse erat moriturus secundum omnes causas inferiores & secundum Dei ordinationem & voluntatem, nam Deus misit Isaiam Prophetam ad eum, ut diceret ei ex parte Dei, *dispone domui tue, quia morieris, & non vives*, & tamen ejus mors à causa prima præventa fuit, cum Deus quindecim annos vitæ suæ addidit, sic quamvis Virgo gloriosa secundum communem cursum poterat concipi in peccato originali, tamen Deus prævenit ne ejus Mater dilecta, sicut cæteri homines, inquinaretur. Hujus figura etiam patet in Abraham, qui fuit redemptus de Ur Chaldaeorum, ne cõbureretur ubi Aram Frater suus fuit combustus, qui tamen naturali operatione ipsius ignis potuit comburi, nisi fuisset præservatus; hujus etiam figura patet in Daniele, ubi dicitur quod tres pueri in camino ignis præservati. Unde dicit B. Dyonisius in lib. de Angelica hierarchia to. 7. p. 10. optimũ genus purgationis est non à sordibus quæ insunt, sed ne insit, unde Origines super Matt. Mater Dei fuit intacta, & immaculata. Secundo quod MARIA est sine peccato originali concepta ostenditur per autoritates Sanctorum & dicta, unde dicit Aug. in serm. de Assumptione, quod ab opprobriis humanæ conditionis, à quibus Christus excipitur, rationabile est, ut MARIA excipiatur: hanc conclusionem probo unica ratione, nam integritas mentis, puta immunitas simpliciter ab omni lapsu gloriosior est, & decentior, quam integritas carnis, sed Christum mediatorem & redemptorem decuit servare Virginem integram, ut esset excellens purgator & mediator, & segregatus ab omni contagione, decuit etiam ex parte

Marris ista venustas Virginalis carnis, ut patet multipliciter in dictis Sanctorum, ergo multo magis ipsa integritas mentis, quæ est speciosior & gloriosior decor animæ, & oro quomodo fuisset salutata per Angelum summè dicendo, Ave, quod est sine vâ, si maculata fuisset vitio & vâ originalis culpæ? quapropter dicit Augustinus libro 2. de Hæresibus in persona Christi: Si potuit Mater mea inquinari cum eam facerem, potui ex ea inquinari cum ex ea nascerer; quorum utrumque est principale æqualitatis, si necessariò est in principale quòd Mater Dei inquinaretur, ut Aug. vult, est quod nunquam habuit peccatum originale. Item, idem dicit Ansel. in libello, quod edidit de Conceptione B. Virg. & dicit expressè, quòd non contraxit originale. Item, Richardus de S. Victore, Item, Scotus in Serm. de Conceptione Virginis idem dicit. Item, Venerabilis Linconiensis in suis dictis, & in Sermone què fecit de Conceptione Virginis idem tenet. Item, Aug. in lib. de Natura & Gratia, magis probat & ostendit, & dicit B. Virg. MARIAM esse sine omni peccato. Cùm ergo tot magni & solemnes Doctores tenent, quorum aliqui sunt magni Sancti, quòd MARIA sit sine originali; sequitur quòd à quolibet Theologo sit tenendum. Et ratio est, nam dicta Sanctorum fuerunt in quodam Concilio confirmata, ut patet 15. de Sancta causa, ubi enim S. Synodus confirmat dicta Sanctorum, scilicet August. Hieronymi & aliorum, & dicit quòd à cunctis fidelibus sunt recipienda, sicut quatuor Evangelia. Cùm hi Sancti Doctores dicunt B. Virg. esse conceptam sine originali, sequitur rectè positum; nec mirum quòd hæc affirmatio à Catholicis teneatur, cum etiam Saraceni istud præconium sibi attribuant; nam in quodam libro suo, qui dicitur Alcoran, qui liber fuit editus per discipulum Mahometi, & est authenticus inter omnes Saracenos, sic inquit Mahometi discipulus: Audiunt nuntium dicentem, nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangat Sathan præter MARIAM; in suo Alcorano sic inquit pro MARIA: Utique Deus deputavit te & elegit te super fœminas sæculorum. Pro MARIA Deus annuntiavit tibi Verbum suum, nomen ejus Messias & Jesus MARIÆ Filius honorabilis in hoc sæculo, & in alio. Tertium principale ostenditur exemplis & specialiter tribus, quæ facta sunt in tribus magnis personis & Doctoribus S. Matris Ecclesiæ, de quibus S. Mater Ecclesia bene dicit illud Gen. 30. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post uvas flores maturefcere, tuli ergo uvas & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Moraliter per vitem

tem intellige Virginem MARIAM, quam vidit Mater Sancta Ecclesia coram se tanquam fundamentum totius puritatis, in qua erant 3. propagines crescentes in gemmas paulatim, tria miraculosa exempla, quæ creverunt & facta sunt in tribus magnis Doctoribus Sanctæ Matris Ecclesiæ. 2. Post flores uvas maturescere; & fides illorum trium exemplorum, quæ tria exempla benè tulit Mater Sancta Ecclesia & tradidit poculum Pharaoni, id est, fidem & veritatem cuilibet fideli, ut ex illis tribus miraculis & exemplis bibat & intelligat B. MARIAM esse conceptam sine omni peccato originali. Unde prima propago, quæ erat in vite, id est, primum miraculum & exemplum quod factum est ex V. M. & crevit in gemmam, id est, quod factum est in uno magno Doctore, est miraculum & exemplum quod factum est in Magistro Alexandro, de quo legitur quod tribus annis communiter promulgavit se determinaturum B. V. M. esse conceptam in peccato originali, qui postquam per infirmitatem prohibitus est, tandem proposuit & promisit finaliter declarare & determinare hanc conclusionem, qui iterum nocte præcedenti incidit in infirmitatem, & multum patiebatur, tunc invocavit B. V. ut ei subveniret; unde virtute illius invocationis venit B. V. de nocte regio silentio, ipso tamen vigilante, dicens ei: Hanc infirmitatem pateris pro eo quod me esse in peccato originali conceptam probare & determinare niteris, & accepto cultello pedissequæ suæ excidit de latere magistri maximâ ac foetentem putredinem, & assumpto acu cum serico filo consolidavit latus ubique, & recedente Beata Virg. Magister optimè convaluit, & vocavit scholarem secum in camera dormientem, qui invenit secundum rem ipsam plenius & perfectè. Magister verò postea amovit impiam opinionem, & composuit magnum librum de conceptione Virginis, quod sine omni peccato originali sit concepta, unde in ultimo vitæ suæ exposuit id Can. 4. *rota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quia nec originalis, nec actualis pœna. Secunda propago, quæ erat in vite, id est factum exemplum & Miraculum quod factum est ex Virgine MARIA & crevit in gemmam, id est, quod factum est in uno magno Doctore, est Miraculum & exemplum quod factum est in Domino Bonaventura, qui etiam tenet in libro tertio distinct. 3. quæst. 2 & 3. quod Virgo MARIA sit concepta in peccato originali; unde fertur de eo quod accidit Parisiis, quod quidam devotus Frater ordinis Minorum frequenter omni nocte oravit in choro qui cum sic in orationibus extitit, audivit quemdam sonum, quasi unius

unius museæ, & multum mirabatur, quid hoc effet, & quid hoc significaret, quod audiret talem sonum tempore insolito & attentius consideravit, & pluribus noctibus semper audivit illum sonum super altare Beatae Virginis MARIÆ in testudine; tunc postquam pluries audivit, & multum admiratus est dixit: adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, ut dicas mihi quid sis. Audivit vocem: Ego sum Dominus Bonaventura, dicentem; Qui ait: eximie, Magister quomodo est de vobis, & quare facitis talem insolitum sonum? Qui respondit, bene erit de me, quia sum de numero salvandorum, sed quia ex quo tenui illam conclusionem, quod Beata Virgo esset in originali concepta, ideo sustineo hic super altare Virginis purgatorium, & postquam purgatus fuero, evolabo in cœlum. Istud Miraculum recitavit lector Heydelberg, qui dum fuit studens Parisiis audivit ab uno fratre, qui vidit illum devotum fratrem, cui hoc accidit, unde Bonaventura potest illud Psalmi dicere: *propter te mortificamur tota die*. Tertia propago, quæ erat in vite, id est, tertium Miraculum, quod factum est ex Virgine MARIA & crevit in gemmam, id est, quod factum est in magno doctore & sancto, est illud, quod factum in S. Bernardo, qui etiam tenet B. Virginem MARIAM esse conceptam in peccato originali, unde dicit in Epistola ad Lugdinen. Virgo minime potuit sanctificari &c. Item Bernardus in quodam sermone exponens de Beata Virg. illud verbum: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas pulcherrimum*, de Virgine, dicit, aufer rubiginem, id est, originale peccatum, & sic egredietur vas pulcherrimum, id est, Virgo gloriosa: igitur secundum hoc fuit in ea rubigo originalis peccati, cum ipse sic exponit prædictum versû Sacrae Scripturæ, in quo tamen potuit errare. Nam quædam lex dedit legem, quam scire non est verba legis dicere, sed intentionem legis suæ diligenter inquirere. Et fortè nunquam fuit intentio Sapientis, quod ipse diceret prædictum verbum de Virgine &c. unde Bernard. potuisset aliter exponere: unde etiam prædicto alludit B. Aug. 1. Retractationum cap. 13. dicens quod nihil perniciosius, quàm quicquid in sacra Script. dicitur accipiât ad literam aut ad verbum, nam litera occidit, Spiritus animam vivificat; unde propter hanc opinionem refertur de S. Bernardo, eum post Mortem cuidam cum macula apparuisse, asserens se illam portare propter hoc quod ipse tenuit in vitâ suâ Beatam Virginem esse conceptam in peccato originali. Unde istas tres propagines, qui erant in vite, paulatim in gemmas crescentes, id est, ista exempla, quæ facta sunt propter Vir-

ginem in istis tribus magnis Doctoribus benèdicit M. S. Ecclesia, & tradidit cuilibet fideli, ut ex illis tribus exemplis bibat, & intelligat Beatam Virginem MARIAM sine peccato originali esse conceptam; unde quilibet fidelis bene potest dicere illud Ecclesiastici 25. *in tribus beneplacitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus.* Et sic tenendum est, quod Beata Virgo est sine originali concepta peccato. Hinc sequitur consequenter quod non minori ratione de conceptione gloriosæ Virginis MARIE festivitas solemniter celebrari debeat quàm de Nativitate ejusdem, cum utriusque una & eadem sit ratio: Exordium nãque nostræ redemptionis utrobique commemorat; unde dicit Anselmus: non est verus amator Virginis, qui non vult colere diem conceptionis. Circa quod notandum, quod diem conceptionis Virginis debemus celebrare, & colere propter tria, primò propter honorem Dei, nam Deum honoramus, cum Matrem suam colimus, & specialiter in illo festo, in illo enim festo honoramus Beatam Virginem, quòd sit concepta in sanctitate, & in amore Dei, & non in originali peccato, & in ira Dei: propterea S. Bernardus inhibuit ne festum conceptionis celebraretur, unde ipse in fine Epistolæ suæ ad Lugdunenses, cum tractasset de V. MARIA, conclusit Lugdunensibus, ne festum conceptionis Virginis celebrarent, eo quod ipsa esset concepta in originali, sed qui celebrant ejus festum conceptionis honorant ipsam in sanctitate conceptam, & in Dei amore, & non in originali, & qui sic eam colunt, honorant Deum. Cujus exemplum bene possumus elicere ex dictis Salvatoris, Luc. 10. ubi dicitur; *qui vos audit, id est, honorat, me audit, id est, honorat.* Unde dicit B. Hieron. in serm. de assumptione Beatæ Virginis MARIE: Non est dubiũ, quin totum ad gloriã laudis Christi pertineat, quidquid genitrici suæ fuit impensum ac solemniter exhibitum. 2. ad imitandum exemplum S. Matris Ecclesiæ quæ hodie solemnificando celebrat festum cõceptionis Virginis, quamvis aliqui hodie non celebrant festum conceptionis Virginis, sed festum sanctificationis, Et hoc ideo faciunt, quia sunt illius opinionis cum S. Bernardo & cum alijs, qui tenent Virginem gloriosam esse conceptam in originali peccato, si modo hoc esset error quod S. Mater Ecclesia celebrat festum conceptionis, tunc etiam erraret, quæ tamen non potest errare, unde etiam clarum est, quod Dominus Papa & Cardinales sciverint, & notorie cognoverint, quod Universitas studii Parisiensis, & Ecclesia Scotiãna, & Hibernitana, & Ecclesia Anglica, & multæ Ecclesiæ in Francia, & multæ Ecclesiæ in Alimania,

nia, quia omnes istæ celebrant festum Virginis Conceptionis, & multi Doctores solemniores in Theologia prædicaverunt Parisiis, & in Anglia & in multis aliis locis, & prædicant singulis annis, quod Virgo MARIA non contraxit originale peccatum; si ergo hoc est erroneum, tunc Romana Ecclesia ipsa, & Cardinales in sustinendo ista demonstrant se errare. Patet hoc, nam ad Dominum Papam, Cardinales & ad Romanam Ecclesiam spectat errores revocare. Et si cum possint, non revocant, se ipsos errare demonstrant, ut probatur expresse de Hæreticis cap. qui alios. Et cap. consentire Error enim, cui non resistitur, comprobatur. Cum igitur Ecclesia hoc admittit, signum est, quod festum conceptionis sit celebrandum, & Virgo MARIA honoranda. Igitur nos debemus imitari Ecclesiam, & debemus etiam hoc festum honorare, unde canit Ecclesia, cum jucunditate conceptionem S. MARIE celebremus. Tertio propter fructum, & utilitatem, quem inde consequimur. Nam qui illud festum dignè celebrant in omni suâ necessitate & angustia per Beatam Virginem liberantur. Unde Beata Virgo cuilibet devotè colenti festum Conceptionis, illi benè promittit adjutricem se dicens illud Prover. 6. *Qui manè vigilat ad me, inveniet me*; quasi diceret, qui primum festum scilicet Conceptionis vigilavit & devotè peregit, talis utique inveniet me in omni suâ angustia piissimam consolatricem. Cujus exemplum habetur in Abbate Elino, qui postquam illud festum celebrare promisit, fuit per B. Virginem à periculo naufragii liberatus, ut patet in ejus legenda de Conceptione. Nam legitur quod tempore illo, quo divinæ placuit voluntati gentem Anglorum corrigere de suis malis & officiis suæ servitutis arctius astringere, subegit eandem Patriam gloriosissimo Duci Normannorum nomine Guihelmo, qui ejus virtute & industria, dignitates Eccl. ordinis in melius reformavit, cujus bonis & sanctis operibus invidens diabolus inimicus omnium justorum, qui libenter prædicti Domini successibus, cū malitia occurrisset, quod tamen Domino protegente non potuit. Unde cū Daci audientes totam Angliam esse subjectam, Normannis graviter indignati sunt, timentes se privari suo hæreditario jure, paraverunt se ut venientes prædictum Dominum Normannorum de Anglia expellerent. Hoc percepto prædictus Rex & Dominus misit quendam Abbatem nomine Elinum Religiosum virum in Daciam, ut inquirat veritatē hujus rei, quæ veritate habitâ revertens ad Angliam ut fidelis nuntius navem intravit, & cū esset in navi super mare densis surgentibus undique

ventis horrida tempestas cœlum commovit & undas, cumque nautis fatigatis, fractis remis, funibus ruptis anchora veluti spes salutis amittitur. Cumque de salute corporum desperati, solummodo curam animarum Creatori suo magnis clamoribus commendarent. Ecce subito conspicit quendam virum Pontificalibus indutum quasi inter undas stantem & navi proximum, qui advocans ad se Abbatem Elsinum, dixit ei: Vis periculum maris evadere? vis etiam in Patriam sanus redire? cumque ille cum fletu se toto corde desiderare id solum responderet: Tunc, Scias, inquit, me à Domina nostra Genitrice MARIA, quam ita seriosè invocasti, directum, et si dictis meis obtemperare volueris sanus cum Comitibus evades imminens periculum maris; qui promissit totum, si evaderet; tunc ait: promitte Deo, quod diem Conceptionis Matris Christi annuatim solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. at ille, quo die erit illud Festum celebrandum? qui ait: sexto idus Decembris hoc festum solemnizandum. At quo, inquit Abbas, servitio utemur in officio Ecclesiastico? omne enim, inquit, officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicitur & in Conceptione, excepto quod nomen Nativitatis mutetur nomine Conceptionis; his dictis ille disparuit, & ejus dicto sedata tempestate, Abbas cum suis incolumis applicuit Anglicis littoribus, & quæ viderat & audierat omnibus notificavit, & statim in suo Cœnobio statuit idem Festum solemniter celebrari, & ipse quamdiu vixit solemniter celebravit. Unde dicit Anselm. qui quis Præsul aut Abbas aut Prælatus es, recole diligenter hanc Festivitatem, & cunctis jube coli, quia si eam toto corde amaveris, nunquam de gradu tuo depositus eris. Item, exemplum de Clerico fornicante & in Secana submissio, cujus animam B. V. redactam ab inferis corpori restituit, & diem Conceptionis suæ ei indixit celebrandum, qui statim vitam eremiticam assumens, beneficium ab ipsa receptum omnibus enarravit, & diem Conceptionis quamdiu vixit devotè celebravit. Nonnè Leo Papa in Sermone de Nativitate Salvatoris nostri ait: Fratres hodie natus est Salvator noster gaudeamus, neque fas est esse locum tristitiæ, ubi Natalis est vitæ. Recolamus igitur universi hanc exordii diem reparationis nostræ, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, meritis ejus, qui originalem justitiam non amisit, eidem æternaliter restitui mereamur. Amen.

Hunc Tractatulum scripsit F. Michaël Butzenbach Ord. S. Benedicti, qui obiit in Monasterio S. Jacobi prope Moguntiam 1466.



S E R M O N E S

D E I M M A C U L A T A

Virginis Conceptione , excerpti ex
Magistro Paulo Wansæ Theologiæ
Professore eximio , ac Ecclesiæ Pata-
viensis Concionatore famosissimo ,
editi in Hagenau per Henricum Bran
Anno 1512.

De Conceptione B. V. Sermo V.

*N*ondum erant abyssi & ego jam concepta eram originaliter:
Prov. 8. transumptivè in Epistola hodiernæ festivitatis.
Pro thematis inductione nota, quod triplicem reperio
Virg. *MARIÆ* Conceptionem, scilicet divinalem, su-
pernaturalem, & materialem. Prima Virg. *MARIÆ*
conceptio dicitur divinalis, quâ scilicet ab æterno
Deus concepit eam in mente sua, & de hâc intelligitur thema, non
enim solum ab æterno concepta fuit divina Sapiencia, scilicet Filius à Pa-
tre, sed & Virgo *MARIA*, non quidem eodem modo quo Filius à Pa-
tre, scilicet de sua substantia, sed per præordinationem æternam,
exemplum sume in operibus humanis : propositum in corde di-
citur conceptio ; unde cum quis deliberat aliquid facere , dicere
solet hoc fiet à me, quia sic concepì in corde meo. Exemplum.
Cum peccator proponit emendare vitam suam, & vult confiteri &
conteri de peccatis suis, dicere solet, ego concepì velle mutare vitam
meam;

meam; sed Deus antequam aliquid crearet in sua voluntate firma & incommutabili, proposuit creare unam puellam Virginem Sanctissimam, quæ esset Filii sui unigeniti Mater. Prævidens enim hominem debere ruere à maxima sua dignitate per unam mulierem, scilicet Evam futuram in mundo, ex quâ eveniret omne malum, ita concepit & præordinavit in mente sua unam Virginem creare, scilicet MARIAM, per quam homo recuperaret dignitatem suam, & quæ omne malum auferret: & sic intelligitur thema; *nondum erant abyssi*, id est, creaturæ omnes, quæ dicuntur abyssi propter quandam profunditatem virtutis à Deo eis inditam; *Et ego jam concepta eram*, in mente divina, ut suo tempore in mundo fierem in actuali existentia. Ideo conceptio MARIÆ dicitur supernaturalis, id est, Angelicalis; conceperunt quidem illam Angeli, dum à principio suæ beatitudinis cognoverunt Christum incarnandum, & ex consequenti de Virgine nasciturum, ad quod intelligendum notat S. Thomas 1. parte quæst. 57. quod in Angelis est duplex cognitio. Una naturalis secundum quam cognoscuntur res tum per existentiam suam, tum per species concreatas, sive innatas. Sicut nos cognoscimus res mediante phantasmate, & dicitur hæc cognitio vespertina, hæc cognitione Angeli mysteria gratiæ cognoscere non possunt, quia ex pura Dei voluntate dependent. Secunda est cognitio Angelorum supernaturalis, quæ eos beatos facit, quâ vident Verbum & res in Verbo, & hæc quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ, & dicitur matutina, inter cætera enim Angeli aspicientes in Verbum, revelatum seu declaratum fuit eis mysterium Incarnationis cum suis circumstantiis & quod ad reparandum lapsum hominis ordinaretur, & restaurandum ruinas eorum Dei filius humanæ naturæ uniretur, & Virgo hæc sanctissima ejus Mater esset, & de hæc conceptione intelligi potest thema sic: *Antequam essent abyssi*, id est, creaturæ in sua distinctione & ultima perfectione, *ego*, scilicet Virgo Mater Dei, *concepta eram* intellectu Angelico per cognitionem, tertia conceptio Virginis sacratissimæ dicitur maternalis, quando Anna Mater sua in utero suo ipsam concepit, & de hæc intelligitur thema nostrum hoc modo: *Antequam essent abyssi*, id est, Apostoli, qui dicuntur abyssi propter profunditatem cognitionis divinorum & dilectionis super omnes sanctos, *ego* Virgo MARIA concepta eram in utero materno &c. Cum autem Ecclesia de hæc conceptione materno gloriosæ Virginis hodiè festivè agat solemnitatem, declarandæ sunt tres rationes, quare de nullo alio Sancto, nisi de Christi

sto & Virgine Matre ejus, celebretur festum conceptionis. Prima ratio, quia fuit multipliciter gloriola. Secunda, quia sublimeriter Sanctificata. Tertia, quia specialiter privilegiata. Prima ratio est, quia conceptio Virginis fuit gloriosa secundum illud Psalmi. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*, id est; MARIA ideo gloriosa, quia orta est & concepta à nobilissimis & dignissimis, & hæc dignitas ejus invenitur in tribus, scilicet in causa, substantia & efficientia, & in ea quidem reperitur triplex dignitas ex qua originata est prima dignitas regalis, & hæc est corporalis, secunda Sacerdotalis & hæc est Spiritualis, Tertia prophetalis & hæc est cœlestis, concepta à MARIA & nata regali ex progenie, quia ex David & successoribus ejus Regibus populi Dei, & propterea Christus dictus est frequenter in Evangelio filius David, quia ex eo Mater ejus descendit, quod & Judæi confessi sunt, ideo de eâ dicitur Cantic. 7. *quam pulchri gressus tui in calceamentis, filia principis?* Ex sacerdotali quoque tribu descendit, quia cum solum illæ duæ tribus scilicet regalis & sacerdotalis ad invicem possent contrahere conjugia, & nullæ aliæ tribus secundum Legem. Aaron autem primus sacerdos & summus à Deo institutus cum uxorem duxerit de tribu Juda, & Joiades summus sacerdos uxore habuerit similiter de tribu Juda & stirpe regia: & contra aliqui de tribu Juda ducerent in uxores de tribu sacerdotali, Sic B. V. ex sacerdotali tribu descendit. Unde & Elizabeth de tribu sacerdotali orta, erat cognata Virg. M. ut habetur Luc. 1. Ex prophetali quoque dignitate, descendit cœlestis, quia quæ dici potest prophetiæ donum à Deo est immediatè, & ex eo, quia ex Nathan propheta descendit, ac etiâ ex David & Salomone qui fuerunt prophetæ. Secundò: conceptio Virg. in substantia dignissima fuit, id est, in persona sua. Nam ipsa est Regina cœlorum, ipsa est Regina quæ astitit à Dextris Dei in fimbriis aureis, fuit & sacerdotissa justitiæ, quæ proprio filio suo non pepercit, sed stabat juxta crucem Jesu, non, ut dicit Ambrosius, ut mortem filii aspiceret, non ut dolorem filii consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret parata ipsa offerre filium Deo pro salvatione mundi. Prophetissa fuit cum ait, *Eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes &c.* Tertio in efficientia fuit dignissima, ipsa enim triplicem dignitatè originaliter transmisit in filium principaliter, & deinde specialiter in nos. Primò, quia ipsa filium genuit qui Rex & sacerdos & propheta fuit. Rex, quia in vestimento suo, id est, humanitate scriptum habet: *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Rex sum ego, ait ipse Pilato, de quo solo Magi sapienter quasi erunt dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?*

Iudeorum? Sacerdos enim secundum ordinationem Melchisedech qui per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa, ipse est propheta promissus per Moysem potens in opere & sermone, & istam triplicem dignitatem beatissima **MARIA** in nos transmisit, quæ nos Deo fecit regnum & sacerdotium, imò regale sacerdotium ad regendum nos virtutibus & immolandum Deo hostiam laudis & bonorum operum. Et sic patet prima ratio, quomodo conceptio Virginis fuit multipliciter gloriosa. Secunda ratio, quia sublimiter sanctificata. Pro cuius intellectu est notandum Secundum Bonaventuram circa distinctionem 3. tertii sententiarum, quod Triplex est gradus sanctificationis, primus est facultas vitandi omne peccatum mortale, & in illo primo gradu fuit sanctificatio Hieremiæ prophetæ, cui hæc facultas fuit de quâ Hieremiæ primo, *præquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulvâ sanctificavi te.* Secundus est facultas vitandi non solum omne peccatum mortale, sed etiam frequentiam venialium, in hoc gradu fuit sanctificatio Joannis Baptistæ, de quo etiam dicuntur prædicta verba Hieremiæ, & de eo canit S. Mater Ecclesia, antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam fame posses: levi fame, id est, peccato veniali, quod non est sic intelligendum, quod nunquam peccaverit venialiter, unde primæ Joannis primo. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* sed quia rarissimè venialiter peccavit propter sanctitatem vitæ, qui tam Sanctus erat quod teste Salvatore: *Inter natos mulierum maior eo non surrexit,* Matth. 11. Tertius gradus sanctificationis est facultas vitandi generalitèr omne peccatum, in hoc gradu fuit sanctificatio Virginis gloriosæ, quæ nullo unquam peccato maculata fuit originali aut actuali, veniali vel mortali; habuit tamen potentiam ad peccandum. Pro quo notandum quod duplex est sanctificatio **MARIÆ**, prima in utero matris, secunda in conceptione Christi; prima sanctificatio erat in ejus Conceptione, non quando Joachim & Anna carnaliter se commiscuerunt pro generatione **MARIÆ** Virginis, sed postquam corpus **MARIÆ** fuit plene formatum & effigiatum in omnibus membris, tunc cum anima fuit creata & corpori infusa, & unita, statim sanctificata fuit; in illa enim sanctificatione in utero non solum fuit præservata à peccato originali, ut latius infra dicetur; sed etiam conservata ab omni peccato actuali & veniali, potuit tamen peccare; sicut Adam & Eva in statu innocentie nullam habuerunt

runt inelinationem ad peccatum, & tamen peccaverunt : ad hæc, ut dicunt Doctores, in illa primâ sanctificatione fuit repleta spiritali dono sive Spiritu S. non solum respectu sui, sed etiam aliorum ; nam de eâ præbuerunt testimonium infideles Judæi & cæteri, quæ licet fuerit pulchra, à nullo tamen potuit concupisci inordinatè, nullus enim unquâ erat in ea motus illicitus, has tamè prærogativas MARIA habuit præ omnibus sanctificatis in utero sive in Baptismo ; patet, quia eorum sanctitas vel sanctificatio non reprimebat in eis omnes motus illicitos ; etiam eorum sanctitas non extinguebat omnem motum carnalem, in aliis aspicientibus eos, sicut in B. Virgine ; idèd meritò Ecclesia de ipsius Conceptione facit festum & non de alio, quia sublimiter sanctificata. Secunda sanctificatio Virginis benedictæ fuit in Christi conceptione, tunc enim confirmata fuit in bono supernaturali, ita quòd ex præsentia filii ejus in mente & ventre tanta sibi fuit gratia supradedita, quæ potentiam liberi arbitrii in ea non solum implevit, sed etiam in bono confirmavit, Ut de cætero neque in peccatum mortale neque veniale flecti posset. Probatur illud per similitudinem, quia ubi est plenitudo lucis, ibiabilitas ad tenebras esse non potest, sed in conceptione Christi B. Virgo fuit plena divino lumine, quia concepit illum, qui est splendor gloriæ ad Hebræos 1. idèd nulla fuit in eâabilitas aut potentia ad peccandum, secundum illud Ezechielis. 43. *Ecce gloria Dei Israël ingreditur per portam orientalem*, id est, per Beatam Virginem & terra, id est, caro B. Virginis, *splendebat in Majestate ejus*, id est, Christi: benè igitur dicitur de illa illud Canticorum. 4. capitulo: *Pulchra es amica mea, & macula non est in te*, ex illo infertur, quòd sicut impossibile fuit saltem de lege Dei ordinata propter honorem filii, ut alium haberet filium, sic impossibile fuit quòd umquam ulterius haberet peccatum, & sicut impossibile fuit, quòd in ea carnis virginitas violaretur, in quà Dei Filius corporaliter habitavit, sic impossibile fuit, ut mentis ejus sanctitas aliquâ peccati maculâ sive culpâ macularetur. Tertia Ratio quare Ecclesia de ejus conceptione agit festum & non de alio sancto, quia specialiter privilegiata ad cujus evidentiam nota quòd quintuplex est conceptio, prima carnalis & consueta, quæ fit de patre & matre in juventute, de qua Genesis 15. *Agar se concepisse videns, despexit Dominam suam*, ita carnalis & dissueta, quæ fit de patre & matre, sed in senectute, de qua Genesis 21. *Visitavit autem Deus Saram, sicut promissit, concepitque, & peperit Filium in senectute sua*. Tertia dicitur carnalis & sanctificata, quæ fit de patre & matre per Angelum annuntiata

nuntiata, sed de originali postea per Spiritum S. in utero sanctificata, & hæc convenit Joanni Baptistæ, de quâ per Angelum Luc. 1. *Vxor tua Elizabeth pariet tibi Filium &c.* Quarta carnalis & privilegiata quæ fit de patre & matre per Angelum annuntiata, non tamen in originali peccato, sed per speciale privilegium ab eodem præservata, & hæc convenit Virgini MARIÆ, quæ concepta est ex semine Joachim & Annæ pro nullo tamen instanti aut tempore fuit peccato originali obnoxia, neque in tali concepta, sed mox ut fuit anima creata & infusa, sanctificata & ab originali specialissimè præservata: modus verò per quem Virgo fuit liberata ne incurreret sive cohereret tale peccatum talis est, postquam fuit formatum corpus organicum & physicum in ventre Matris Virginis gloriosissimæ MARIÆ illud sacratissimum corpus Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri virtute Spiritûs Sancti ante infusionem animæ intellectivæ fuit mundatum atque purificatum, ut esset vas aptissimum ad recipiendum animam illam sanctissimam: fuit postea creata anima intellectiva gloriosissimæ Virginis plena Dei gratiâ atque sanctitate unitaque corpori suo gloriosissima Virgo sancta atque immaculata concepta. Ecclesia dicit: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* & ideo in canticis canticorum quarto dicitur: *surgere amica mea, columba mea, speciosa mea, surge & nulla macula est in te*, & Aug. in Sermonè de Nativitate Domini inquit: MARIAMater Christi electa est super omnes creaturas prælectas, omnibus gratiis sæcundata, omnibus virtutibus ornata, omni sanctitate in utero Matris repleta: igitur in conceptione fuit sancta, ratio est quia in origine fuit tanta gratiæ plenitudo quàm capere potuit aliqua pura creatura; ideo Angelus ad eam dixit gratiâ plena Lucæ primo. Hieronymus in Sermonè ad Paulam & Eustochium inquit: cœteris gratia per partes præstatur, MARIÆ verò totam se infudit gratiæ plenitudo, quare pro nullo instanti deficit illi gratia, quod tamen non fuisset si ad modicum originalis culpa habitasset in anima ejus. Item, ut inquit Franciscus de Maro in sui tertio. Ipsa fuit Virgo Virginum si contraxisset originale Virginitas ejus fuisset diminuta, nam Virginitas angelorum quæ spiritualis est, de qua Hieronymus dicit: semper est Angelis cognata virginitas, est major virginitate corporalis; & ideo si fuisset virginitas animæ MARIÆ per originale corrupta non esset par cum virginitate Angelica neque major puritate primorum parentum scilicet Adæ & Evæ, qui nullis antecedentibus meritis sine aliqua labe peccati puri & virgines creati sunt, & sic non esset verum illud.

quod dicit Anselmus libro de Conceptione Virginis: deuit ut illius Virginis conceptio de Matre purissima fieret, quæ eâ puritate niteret quâ sub Deo nequit major intelligi &c. Quinta conceptio est spiritualis & miraculosa, quæ non fit de patre & matre sed facta fuit ex Matre virtute divinâ Spiritu sancto obumbrante & virgine consentiente, ac Angelo annuntiante, hæc conuenit soli Deo Filio Christo Domino qui conceptus est de Spiritu sancto, ut canit Ecclesia, non ex virili semine sed mystico spiramine, de quâ Luc. 1. *missus est Angelus Gabriël*, ex quo patet quod magis differentia est inter Conceptionem Virginis *MARIÆ* & inter Conceptionem Christi filii ejus, primò, Christus fuit conceptus in originali iustitia per assumptionem humanitatis in Deum, rectus secundùm voluntatem & secundùm omnes sensus, neque inter rationem & sensum naturam fuit aliqua rebellio: Virgo in gratiâ fuit concepta & non in originali iustitia, & hoc per perfectissimum modum redemptionis & cubi Nota quod sex sunt modi redemptionis, primò quando quis redimitur postquam lapsus est in peccatum mortale actuale, isto modo fuerunt redempti primi parentes nostri per passionem Domini nostri *JESU* Christi: secundus modus redemptionis est quando quis redimitur postquam lapsus est in peccatum veniale, isto modo redimuntur viri perfecti, qui per gratiam Dei subleuantur post venialem commissionem. Tertius modus est, quando quis redimitur, & in gratia confirmatur ne amplius in peccatum mortale labatur. Isto modo redempti fuerunt Apostoli in gratia confirmati post missionem Spiritus S. Quartus modus est, quando redimitur mediante Baptismo in virtute passionis Christi, isto modo redimuntur parvuli & alii qui efficiuntur christiani. Quintus modus est, quando quis redimitur in virtute passionis Domini, & in utero sanctificatur postquam in originale peccatum cecidit, isto modo fuerunt redempti Joannes Baptista & Hieremias: sextus modus perfectissimæ redemptionis est, quando aliqua creatura, quæ ex sui natura est in potentia contrahendi originale peccatum, & tamen Dominus Deus ex sua infinita misericordia & in virtute passionis Christi eam præservat ne incurrat tale peccatum creando animam plenam gratiâ & infundendo illam corpori, isto modo fuit redempta *V. MARIA* &c. Secunda differentia: Christus in conceptione non indiguit tali redemptione, neque habuit naturam pronam ad recipiendum talem maculam. Tertia: Christus fuit conceptus de Spiritu S. *MARIA* non sic, sed ex coëuntium semine. Quar-

ta anima Christi in primo instanti conceptionis unita fuit Verbo Beata, anima Virginis quamvis fuerit sancta, tamen in primo instanti suæ conceptionis non fuit Beata. &c.

In festo Concept. B. Virginis Sermo VI.

Domum majestatis meæ glorificabo. *Isaiæ 40.* Et applicatur ad honorem B. M. Virginis in hodierno festo, Rex volens sibi construere domum habitationis, licet respiciat ad hoc, ut omnia habitacula sint decora, singulariter tamen habet respectum ad habitaculum suum, quod per se inhabitare vult ut est aula regia, quod hæc aula sit decora. Spiritualiter sic Rex gloriæ, Rex Regum & Dominus Dominantium Dei filius inhabitare decrevit cum hominibus, ut promisit per Prophetam Zach. 2. *Ego veniam & habitabo in medio vestri*, & ut scribit Joannes Apoc. 21. *Habitabit cum eis corum Deus*, licet via habitacula, id est, electorum corda debent esse munda, ut docet *Isaias* primo capite *lavamini & mundi estote*, ratio, quia: *Non habitabit in corpore subdito peccatis*. Sap. 1. Signanter aula regia, id est, B. V. MARIA debuit esse munda & glorificata propter quod prævidens eam dixit *Isai. 40. Domum majestatis meæ glorificabo*, in verbis præmissis commendatur B. V. MARIA à duobus, primò à divinali habitatione secundò à speciali glorificatione: primò ibi, *Domum majestatis meæ*, secundum ibi: *Glorificabo*. Primò commendatur à divinali habitatione ipsa enim est domus de qua canit Ecclesia: domus pudici pectoris templum repente fit Dei, reverà repente, quia cum dixit Luc. 1. ad Angelum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, statim concepit verum Deum & hominem, quod potuit dicere illud *Eccle. 24. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, id est, in ventre meo novem mensibus, hæc est domus de qua scribitur *Prov. 9. Sapientia edificavit sibi domum, & excidit sibi columnas septem*, & sunt septem dona Spiritus S. ut scribitur *Isai. 11. requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus*. *Lucæ 1. Spiritus sanctus superveniet in te*. Hæc est domus Domini firmiter edificata &c. *Psal. 86. Fundamenta ejus in montibus sanctis*, scilicet super potentia patris & non poterit cadere per humanam infirmitatem ut dicitur *Luc. 1. virtus altissimi obumbrabit Tibi*, super sapientia filii Sapient. 7. *Venit in me Spiritus sapientiæ, qui non potuit cadere per ignorantiam*, Grego. quid ignorare poterat in quâ æterna sapientia & plenitudo divinitatis inhabitavit

bitavit, super bonitate Spiritûs sancti est firmata? hæc domus sic quod non potuit cadere per malitiam, hæc est domus divinæ majestatis Matth. 7. *fundata est supra petram* divinitatis sustentationem Bern. Deus fecit Mariam potentem ut nos juvare posset, fecit eam sapientem ut nostros defectus cognosceret; elementem eam creavit, ut nostræ necessitati & indigentia succurreret. Secundò commendatur B. Virgo à speciali glorificatione cum dicitur: glorificabo. Reverà Deus omnipotens hanc domum glorificavit tripliciter. Primò ante tempus, secundò in tempore, tertio post tempus. Primò glorificavit eam ante tempus, quia eam ab æterno præordinavit ac prævidit Proverb. 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio*; scilicet ad humanam salutem: *Ab æterno ordinata sum*, scilicet ad divinam inhabitationem, *nequid erant abyssi*, id est, antequam homo cecidit in abyssum miseriæ per peccatum, & deinde in abyssum pœnæ. Psal. 41. *Abyssus Abyssum invocat*, id est, culpa causat pœnam: *Et ego jam concepta eram*, id est, prævisa concipi. Ex illo patet quòd si homo non peccasset, æque benè Deus incarnatus fuisset, licet S. Tho. parte tertiâ teneat quod non. Respondetur quod non assumpsisset corpus passibile: attamen assumpsisset carnem. Primò ratione prædestinationis Matris ab æterno: secundò ratione dilectionis demonstrandæ, Aug. in lib. de Cathechizandis rudibus dicit, quæ major causa incarnationis quàm ut ostenderet incarnationem & dilectionem suam in nobis, modò non minùs dilexisset naturam innocentem quàm peccantem? igitur. Tertio ratione beatificationis. Unde Leo primo libro de fide, cum homo sit ad beatitudinem creatus, & beatitudo quantum ad partem sensitivam consistit in aspectu humanitatis assumptæ: sed quantum ad intellectivam ex intuitu divinitatis, & sic secundum Leonem: si homo non peccasset, æque benè Deus incarnatus fuisset; aliàs homo perfectè beatus non fuisset, quia nisi secundum animam, sed anima est pars & non homo. Cum igitur anima & corpus communicent sibi actiones & passionés, convenientius est ut consequenter accipiant præmia actionum; idè anima beatificatur ex visione divinitatis, & corpus ex visione humanitatis, idè Aug. exponit illud Joan. 10. *ingredietur & egredietur & pascua inveniet*, id est, in contemplatione divinitatis & visione humanitatis, & sic elegit eam ab æterno in Matrem: secundò glorificavit eam in tempore: & hoc dupliciter scilicet in tempore legis, & in tempore gratiæ: primò in tempore legis præfiguravit eam. Undè Bernardus

nardus super *Missus est*, quod Moyſi monſtratum eſt in rubo & igne Exo. 3. Aaron in Virga & flore, Numc. 17. Et Gedeon in vellere & rore, Judi. 6. Danieli in lapide. Dan. 11. hoc apertè vidit Salomon, in forti muliere Proverb. ult. Ezechiel in porta clauſa ante & poſt. Ezechiel. 44. Secundò glorificavit eam in tempore gratiæ, quia ſpecialeſ gratiam & ſingulareſ ei contulit, & hoc tripliciter, primò in ingreſſu, quia eam à peccato originali præſervavit. Secundò in progreſſu, quia eam ſpeciali gratiâ & dignitate dotavit. Tertiò in egreſſu, quia eam in Matrem ſuam elegit: dixi primò quod dignificavit eam in ingreſſu, quia eam à peccato originali præſervavit, & licet Apoſtolus, ad Rom. 3. dicat: *Omnes peccaverunt & egent gratiâ Dei*, tamen hoc intellige ſecundùm communem curſum. Ad Ephe. 2. *Eramus naturæ Filii iræ ſicut & ceteri*, & Ecceſi. 41. *Va vobis qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi; ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, eſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra.* Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, & Proverb. 20. *quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* quali diceret nullus ſecundùm communem curſum, de quo Aug. & habetur in cap. firmiſſimè de conf. diſt. 3. firmiſſimè tene & nullatenus dubites omnem hominem concubitu viri & mulieris genitum conceptũ fuiſſe in peccato. Ubi dicit Scotus: hoc eſt verum ſecundùm communem curſum naturæ, non autem ſecundùm privilegium: ipſa verò Virgo Beata ſpeciali privilegio fuit præſervata, quod conſiderans Salomon in Spiritu dixit Can. 4. *Tota pulchra eſ amica mea, & macula non eſt in te*, nam ſi unquam fuiſſet in peccato originali concepta, non poſſet pro eodem tempore dici immaculata. Nec ſequitur quod propter huiusmodi præſervationem fuerit Chriſto Filio ejus parificata, nam dicit Scotus quòd adhuc eſt triplex differentia inter Matrem & Filium. Primò quantum ad myſterium incarnationis & generationis, quia MARIA Virgo non fuit concepta de Spiritu Sancto. Nec ſine corruptione Matris genita ſicut Chriſtus, Secundò fuit differentia quantum ad myſterium præſervationis, quia Chriſtus non indiguit præſervari, ipſa verò habuit indigentiam præſervandi. Tertiò fuit differentia quantum ad myſterium glorificationis, quia anima Chriſti fuit ab instanti conceptionis Beata, habens fruitionem Deitatis, non ſic anima Beatæ Virginis. Secundò eam dignificavit in progreſſu, quia eam ſingulari gratiâ dotavit Eccl. 24. *in me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis ſpes viæ & virtutis.* Hieron. Cæteris ſanctis gratiâ per partes præſtatur, MARIE ſe infudit gratiæ plenitudo: licet

Joannes Baptista abundanter gratiam habuit, quòd in matrem & Patrem deflueret. Quia ambo ceperunt gratiam prophetandi: attamen ab ipsa Virgine copiosior gratia: quia in omnes se diffudit. Bern. de plenitudine ejus accipiunt omnes: justus gratiam, peccator veniam, Angelus lætitiã, Filius Dei carnis substantiam, tota Trinitas gloriam. Idèò subdit Bernardus: Acutius intuemini quanto devotionis affectu eam à nobis voluit honorari, qui totius gratiæ plenitudinem posuit in MARIAM, nam si quid spei, si quid gratiæ, si quid virtutis in nobis est, ex ea novimus redundare. Tertio in egressu singulari dignitate eam nobilitavit, quia eam in Matrem suam elegit. Ansel. ô mira res! omnis creatura à Deo creata, sed Dei natura ex MARIÆ nata. Ideo dicit Bern. ô MARIA, quanta est dignitas tua, tu facta es Mater illius, cujus pater est Deus: Filius paternæ charitatis est corona tuæ castitatis. Et Petrus Raven. ô Virgo Matrem te fecit non naturâ sed gratiâ, quòd miratur Aug. quæ Virgo tam casta, ut esset Virgo post partum, quæ tam sancta, ut esset Dei Mater, hæc sola potuit Virgo & Mater vocari. Tertio dignificavit eam post tempus scilicet præsentis vitæ: & hoc est in egressu quâdo eam cum corpore & anima in cælum sublimavit, ut dicit Aug. & canit Ecclesia: assumpta est MARIA in cælum. Hiero. sicut in terris non est locus dignior utero virginali, qui Christum recepit Dei Filium, sic nec in cælo solio regali quo Dei filius MARIAM sublimavit. Ansel. nihil Tibi æquale ô Domina, nihil comparabile, omne quod est, aut est super te, aut infra te, supra te solus Deus, infra te omne quod non est Deus, idcirco meritò à nobis glorificanda est, primò propter ejus dignitatem. Eccl. 42. *Exaltate eam quantum potestis, quia maior est omni laude,* Unde canit Ecclesia: scelix namque es sacra Virgo MARIA & omni laude dignissima. Hiero. quid nobilius, quid sanctius, quid dignius, Matre Domini? quid splendidius quàm splendor elegit gloriæ, candor lucis æternæ, & speculum sine macula ab æterno prædestinavit? Aug. quid nos tantilli, quid nos animo pusilli, si omnia membra nostra verterentur in linguas, nec eam collaudare sufficeremus. Secundò propter ejus placabilitatem. Fortunatus in Homilia: gratius est obsequium Deo quod MARIÆ impenditur, quàm quod sanctorum cuilibet dirigitur. Hieronymus in sermone de Assumptione. Si ore prophetico Dominum in sanctis ejus laudare jubemur, multò magis in veneratione Beata MARIÆ Virginis Matris ejus &c. subdit ibidem, Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis pertinet Christi, quidquid ei honoris impensum fuerit.

rit. Tertio propter nostram salutem. Hilarius: impossibile est aliquem salvari peccatorem ô Virgo, nisi per tuum auxilium & favorem. Chrysost. tribularer nimium si MARIÆ nescirem patrocinium, quia nobis ipsis non est salus: de quo Anf. non est salus in mundo, nisi quam peperit Virgo. Quarto propter nostram necessitatem: quia dicit Bern. Tu pro singulis necessitatibus subvenis Mater Dei, tu pro diversitate infirmitatum largiris diversitatem medicinarum, ut patet in miraculis, ad insinuandum præsentem festivitatem esse celebrandam, primò est ostensum Elino Abbati, cui succurrit in necessitate tempestatu maris laboranti. Secundò subvenit sacerdoti cuidam adultero post mortem in faucibus Diaboli existenti, eum eripiendo. Tertio consolata est adolescentem nubere volentem, cum ad castitatem admonendo, ut patet in historia hujus festivitatis, ideo dicit Anf. non est verus amator Virginis qui respuit colere festum ejus Conceptionis: propterea Ecclesia hoc festum valde glorificavit, primò in eo quòd novissimis temporibus in sacro Basilien. concilio Anno Domini 1439. determinavit & diffinivit doctrinam differentem gloriosam Virginem Dei genetricem MARIAM prævenientem & operantem divini muneris gratiâ singulari nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ob omni originali & actuali culpa, sanctamque Immaculatam tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico fidei catholicæ rectè Romanæ & sacræ scripturæ ab omnibus catholicis fore tuendam & amplectendam, nullique de cœtero licitum esse in contrarium prædicare seu docere. Item statuit & ordinavit eandem celebritatem sexto idus Decembris in omnibus Ecclesiis & monasteriis sub nomine conceptionis festivis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus verè pœnitentibus eadem die Missarum solemnium interessentibus centum dies, primis & secundis vespere totidem sermoni verò verbi divini de eadem festivitate interessentibus centum quinquaginta Dies concessione perpetuis temporibus duraturâ de injunctis sibi pœnitentiis eadem facta synodus elargitur ad idem: Sixtus Papa quartus easdem indulgentias omnibus Christi fidelibus elargitur, qui eadem die & per octavas Missæ & divinis officiis interfuerint, & celebraverint, quas consequuntur in festo Corporis Christi & per octavas ejusdem juxta ordinationem Urbani quarti & Martini quinti & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum suorum præsentibus perpetuis temporibus valituris &c.

In Die Conceptionis Beatæ Virginis MA-
RIÆ De festo Sermo VII.

Conceptus hodiernæ MARIÆ semper Virginis nævum tergit, nex-
 um solvit vetustæ originis, mœstis reddit lætitiã, dat crimino-
 sis veniam: ita cant hodie sancta Mater Ecclesia in prima antiphona
 in laudibus, & applicatur ad honorem MARIÆ Virginis in hodierno
 festo. Ideo dicit Ansel. in Homil. hujus diei: ô quanta ista dies, quâ no-
 stræ reparatricis anima dignè creatur & sanctificatur seu consecratur,
 & sanctissimo corpori unitur, reverà non est verus amator Virginis,
 qui spernit colere diem ejus Conceptionis. Hæc Ansel. sed ille verè
 amat ipsam, qui nunc celebrat diem istum, & ex quo amor est reci-
 proeus, ideo dicit: *Diligentes me diligo*, & facit eis recòpensam
 in fructibus & utilitatibus quas homo habet sperare quò devotè Con-
 ceptionis ejus festum celebrat, & hi fructus taguntur in verbis præmis-
 sis: Conceptus hodiernus &c pro quibus nota quod celebrantibus de-
 votè hunc diè Dei genitrix plurima dona confert, & signanter tria, quæ
 tanguntur in themate, quia impetrat deletionem peccatorum, procurat
 solutionem vinculorum, & dat causam gaudiorum. Primò enim ce-
 lebrantibus hunc diem conceptionis suæ impetrat deletionem pecca-
 tum & hoc tangitur, cum dicitur nævum tergit & in fine dat crimi-
 nosis veniam, nævum, id est, maculam peccati; sed in Virgine nulla
 peccati macula est ablata, quia nulla ibi fuit, sed Nævum tollit in
 MARIA, id est, Non admittit: undè sicut ipsa hodie in sua conceptione à
 peccato originali est præservata & sic sanctificata: Secundùm illud
 Psal. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, ita & ipsa hunc di-
 em colentibus impetrat munditiã peccatorum. Sicut hoc primus
 ostendit in exemplo, undè legitur quòd Canonicus in pago gallico
 cum uxore cujusdam adulteratus est, qui ad oppidum suum redire
 volens, secanam transire debuit: ubi Solus navim ingressus est, &
 rum statim horas gloriosæ Virginis canere incepit, cumque in medijs
 fluctibus invicatorium Ave MARIA diceret: subito turba dæmonum
 navim subvertit, & animam ejus ad tormenta deduxit; die autem
 tertiã Virgo MARIA dæmonibus apparuit & eis dixit ut quid mei fa-
 miliaris animam injustè affligitis? ad quam Dæmones, eam debemus
 habere: quia capta est in nostro opere: & MARIA: si inquit illius de-
 bet

bet esse cuius opera faciebat, ergo mea est, quoniam matutinas meas, cum eum prævenisset, decantabat: quibus dictis, dæmonibus hinc inde fugientibus, beatissima Virgo peccatum absterfit pro quo æternaliter damnatus fuisset, & ad corpus animam detulit, & ipsum de profundo fluminis in quo mersus fuit eduxit, qui statim ejus pedibus prostratus dixit: ô Virgo piissima quid pro tantis beneficiis retribuam? ad quem illa: precor te, inquit, ne amplius in reatum adulterii cadas, & conceptionis meæ diem sexto idus Decembris jugiter celebres & ad celebrandum denuncies. Quo dicto ipso vidente ad cœlum ascendit; ille autem vitam eremiticam ducens quid sibi acciderit, cunctis audientibus enarravit, & quamdiu vixit hunc diem celebravit, & ad celebrandum aliis prædicavit. Hic nota quid sit hanc diem celebrare, non quod homo solum à servilibus sive manualibus operibus cesset, sed à peccatis absteineat, & cum singulari reverentiâ & devotione hac die Virginem benedictam laudare & invocare studeat, ideo festivantibus hunc diem Beata Virgo procurat solutionem vinculorum impediendum suam salutem, sive sint vincula quibus ligatus est cum Diabolo, sive cum carne, sive cum mundo. Et hoc tangitur ibi: nervum solvit vetustæ originis, id est, vincula peccatorum, quibus homo à Diabolo ligatus est, &c. Diabolus enim facit sicut aranea, quæ componit rete ad capiendum muscas, sic ipse cum reti peccatorum scilicet superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, &c. capit heu! totum mundum, quia omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis aut oculorum, aut superbia vitæ. 1. Joan. 2. Si quis igitur servierit Virgini benedictæ, ab his nexibus eum absolvit, sic solvit quâdam adolescentem à nexu matrimonii in quo sunt variæ sollicitudines & tribulationes secundum Apostolum 1. Corin. 7. unde legitur quod tempore Caroli magni Regis Francorum quidam Clericus, Hungariæ Regis Germanus Bearam Virginem diligens, cum parentum consilio nubere volens, quâdam die nuptiali benedictione accepta, cum recordaretur quod horas beatæ Virginis juxta morem solitum non cantasset, sponsam Domum cum cæteris mittens, ipse solus in Ecclesia permansit, cum illam antiphonam: pulchra es & decora filia hierusalem, diceret, subito Beata Virgo Dei genitrix apparuit dicens: si ego sum pulchra & decora, quid est ergo quod me dimittis & aliam sponsam accipis? cui ille, ô Domina quid vis ut faciam? si sponsam tuam carnalem amore mei dimiseris, & Conceptionis meæ diem, sexto idus Decembris celebraveris, me in cœlesti regno sponsam habebis, & cum Unigenito meo

cum gloria laureatus eris, quibus auditis clericus ad quandam Abbariam extra patriam pergens, monachi habitu decoratus est, & post modicum tempus Episcopus Aquilegiensis factus est, festum Conceptionis quamdiu vixit celebravit, & celebrandum cunctis in sua dioecesi constanter prædicavit. Tertio celebrantibus hunc diem dat causam gaudiorum, & in tribulatione consolationem. Rectè sicut ipsa ab omni originali peccato præservata occasionem accepit gaudii, sic illis, qui hoc festum hodie recolunt, subvenit in omnibus necessitatibus pellendo mœstitiã & dando lætitiã, & hoc tangitur in themate cum dicitur: mœstis reddit lætitiã, & præcipuè morte imminente, ubi major est mœstitiã. Ideo dicit Haymo super Apoca. ô quam gaudens est ejus obitus, qui **MARIÆ** dum viveret sedulus fuit & devotus, refert enim Ansel. Cantuariens. Episcopus de Abbate Elfino Miraculum propter quod festum conceptionis erat institutum, in quo patet quantum gaudium **MARIA** contulit dicto Abbati, & secum existentibus in periculis maris positis: vide in Legenda aliud exemplum, quomodo **MARIA** succurrit mulieribus imprægnatis, in timore positis & tribulatione, refert Drosius in Epist. ad Heliodorum, dans intelligere quod mulieres devotè festum hoc recolentes securæ sunt, quod non proereabunt abortivum, quia fœtus in utero eorum custoditur, taliter scribens. Coram Deo novi & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur super quam devotè **MARIÆ** gratia imploratur, & dies ejus Conceptionis celebratur, patet illud ex ratione, quia sicut Virgo **MARIA** in utero Matris suæ est non solum in naturalibus illæsa custodita, sed etiam gratuitis insignita. Sic omnibus mulieribus hoc festum dignè & devotè celebrantibus fœtus conservat penitus illæsos, & impios ne periclitentur custodit, legitur enim in Miraculis Beatæ Virginis, quod vir quidam ad limina Sanctorum navigare voluit, mulier autem ejus Virgini **MARIÆ** devota, licèt gravida, pariter cum eo navigare voluit, viro ejus annuente, cum autem navigarent, venerunt dies pariendi, periclitante autem muliere sæviente tempestate, ne omnes submergerentur, deposita est extra navem super tabulam, quæ implorans Virginem **MARIAM** pro juvamine, promittens si evaderet hoc periculum magis devotè, quam unquam celebrasset, ejus Conceptionem celebrare vellet, quæ eam liberavit, & ad littus perducens officium obstetricis adimplevit, quæ postmodum hoc prodigium quibus potuit dixit: & sic habemus quomodo **MARIA** succurrit Tribulato ab extra, sicut Abbati Elfino, & tribulatis ab intra, ut imprægnatis,

natis, ex quibus habetur quantum placet Virgini gloriosæ, si quis devotè celebrat festum conceptionis suæ: succurrit etiam tribulatis & mœstis in extremis sive in morte dæmonibus persequentibus & impugnantibus, & hoc patet per exemplum: quidam Monachus servivit Deo & Beatæ Virgini in Ordine triginta annis & graviter cœpit infirmari, cumque jam vellet expirare, venit ad eum multitudo Dæmonum quærentes animam ejus, quod cum vidisset cœpit clamare: vè mihi quòd unquam natus sum, vè mihi quòd unquam Ordinem intravi, melius mihi fuisset esse ranam! fratres autem audientes clamorem coram eo orantes convenerunt, ad quem accedens senior suus dixit: ô pater, quare ista dicitis cum fueritis semper bonus homo? dicite ergo post hæc verba: MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, quòd cum dixisset & modicum jacuisset cœpit dicere: benè mihi quòd unquam natus fui, benè mihi quòd unquam ordinem intravi. Fratres autem audientes tam subitam mutationem, cœperunt quærere quid hoc esset, quod tanta verba blasphemix clamasset, respondit ideo clamavi, quia Dæmones infirmi venerunt volentes animam meam rapere, sed cum dixissem orationem prædictam, & refugium habuissem ad MARIAM, statim venit ad me mater misericordiæ, ad ejus adventum omnis recessit multitudo dæmonum, & sic modo me ad convivium suum invitavit, & sic Spiritum emisit, & ab hostibus suis Salvatus est. Et hic cadit dubium ex quo dictum est, quòd Beata Virgo fuerit præservata ab originali peccato & sic in eo non concepta, potestne hoc ostendi aliquibus rationibus & exemplis? Respondetur breviter quod sic, unde Virginitatem MARIAM non fuisse conceptam in originali peccato ostendi post triplicem viam, videlicet, auctoritate, ratione & exemplo. Primo auctoritate canonis Bibliæ cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea &c.* Si enim Virgo MARIA fuisset ab originali peccato purgata, tunc aliquando fuisset in ea macula, quod reclamât Spiritus Sanctus ibi. Item Proverb. 8. dicit de Beata Virgine: *Necdum eram abyssi, & ego jam concepta eram,* scilicet in ordinatione divinâ: si ergo ab æterno Deus præordinavit ipsam Virg. MARIAM in Dei Matrem, dignum est, ut talem præordinaverit & elegerit, cui unquam nulla Mater in puritate similis fuit, certum est autem Evam Matrem nostram in statu innocentix fuisse absque omni peccato originali & macula &c. Secundo illud ostenditur auctoritate Ecclesiæ, cui non licet contradicere, videlicet, concilii Basiliensis, in quo determinatum est, Beatam Virginitatem sine origi-

nali peccato conceptam Anno Dom. M. CCCC. XXXIX. Ubi dicitur quod nulli de cœtero liceat contrarium prædicare aut docere, ita etiam tenet tota Univerſitas Pariſienſis & hæreſim reputaret contrarium aſſerere &c. Tertio illud oſtendi poteſt auctoritatibus Sanctorum, & Primo Aug. in de natura & gratiâ: Excepta Virgine MARIA, cum de peccatis agitur, de qua propter honorem Domini nullam proſus volo habere quæſtionem: & ſubjungit: hæc ergo Virgine excepta ſi omnes ſanctos & ſanctas cum hic viverent congregare poſſemus & interrogare utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus, niſi quod dicitur 1. Joan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Secunda auctoritas eſt Anſelmi de conceptu B. Virginis, qui contra illos, qui MARIAM dicunt conceptam in originali peccato, ſic ait Inſane fuit & impotens Dei ſapientia ut ſibi ex omni parte habitaculum condere remota omni labe non potuit? Et qui Angelis peccantibus aliquos à peccato ſervavit immunes, & foeminam, etiam Matrem ſuam futuram, ab aliorum peccatis expertè ſervare non potuit? quali diceret, utique potuit. Et ſubdit: ſtatuit eam reginam & Dominatricem fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam aliis factam in conſortium acceptam credimus hominum perfectorum? quali diceret nullo modo: quia ſi eſt Regina Angelorum, qui nunquam aliquâ peccati maculâ deformati fuerunt: cur ipſam fateamur originali peccato inquinatam? ſubjungit: exiſtimet hoc qui vult, argumentis hoc probet ſuis, qui vult, his quæ dicamus adverſetur, ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius & excellentius Domine meæ poſſe dici, quæ dixi dico, quæ ſcripſi non omitto. Et ad hoc probandum dicit Anſel. ibidem: decuit ut Virgo Beata tali puritate niteret, quâ major ſub Deo nequit intelligi, ſed certum eſt quoddam hanc puritatem eſſe poſſibilem ſub Deo intelligimus, videlicet, eſſe hominem ſine peccato originali & actuali, quia talem habuerunt Adam & Eva. in ſtatu innocentie, igitur, &c. ad hanc auctoritatem Anſelmi dicit Scotus ſuper tertio diſt. 3. ſi decuit & Deus potuit, quare non feciſſet, ut ab omni macula peccati eam præſervaffet? hujus etiam ſententie eſt Thomas in ſcripto primi ſententiarum diſt. 44 ar. 3. in ſolutione tertie rationis, ubi reſpondet ad prædictam auctoritatem Anſel. dicens: puritas intenditur per reſeſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid cauſatum inveniri, quo nihil purius eſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit,

tamen sub Deo, in quantum in ea fuit potentia ad peccandum, quæ peccare potuit. Hæc Tho. ubi est tamen verum, quia talis potentia ad peccandum etiam ablata fuit in conceptione filii sui, in qua in bono confirmata fuit, ut de cætero in peccatum mortale & veniale flecti non posset. Secundo potest ostendi per rationes Beatam Virg. non esse in peccato originali conceptam, & primò sic: ex quo per **MARIA** Virginem lapsus Evæ tanquam per mediatricem aliquo modo reparari debuit, & Eva fuit creata sine peccato & cecidit in peccatum, decuit ut Virgo **MARIA** etiam sine peccato conciperetur, licet contraxerit pœnalitates corporis, sicut & Christus Dominus. Secundo sic; **MARIA** ex singulari privilegio habuit, quòd non cum dolore peperit, cum tamen in textu Gen. 3. Non excludatur à maledictione quæ dicta est Evæ & omnibus mulieribus sequentibus, cum dicitur: *In Dolo-
re paries filios tuos, & sub viri potestate eris*, ergo à simili **MARIA** ex privilegio præservata est ab omni peccato originali & actuali, licet secundum cursum naturæ post peccatum primorum parentum: juxta verbum Apostoli ad Rom. 5. *Per unum hominem in omnes peccatum intra-
vit & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt*, ad Eph. 3. *Omnes eramus naturâ filii iræ* & dicit notanter, naturâ scilicet corruptâ, quasi diceret ex privilegio & gratiâ singulari Deus hoc potest impedire, sicut factum est in Virgine **MARIA**; hujus sententiæ est Alexander de Ales super Cant. Richard. de S. Victore, Hugo, Tho. de Argentina, Petrus de Candia; nam Deus potuit Matrem suam à peccato originali præservare, similiter & decuit ratione Matris & Filii. Probationem hujus vide sermone 12. in thesauro novo de sanctis; Tertio potest ostendi per exempla **MARIA** Virginem non esse conceptam in peccato originali, primum de Abbate Elino ut patet in legenda. Secundum exemplum refert Magister Henricus de Hassia de hoc festo de quodam Baecalaureo formato qui Cracoviæ prædicavit contra conceptionem Virginis **MARIÆ**, & sic corruit in terram & expiravit. Tertium de quodam Hebhardo de piscariis, qui etiam contra conceptionem Beatæ Virginis prædicavit, & ideò in missa Sacramentum perdidit, cui apparuit Virgo benedicta dicens, quare carnem de me sumptam sumere præsumis, & voluntarie me maculasti tuis labiis? Quartum de quodam qui in civitate Lemonicensî tenuit opinionem istam, cum missam celebraret, Lupus omnibus videntibus de sylva venit & eum strangulavit. Quintum scribit Vincenrius in speculo historiali lib. 8. cap. cxx. De Hildephonso Episcopo Toletano quòd **B. V. MARIA** sibi


diderit albam quod celebraret festum conceptionis ejus. Et sequenti cap. dicit MARIAM Virginem non esse conceptam in originali peccato ex dictis supradicti Episcopi, cum tamen ipse Vincentius fuerit de ordine Prædicatorum, qui valdè adversantur huic sententiæ dicentes, MARIAM esse in originali peccato & conceptam & purgatam statim ab originali per sanctificationem in utero, ergo &c. sextum est revelatio S. Brigittæ: in qua habetur quod Beata Virgo sibi revelaverit, quod fuerit sine originali peccato concepta, dicente illâ: Sicut alicui volenti jejuna qui desiderium comedendi haberet, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à superiori cui obediendum esset, quod per obedientiam comederet, ista comestio majori remuneratione digna esset quam jejunium, sic per talem modum conjunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta sum sine originali peccato. Quia sicut Filius meus & ego nunquam peccavimus, ita nullum conjugium fuit quod honestius esset, quàm illud, de quo processit, & quando pater & mater convenerunt matrimonialiter plus fecit hæc obedientia quàm carnalis voluptas, quia alii conjuges conveniunt ex voluptate carnali; mei verò parentes ex obedientiâ & præcepto, sed scito quòd mea conceptio non fuit omnibus nota quia placuit Deo quòd amici sui piè dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum donec veritas claresceret in tempore ordinato. Hæc Brigitta. Sic ergò patet triplici via esse ostensum MARIAM Virginem non esse in originali peccato conceptam, videlicet, auctoritate, ratione & exemplis. Vide de hoc pulcherrimum tractatum Dominici Bollani ad Ducem Venetorum, qui hoc probat validissimis rationibus, & argumenta adversariorum pulchrè solvit &c. hic cadit dubium quare Ecclesia agit festum de conceptione B. Virginis & non de aliquo alio sancto, cum tamén omnis homo concipiatur in peccato originali, ideo potius deberet agi festum sanctificationis quam conceptionis. Solutio: Ecclesia facit hoc ob tres rationes: prima, quia fuit congruenter impetrata. Secunda, quia fuit sublimiter sanctificata. Tertia quia fuit firmiter benè operata: quantum ad primum nota quòd cum Anna & Joachim non haberent filios: quia steriles & per multos annos transissent sine prole, orationibus, jejniis, & elemosinis insistebant, ut à Deo impetrarent prolem. Non diffidentes de liberalitate Dei, quia quod natura non valet, gratia supplet, votum etiâ fecerunt offerendi prolem Deo in templo, dividebant quoque suos redditus, ut legitur, in tres partes, unam scilicet templo, aliam pauperibus,

peribus, tertiam sibi & familiæ concedentes, & per hujusmodi continuata impetrarunt fecunditatem, ubi ostenditur exemplo hoc non displicere Deo, dummodo fiant sine superstitionibus & cum conditione, si saluti suæ expediat: apparuit ergò Angelus eis & pronuntiavit, quòd fuit sublimer sanctificata, probatur per Petrum de Faranta tertii; dist. 3. quia quando quis magis accedit ad sancta sanctorum, tanto magis debet habere majorem sanctificationis gradum, non enim est accessus ad Deum nisi per sanctificationem: MARIA Virgo Mater Christi plus omnibus accedit ad Filium, qui est Sanctus Sanctorum; ergò debuit gradum sanctificationis habere majorem post Filium.

Et ad hoc intelligendum nota tres fore sanctificationes prima est communis, quæ fit per Sacramentum baptismi, & hæc removet culpam & confert gratiam, relinquit tamen fomitem & pronitatem ad peccandum, & talis sanctificatio est in omnibus baptizatis extra uterum. Secunda est specialis in utero, sed non statim dum puer concipitur, sed postea, & hæc est duplex, una cum puer egreditur ex utero Matris, & hæc fuit Hieremyæ, juxta illud: *Antequam exires de vulvâ sanctificavit te.* Secunda est quando proles est adhuc in utero tota, ut Joannes Baptista, qui in sexto mense fuit sanctificatus, quando scilicet Virgo MARIA concepto Dei Filio Salutavit Elisabeth, & hæc sanctificatio removet culpam & pronitatem peccandi mortaliter, nam Hieremyas & Joannes Baptista post hujusmodi sanctificationem in utero, licet raro peccaverunt venialiter, nunquam tamen mortaliter, ut dicunt Doctores in tertio dist. 3. Tertia est specialissima scilicet in puncto creationis & infusionis animæ. Talis fuit sanctificatio Beatæ Virginis in ejus conceptione, formato enim corpore Virginis ex Anna & Joachim concepto non ex Spiritu Sancto, quia hoc est Solius Christi, & creata anima Virginis à Deo est infusa, mox & pro eodem instanti sanctificata fuit, ex quo sequitur quod Beata MARIA pro nullo instanti temporis fuit peccato originali obnoxia, nec in tali concepta, sed ab eodem specialissimè præservata, quod probatum est suprâ triplici via, scilicet auctoritate, exemplo, & ratione, quare merito celebrat Ecclesia festum conceptionis MARIE & non alterius sancti, ideo dicit Hildephonus Toletanus Episcopus: Beata Virgo MARIA nisi in utero sanctificata esset, minimè ejus cõceptio colenda esset, nunc autem quia auctoritate totius Ecclesiæ veneratur constat eam a peccato originali immunem fuisse, per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est, verùm & benedictio donata est: ex quibus possumus

sumus colligere quod Beatæ Virgini in puritate nulla creatura pura comparari potest; oportet ergo privilegium sanctificationis suæ omnem sanctificationem aliorum excedere, nam hæc sanctificatio sua in utero facta est per gratiam singularem totius Trinitatis, etiam præservavit eam ab originali culpa, & removit pronitatem ad peccandum tam mortaliter quàm venialiter, quæ non fuit in alio sancto homine, & sic etiam patet ratio tertia, nam dieo quod firmiter operata est bonum & continenter, quia nullum unquam peccatum commisit: nec etiam veniale, non sic fuit in aliis ab utero sanctificatis, nam omnes venialiter peccaverunt: idèd meritò celebrat festum conceptionis ejus & non aliorum Sanctorum &c.





SERMO ALTER
DE IMMACULATA
VIRGINIS CONCEPTIONE



Sapientia edificavit sibi domum. Prov. 19. Utrum hæc domus salutis, beatissimæ videlicet Virginis MARIE Dei sapientiæ edificata fuit in domo contagionis, sordibus originalis criminis deturpata. Pro isto breviter per ordinem videbitur quid sit originale peccatum & quomodo dicitur culpa. Secundò, qualiter contrahitur. 3. Qualiter dimittitur. 4. Ad quæstionem seu considerationem respondebitur. Pro primo est advertendum quod quidem originalem justitiam accepit quilibet de posteritate Adæ in ipso Adam, quàm licet quilibet suo actu non amisit, sed per actum primi parentis remanet tamen debitor. Et ideo quando nascitur habet debitum habendi originalem justitiam, quam quia pro tunc non habet verè peccator dicitur, sicut patet in peccato actuali, ubi transit actus & remanet privatio à rectitudine justitiæ, ratione cujus formaliter dicitur peccator, verbi gratia; Si quis pro nobis omnibus susceperet unum denarium, quem si perderet, omnes essemus illo denario privati, & tum homo quilibet nostrum teneretur ad ejus restitutionem, & ex hoc patet: Quod peccatum originale est carentia justitiæ originalis debite, quæ in primo parente accepta ex ipsius crimine deperdita, cui correspondet obligatio ad penam damni dumtaxat, proveniens ex præmissâ criminis transgressionem. Itud quid nominis peccati originalis sumitur ab Anselmo in de Conceptu Virginali; ex quo patet quod peccatum originale non

habet causam propriam effectivam patet, cum sit privatio quamvis fuit à primis parentibus defectivè, ex quo ipsi perdidit originalem justitiam sublecura est in posteros privatio & nuditas originalis justitiæ. Sed qualiter peccatum originale contrahitur, licet diversi diversimode dicant, possumus tamen istum contractum contrahere per modum irregularitatis in bigamo vel in spurio; ita quod peccatum originale sit quædam irregularitas ne quis habens ipsam promoveatur ad ordinem Angelorum; Unde sicut Papa, qui est summus Princeps in Hierachia Ecclesiastica instituit, quod quicumque corruptam quantamcunque notabilem sive viduam in conjugem acceperit, contrahat irregularitatis notam, ne ad sacros ordines promoveatur: Ita Deus instituit quod quicumque nascitur de Adam per feminis propagationem contrahat peccatum originale, sic quod talis sit justitiæ originalis pravitatis ac per hoc ad pœnam damni tantummodo obligatus, prout filii servorum quam cito nascuntur servi sunt vocati. De tertio, scilicet qualiter peccatum originale dimittitur, dicitur ibi quod peccatum originale dimittitur a Sola largiflua miseratione Divinitatis, quia offensa Deo facta dimittitur etiam per gratiæ gratum facientis infusionem, tam in justificatione quam in baptismi susceptione, vera cordis contritione & Martyrii Professione; Ex quo patet quod pro quacunque mensura inest animæ intellectivæ gratia gratum faciens pro eadem existit anima sine peccato originali. Sed de quarto, istis præmissis ad honorem beatissimæ Mariæ Virginis & exaltationem, talis ponitur prima propositio: Dei omnipotentia potuit animam Beatissimæ Virg. ab originali macula præservare. Probatur sic; quia Deus instituit quod omnes ab Adam nascentes naturali propagatione contrahant peccatum originale, modò constat quod de sua omnipotentia respectu Matris potuit illam legem immutare, hoc confirmatur per legem, quærendo an princeps subiciatur legi quam condidit? Respondet lex quod non, nec uxor, nec filii, &c. prout patet de Augusto: sic est in proposito: Item Deus in Primò instanti creationis animæ Beatissimæ Virginis potuit sibi infundere gratiam gratum facientem, ergo & potuit eam tunc facere sine peccato originali, consequentia liquet ex dictis. Secunda propositio, decentissimum extitit & maximè consonum rationi, Virginem Beatam fuisse ab omni originali macula specialissimè præservatam. Et licet sint multæ rationes pro ista propositione, tamen inter cæteras ista potest adduci: Si Deus Matrem suam permisisset incurriere peccatum originale, pejus sibi fecisset

cisset quam si eam perpetua pœnâ sentus punivisset, unde & Beata Virgo in puris naturalibus constituta prius pœnam æternam elegisset quam peccatum originale. Probatio: nam magis debet quis fugere odium Dei quam pœnam æternam, sed peccatum originale est Deo odiosum, ergo &c. Sed quæret quis de modo quo Christi Mater præelecta fuit præservata, licet autem super hoc diversi modi assignentur eligo tantum ad præsens duos modos, quorum unus est quod ipsa præservata fuit per privilegii specialem concessionem, ita quod hoc privilegium fuit concessum parentibus Beatæ Virginis quod possent generare prolem, in quam non caderet decretum generale: sicut cum dicimus quod Dominus concedit servis suis quod primogeniti ipsorum gaudeant privilegio libertatis, & tunc cum talis nascitur sine obligatione ad servitutem nascitur. Secundò dicitur quod fuit per singularem dispensationem in Virginem primò instanti suæ conceptionis, dispensavit enim Deus ne Virgo in instanti suæ conceptionis caderet sub Evæ infelicitatis Eulogio, ut videlicet non nasceretur in peccato originali, sicut si Papa dispensaret cum aliquo concepto in adulterio ne nasceretur irregularis. Ex quibus patet quod non sufficit solum demeritum primi parentis ad hoc quod concupiscentialiter ab ipso descendens contrahat peccatum originale, sed requiritur divinum decretum imputans liberæ posteritati ad tale peccatum, ita ad propositum licet Beata Virgo quantum fuisset ex parte parentum contraxisset originale peccatum, nisi alia causa defuisset, videlicet decretum Dei imputans id sibi: & ideo concludo quod nunquam Christi genitrix & Mater mersa fuit sub originalis peccati & scelerum undâ, quia præservata fuit cœli Regina ab omni peccati labe & scelerum ruina: Istud autem dicere non est contra auctoritatem Sacræ Scripturæ & Canonis, nec est contra auctoritatem Sanctæ Matris Ecclesiæ, nec contra dicta Sanctorum, ut est id Apostoli ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Item Psalm. *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, & non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Item Ecclesiastici 7. *Virum ex omnibus unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni,* sunt & alia multa similia, si sint etiam aliquæ auctoritates eanonis, quæ sonare videantur quod Virgo fuerit originali peccato maculata magis concludunt de jure communi & non de facto ac speciali gratia & præservatione ac privilegio, undè habetur una Regula quod privilegia non cadunt sub edicto legis, similiter etiam habetur quomodo de

lege communi omnibus ad vitam similis est introitus & exitus, sed Enoch & Helias non similiter exierunt quia non per mortem sed per translationem, ergo &c. Sed diceret aliquis, si ergo Virgo Beata non fuit peccato originali maculata, cur igitur à morte, fame, siti, frigore & à his pœnis peccati originalis non fuit excepta? Respondetur quod potest una gratia dari sine alia, potuit ergo Virgo præservari à culpa, quamvis non à pœna, & hoc propter conformitatem ejus cum Filio qui has pœnas voluntariè assumpsit. Sed adhuc diceret aliquis, si ergo domus ista virginea non fuit sordibus peccati maculata, à quo igitur juxta Scripturam est redempta, à quo purgata & à quo justificata? Ad primum dico quod Virgo Beata ab originali & actuali, mortali & veniali fuit præservativè & sic perfectissimè redempta, licet non sublevativè, & ab hoc potest tale exemplum induci. Nam si pater & Mater sint servi alicujus Domini & fœtus eorumdem servus erit ejusdem Domini, sed talis fœtus potest antequam nascatur à Domino suo per aliquem redimi, ergo postquam natus fuerit erit liber, sed nobilius antequam redimitur quam postquam servitutem contraxit, ergo &c. Ita Medicus præservans aliquem de infirmitate in quam natus est cadere, dicitur illum liberare, qua de re Propheta dicit, *Erupsi animam meam ex inferno inferiori*, tamen non fuit in inferno. Ad secundum dico quod Virgo fuit purgata è peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset nisi præservata fuisset. Ad tertium dico, quod non obstante quod domus hæc virginea non fuit maculata, non minus tamen fuit sanctificata; quia sanctificatio non præsupponit maculam, sicut patet de Domino nostro qui verè sanctificatur Math. 6. ubi dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*. Item justus in sua justitia Sanctificatur. Fuit igitur Virgo sanctificata, non quod de non sancta facta sit sancta, sed per collationem gratiæ & confirmationem, ac per gloriæ remunerationem, Item ex alio, cum in salutatione angelica dicitur Benedicta, tangitur præclare Virginis dignissimè Dei matris Privilegium sanctitatis sub alio titulo bonitatis, hoc clarè patuit in ejus ab utero sanctificatione & in somitis originalis ab eâ repressione. Quoad primum liquet quod ipsam Virginem ita prævenit gratia sanctificans ut quamvis lege communi generaretur obnoxia peccato originali juxta causas universales generationis ab Adam traductæ, nihilominus ipsa Virgo Beatissima singulariter privilegiata sic præventa est, ut nequaquam illud originale contraheret, quoniam hoc Deus & potuit & decuit fieri, ut perfectissimus Salvator ejus Filius perfectissimus in matre sua

modum

modum Salvationis impenderet, unde Anselmus de gloriosa ipsius Virginis conceptione, Palatium Imperatoris delicatis usibus construendum vitat fundamentum lutulentum & invalidum, sed forti, nobili, firmo fundamento totum supernitur regale ædificium. Sed sapientia Dei ante omnia sæcula MARIAM proposuit sibi in habitaculum construere, si ergo aliquâ alicujus peccati maculâ ejus conceptio corrupta fuit, tunc fundamentum habitaculi Dei structuræ superstructæ nec congruebat, nec sufficiebat, nec contrahebat, sed distrahebat. Item idem ibidem, videor etiam videre quod si quid originalis poenæ in propagatione Matris Dei exitit, propagantium parentum non propagatæ prolis fuit, cum enim Deus castaneæ nuci confert ut infra testam spinosam & hispidam ac densissimis aculeis circumseptam castanea interius ad modum lactis concipitur & nutritur, formatur, maturatur & salubris egreditur, nonne dari potuit humano corpori quod ipse sibi templum in quo corporaliter inhabitaret, & de quo in unitate personæ sive perfectus homo fieret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis exsors funditus redderetur? Potuit planè: si igitur voluit, fecit, & si decuit, voluit; voluit enim hanc Virginem matrem suam fieri, & ideo factum est quod utique omnium dignissimum est, quæ extra personam Dei facta sunt: igitur quod huic digno operi decenter antecederet voluit, quia decuit. hæc Anselmus, item Origenes de morte magni Regis pertractans illud Canticorum, *Quo abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum?* ô omnes Virgines & cæteræ sanctæ ac mundæ mulieres convenire vos volo à sinistris & MARIAM matrem Domini mei Virginem hebræam à dextris meis constituo, omnes vos maculam habetis originalis culpæ desuper conspersam per totum, sed non MARIA &c. Item idem ibidem, ô MARIA Virgo pura & sancta carens originali, decoraque sanctior carens peccato actuali, pulcherrimaque sanctissima, carens quocunque veniali. hæc ille, & quamvis longus Sermo posset fieri si cuncta prosequi vellem de hac sanctificationis MARIÆ materia, adhuc præter ea quæ dicta sunt supra, eligo mihi religiosum ac morale documentum piè & crebrò prædicandum; constat itaque Deum MARIAM Salvationis suæ non ita legibus communibus traditionis Christianæ, nec ita Sacramento impossibilitatis alligasse, quin absque præjudicio legis ejusdem possit pueros nondum natos extra uterum intraque sanctificare gratiæ suæ baptismo vel virtute. Et ideo mulieres prægnantes similiter & viri sui debent per se & per

alios diligenter Deo fundere preces ad sanctos Angelos custodes hominum & puerorum in utero, debent insuper ad ceteros sanctos sanctasq; omnes confugere, quatenus infans nondum natus, si fortè moriturus est priusquam per baptismi fluminis ad gratiam pervenire valeat ipsum dignetur Dominus Iesus summus Pontifex baptismi spiritus sui præveniendò misericorditer consecrare. Quis enim scit imò quis devotus non sperare valeat quòd orationem humilium & in se speratum nequaquam Deus despiciet? proficit enim hæc consideratio ad excitationem devotionis in parentibus, proficitque ad levandum eorum angustiam, dum sine baptismi fluminis decedit puer, quia non omninò inde ablata est spes salutis, sed neque abique revelatione datur, fateor, certitudo. Quoad secundum scilicet De fomitis originalis ab ipsa repressioe, clarum est quamvis ex supradictis satis habeatur quod in vitiosam nunquam fuit exarscens concupiscentiam; Nam secundum B. Hieronymum nec ex conjuncta vel associatione viri sui Josephi iusti, nullam eam carnis titillatio, nullus pruritus, nulla illecebra præveniens rationem, vel sibi inobediens vexabat eam, alioquin peccasset saltem venialiter, quòd Augustinus & omnes negant Doctores, quia gratiæ plenitudinem habuit ad vincendum ex omni parte peccatum, plusquam Adam ex originali iustitia; Ex quibus omnibus infero, quòd in hac domo increatæ Sapientiæ Dei Filii fuerit nitor eximie pulchritudinis, omnem excludens maculam fœditatis, quàm conclusionem sine præiudicio determinationis sanctæ Matris Ecclesiæ si quòd fieret in futurum de præsentis conceptionis materia sola devotione firmiter credo, & simpliciter fateor, & ad sic piè credendum devotum quemque ipsi Virgini sanctissimæ exhortor, eum Virgini Reginæ cœlestiam nobiliter natæ super choros Angelorum exaltatæ dicat sponsus in canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, pulchra quidem facie, pulchra corpore, pulchra spiritu, pulchra virtute, pulchra virginitate, pulchra castitate, tota pulchra intus & extra, tota decora, tota felix, tota cœlestis domus Dei purissima ac Mater electissima, fecunditate mirabilissima, moribus honestissima & gratiis plenissima, huius gratiæ in præsentis & gloriæ in futuro nos participes efficiat Iesus Christus ex ea natus super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Item quæ sequuntur de eadem Virgini conceptione tradita sunt à solemni Doctore in Theologia, qui tempore suo Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis nomine Magister Zon de Gersono, qui ut à notis ferebatur

batur hanc sæculi viam nequam & lubricam impolluto calle castus pertransiit, habens laudabili ex more quotidie celebrare cessante legitimo impedimento.

De Sancta MARIA semper Virgine & Dei genitrice benedicta fuit necessitas originale peccatum contrahendi, sed contra causas inferiores secundum legem propagationis ex conjunctione viri cum femina: lex autem superior præjudicavit huic necessitati præveniendo eam per præsertionem & gratiam; Sic dixit in alio loco & in alio casu Beatus Thomas de occurrentibus tempore iudicii Christo obvium in aëra, quod si præveniantur hoc non est secundum causas inferiores quibus habebant necessitatem moriendi, nec est contra Apostolum dicentem, *Statutum est hominibus semel mori, denuum iudicium*, quia privilegium superioris hoc suspendit. Hæc dicit Dominus Cancellarius Doctor famosissimus tractans sanctos Sermones super Cantico dicto à gloriosissima Virgine MARIA, scilicet *Magnificat anima mea Dominum.*

DEO GRATIAS.

SERMO ALTER.

Soror nostra parva est, & ubera non habet. Cant. 8. Dilectissimi Patres hodie, sicut nostis, diem illum toti mundo merito venerabilem colimus, quo futura Dei genitrix materno concepta utero tanquam aurora solem sui benedictissimi filii veri scilicet solis justitiæ præveniens ortum, mundo huic oriri cœpit. Quia juxta Ezechielis vaticinium: *orta est de radice Jesse*, massa scilicet carnis nostræ, ideo rectè Soror nostra dicitur: quia verò non ut Adam aut Eva perfectæ quantitatis & staturæ à Deo immediatè facta, sed communi nascentium lege de viro & femina concepta est, idè est cum eisdem concepta scilicet de viro & femina, in hoc ipso suæ conceptionis die corporalis magnitudinis mole rectè parva dicitur. *Ubera non habet*, quia ista femineæ sexus insignia ipsi sexui à nativitate non insunt, sed accrescunt secundum accessum ad tempus aptum pro generanda prole. Ex quibus patet quàm, si literam exurimus, Soror nostra parva est & ubera non habet. In quibus verbis, ut dimissa litera, scrutemur quid intrinsecus latet, breviter duo tanguntur. Primò tangitur Beatæ Virginis So-

roris nostræ profunda humilitas, ibi Soror nostra parva est, unde & primo Regum 7. Dominus per Samuelem loquens ait ad Saul: *cum esses parvus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es*, glossa: parvus, id est, humilis: ita in proposito per hoc quod Soror nostra parva dicitur humilitas ejus designatur. Secundò tangitur ejus immunitas ab originali delicto, ibi: *Et ubera non habet*, ubera enim, ut dixi, fœmineo sexui accrescunt secundum accessum ad tempus aptum generationi & maximè concepta jam prole; in quo quidem tempore quia incitativum peccati quod ex transgressione primi parentis in nos inducitur maximè solet spiritui resistere, ideò in ipsius uberibus quæ cum dicto tempore veniunt etiam dictum incitativum peccati intrinsicè provenit, & ergo in hoc, quòd Beata Virgo uberibus carere dicitur, ab originali delicto immunis & aliena designatur. Ut autem primùm punctum pro præsentis dimittam ad secundum diutius insistendum. Scitis dilectissimi Patres, quòd cum omnipotens Deus vellet bonum suum aliis communicare fecit in ipso exordio creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo Beata esset, & hanc rationalem creaturam, hominem scilicet, Deus in integritate naturalium suorum condidit & affluentia gratuitorum donorum plurimum adornavit, imposito eidem unico & levissimo obedientiæ præcepto, ne scilicet gustaret de fructu ligni scientiæ boni & mali; hoc unicum & levissimum Dei præceptum primus homo inductione serpentis transgressus in multiplicem incidit calamitatem & miseriam, desertus enim propter inobedientiæ peccatum à Deo fuit vulneratus in naturalibus & spoliatus in gratuitis, ita ut in eo contra sequatur jam perveritas ac carnis ad spiritum rebellio & inobedientia, quæ tam durè pressum est genus humanum, ita ut etiam ille vas electionis Paulus Apostolus coactus est dicere ad Romanos 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati*. Tamque miserabiliter in primo homine vitiosa & corrupta est humana natura, ut juxta Magistrum & Doctorem propter vitiatam radicem quædam Spiritualis lepra transfusa sit per legem generationis in omnes homines, ita ut Apostolus ad Rom. 7. dicat, *Per unius hominis delictum peccatum transiit in omnes homines*, vitiatò enim & infecto per lepram peccati primi hominis semine quod à trunco viri in agrum naturæ emittitur, caro ipsa seu embrio, quæ pro generanda prole ex dicto semine in materno utero generatur, servat

in se ex sequela culpæ fomitem & inordinatas materiales dispositiones, dumque anima à Deo creatur, & creando carni infunditur & adunatur, ab eadem maculatur & inficitur, ita ut propter contractionem hujusmodi originalis delicti homo prius efficiatur filius damnationis, quam hujus lucis; in ipso enim primo instanti, quo puer vivit in corpore, mortuus est in anima, ita ut quadam reciproca actione, ut ita loquar, statim ut anima vivificat corpus, corpus occidit animam, tamque generalis super humanum genus hæc est maledictio, ut nullus conceptus de semine eam evadere poterit aut unquam potuit, nisi quem divina bonitas speciali privilegio & dispensatione contra communis humanæ naturæ cursum voluerit præservare; Quam quidem dispensationem, quin omnipotens Deus indulgere poterit, nullus sanæ mentis dubitare valet: an verò unquam alicui homini, puta B. Virgini, de qua sola hoc piè creditur, concessa sit, hoc est in quo difficultas stat istius materiæ, scilicet: An Virgo gloriosa in originali aut sine originali Concepta sit? Quod autem sancta & immunis ab originali nata sit, Doctores una communi sententia concorditer sentiunt, arguentes hoc à minori sic; Quod Beato Joanni Baptistæ & Jeremiæ Prophetæ concessum legimus, non debuit Beatæ Virgini denegari, quia teste Damasceno à nullo illustrium vincitur Beata Virgo MARIA, sed istos legimus sanctificatos in utero, igitur Beata Virgo MARIA non debuit in peccato nasci. Sed in materia de ejus Conceptione, ubi Doctores videntur sibi mutuo contrariis sententiis repugnare. Sanctus Thomas in libro de tribus virtutibus Theologicis, & Albertus Magnus in libro de laude Beatæ Mariæ Virginis aperte affirmant, & rationibus quantum possunt deducunt Virginem gloriosam in originali Conceptam. Augustinus etiam videtur in diversis locis Virginem Mariam sub originali includere, ait enim in sermone super illud Apostoli: *quod volo hoc ago*, dicens: nemo nascitur sine originali peccato de viro & femina, propter quod Dominus non sic concipi voluit quem Virgo concepit. Beatus quoque Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses idem videtur asserere, Virginem videlicet gloriosam originali fuisse obnoxiam. Prædictis & aliis Doctoribus, quæ pro parte jam tacta, possunt adduci, Poterunt & alii famosi Doctores in contrarium allegari: primo Beatus Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus in suo libro quem de Virginitate Beatæ Mariæ scripsit, qui etiam liber adeò Beatæ Virgini placuit, ut ei librum ipsum manu tenens appareret, & ei pro tali opere gratias referret

referret, prout refert Vincentius in libro octavo speculi historialis, ubi sic ait, constat MARIAM ab ipso originali peccato fuisse immunem, per quam non solum primæ matris soluta est maledictio, verum in omnibus donata est benedictio; nullis ergo priusquam nata est delictis subiacuit, nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit. Item Ambrosius in Sermone de Gabeonitis sic ait de Virgine MARIA: hæc est Virgo, in quâ nec nodus originalis nec cortex venialis culpæ fuit. Item Richardus in Sermone: *Nondum erant abyssus &c.* Non de-
 cuit, ait, ut caro MARIÆ qualiteunque foret obnoxia culpæ, nam Dei Sapientiæ indignum credimus, ut quam ad lucem gentium præ-
 destinaverat, pravitatis tenebris sineret involvi. Prædictis & aliis di-
 vinitis, sanctis & famosis Doctoribus, quorum dicta ad vitandum prolixita-
 tem allegare præmitto in hac materia, ut apparet sibi mutuo ad-
 versantibus, ne ipsorum auctoritas ab his quæ dicam alicujus nostrum
 animum teneat in suspensio; volo si possum concordare eosdem, qua-
 tenus ipsis inter se quietis & concordatis, nos simpliciori oculo, &
 auditu attentiori veritati intendamus. Est usitatus Sacri Eloquii mo-
 dus loquendi, ut scilicet aliqua dicantur evenire, quæ quantum de se
 est, secundum radicem inferiorem evenirent, non tamen fiunt, eo
 quod Deus speciali dispensatione ab æterno ea aliter evenire ordina-
 vit. Sic Propheta hominem considerans secundum radicem inferio-
 rem dixit, *Omnis homo mendax*, cum tamen non omnis homo mentia-
 tur, quia ex se nullus homo potest dicere veritatem, & ergo qui à
 mendacio præservatur, Dei gratiâ & dispositione præservatur: Sic si-
 mul stant quod omnis homo sit mendax, & quod tamen plures ho-
 mines semper veritatem loquuntur. Item dicit Augustinus, tanta
 unusquisque commisit mala, à quantis fuit præservatus virtute divina;
 igitur homo denominatur agere, quod, quantum de se est, ageret, &
 similiter dicitur pati quod quantum de se est pateretur, nisi divina
 virtute præservaretur, Quod autem Beata Virgo sine originali con-
 cepta sit, clarum est, quod non fuit nec de patre nec de matre, sed
 tantum ex privilegio, in hoc enim differentiæ immunitas ab originali
 fuit in Conceptione Matris & Filii, quod Conceptio Filii fuit libera
 ob originali de jure, Conceptio autem Matris libera tantum ex pri-
 vilegio & dispensatione. Doctores ergo contemplantes Virginem
 gloriosam secundum radicem inferiorem dicunt eam Originale pec-
 catum contraxisse, quia quantum de se fuit, generali maledictio
 subjecta fuit, & etiam potest dici purgata à peccato quod insuisset,
 nisi

nisi privilegium præcessisset; similiter potest dici redempta, non obstante quod nunquam habuit peccatum; Nam sicut Patres antiqui virtute meriti Christi futuri, fuerunt à peccato originali contracto liberati, ita Mater Christi ex speciali Dei prærogativa virtute ejusdem meriti ab originali debebat præservari, & sic dicitur redempta secundùm intellectum prius dictum, quia quantum de se est æternam damnationem incidisset, nisi privilegio præservata fuisset. Alii Ergo Doctores piis oculis privilegium Virginis intuentes, volentes eam potius secundùm concessum ei privilegium, quam secundùm jus commune cursus humanæ naturæ judicare, habent eam ab originali peccato excusam, asserentes eam idem peccatum nunquam contraxisse. Itaque sicut primi Doctores, qui eam originale habuisse asserunt, ad legem communem humanæ naturæ, quâ omnes originali sumus obnoxii, oculos figunt, ita isti, jure dimisso, privilegium & concessam sibi dispensationem intuentur, & sic non videtur realiter, sed tantùm verbaliter contrarietas inter eosdem; Vera enim & realis contrarietas dicitur esse ad idem, & secundùm idem, nam stat benè ut diversis respectibus contraria in voce de eadem re verè nuncientur, sic & in prædicta materia inter præfatos Doctores factum est, si enim hi, qui Virginem gloriosam in originali Conceptam asserunt, de privilegio requisiti fuissent, indubitanter id admisissent, non enim valebant dubitare, quoniam Deus poterat illud Virgini concedere, & quod illud sibi concessum senserunt & agnoverunt, clarè ex hoc apparet quod iidem Doctores supradicti, qui in præallegatis locis dicunt eam originale habuisse in aliis scripturarum suarum locis ab originali eam pœnitus habent excusam. Nam sicut supra patuit S. Thomas, Augustinus & Bernardus videntur eam subdere originali, sed quòd iidem etiam asserunt eam originale non habuisse, patet; Nam S. Thomas in scripto super primum Sentent. dist. 44. Art. 2. in solutione ad 3. Articulum respondendo ad dictum Anselmi, Decuit, ut Virgo beata quam Deus Unigenito suo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, quâ sub Deo major nequit intelligi; sic ait, puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in creatis rebus, puta si nulla peccati contagione inquinatum sit. Et sequitur, & talis fuit puritas MARIÆ, quæ ab originali & actuali immunis fuit, sub Deo tamen, in quantum in ea potentia erat ad peccandum. Bernardus in Sermonè de assumptione sic ait, Caro

Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit. Etiam Beatus Augustinus in libro de natura & gratia dicit: Cum de peccatis agitur nullam volo de Beata Virgine habere quæstionem; in quo videtur innuere, quòd ipsa nunquam ulli peccato subjacuerit. Quia ergo prædicti Doctores jam eam in originali, jam sine originali peccato Conceptam testantur, oportet unum de duobus, ne sibi ipsis contradicant, quod viris tantis, ubi excusari possunt, imputari non debet; vel quod diversa in voce, diversis respectibus sine contradictione de eadem re nunciaverunt, jam scilicet legem communem humanæ naturæ, jam concessum privilegium in Beata Virgine contemplantes: Quod verò crebrius plures antiquiores Doctores videntur in scriptis suis oculum habuisse ad communem legem, quàm ad concessum privilegium, & Virginem gloriosam sub peccato conclusisse; ideo accidit, quia privilegium Beatæ Virginis nondum tunc adeo communitè & certò apud eos sciebatur, sicut modernis temporibus Spiritu sancto illuminante intellectum, & aperiante Scripturas per totam Christianitatem extat promulgatum; Nec sequitur ex hoc minoritas illorum Doctorum à Doctoribus qui postmodum fuerunt: Nam attempto dicto Domini *JESU: Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* Et iterum, *Agnum Paraclitum mittam vobis, qui docebit vos omnem veritatem.* Constat quod divinæ Veritates erant successivè pro expedientia temporis cognita Deo Ecclesiæ explicandæ: ita quod non omnia mysteria pro omnibus temporibus expediebat revelari, nec omnes simul aperiri Scripturas, ut igitur postremò præfens intentum juxta Thomæ inductionem ostendam, scilicet gloriosam Virginem *MARIAM* in sua conceptione in hoc contra communem legem nascentium de viro & fœmina à Deo privilegiatam & præservatam fuisse, ne in ipsa conjunctione animæ & corporis originali peccato macularetur; volo duabus uti viis; Primò volo hoc ostendere rationibus, quæ cuilibet Christiano in re tam pia meritò fidem facere debent. Secundò volo hoc ostendere ex natura & conditionibus rerum, quibus in sacra Scriptura sacratissima Virgo præfigurata reperietur. Quantum ad primam viam, hoc præmitto, quod non intendo loqui de conceptione Beatæ Virginis quantum ad commixtionem femininum, nec quantum ad formationem embrionis in utero, quia potest esse, & ita Beatus Bernardus manifestè ait in supra dicta Epistola ad Canonicos Lugdunenses, quòd in ejus conceptione à commixtione femininum usque ad ejus animationem omninò actum fuerit

Secundum legem originalem, quantum ad inductionem fomitis in Embrionem, & quantum ad alias materiales dispositiones, quæ sunt concupiscentiæ habituales radicatæ in carne corrupta ex peccato primorum parentum, ad quas secundum communem legem humanæ naturæ sequitur peccatum originale in anima, si eis jungatur, hujusmodi enim dispositiones materiales in carne, quamvis in sunt carni ex peccato originali, tamen non sunt peccatum originale, si enim de massa tali ante animationem fieret abortivum, clarum est quod propter hujusmodi fomitem & materiales dispositiones non adjudicaretur æternæ damnationi, & ergo propter tales materiales dispositiones contractas non oportet eam originale contraxisse, dummodo in conjunctione animæ cum corpore anima fuerit præservata, ne per corpus inficeretur, prout ostendere intendo. Similiter hujusmodi fomes peccati & concupiscentiæ habituales, quæ, ut dictum est, contractæ erant in carne potius attribuendæ sunt parentibus Beatæ Virginis, quàm carni ipsius Virginis, unde dicit Anselmus in libro de exordio humanæ salutis; Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei exitit, id propagatum, non propagatæ prolis fuit: Non dicit originale peccatum, quia revera Virgo Beata id nunquam contraxisse credenda est, sed dicit; si quid originalis peccati, quia nihil obstat prædictas habituales materiales dispositiones in carne contractas fuisse, quæ & postmodum per supervenientem gratiâ in utero à Deo sopitæ & mortificatæ fuerunt, quod nec unquam in veniale ceciderit. Intendo ergo loqui de Conceptione Beatæ Virginis quantum ad ejus animationem, ostendendo, quod nullo instanti vitæ suæ originali unquâ subjacuerit, sed quod divina virtute ab eadem fuerit præservata: puto etiam præsens festum Conceptionis Beatissimæ Virginis tali respectu, scilicet quoad conjunctionem animæ cum corpore, ab Ecclesia sancta celebrari, & non sub respectu amplexus Annæ & Joachim, nec sub respectu formationis ipsius embrionis in utero, cum enim festa non celebrantur, nisi de & pro aliquo Sancto, & prædicta usque ad animationem creduntur secundum communem cursum naturæ acta, ubi per singularem Dei dispensationem & gratiam primò accessit sanctitas, ibi per respectum mentis figuranda & dirigenda est celebritas. His præmissis potest prima ratio ad prædicta sic formari; est ratio Theologica & traditur à Beato Anselmo, ut allegat Albertus Magnus in libro de laudibus Beatæ Virginis, ad omne conveniens Deo cui Major ratio non repugnat sequitur necessariò, sed Matrem Dei in sua con-

ceptione singulari privilegio ab originali præservari, fuit conveniens Deo, cui nec major ratio repugnat, ergo necessario sequitur ita factum esse. Illius Argumenti consequentia de se nota est, & major ut dictum est, est Anselmi, minor verò quoad ambas ejus partes sic potest deduci, primò quod conveniens fuit, imò quod Deum decebat tali privilegio Virginem MARIAM honorare, potest attendi ex ratione maternitatis; Nam secundùm Augustinum ratione maternitatis caro Christi cum carne Virginis fuit una, sed caro Christi fuit ab omni peccato libera, ergo carnem Virginis conveniens fuit ab omni peccato immunem esse. Item decens est & piè præsumendum, ut qui legem de honore parentum non venerat solvere, sed adimplere, matrem propriam perfectissimè honoraverit, ergo decens fuit, ut eam ubi poterat, præservaret, ne veniret in displicentiam & odium sui patris, sed prædictam displicentiam & odium incurrisset, si quocunque etiam minimo tempore per originale peccatum fuisset filia aternæ damnationis, quia ergo Filius eam præservare poterat, decebat ut hoc faceret; Quod verò prædictæ convenientiæ & decentiæ non sit major repugnans ratio, quare scilicet prædictum privilegium non debebat Virgini fieri, ex hoc satis clarè apparet, quod sicut longà altercatio & disputatio Doctorum in Ecclesia docuit, & æqualiter superius tractum est, omnes rationes, quæ pro opposita parte fiunt, possunt & aptè & congruenter solvi, & auctoritates quæ pro eadem parte adducuntur sine incurli hæresis ad alium sensum exponi. Secunda ratio sumitur à majori ad minus, sic Deus ex minoribus causis & motivis, quàm in proposito possunt allegari, invenitur communem legem naturalis cursus immutasse: sicut in faciendo cælum stare, in faciendo solem retrocedere; in non permettendo corpus Virginis incinerari, ut piè creditur, & Augustinus manifestè tradit in Sermone de ejus Assumptione; & in multis similibus, ubi non occurrebat tanta congruentia & decencia, sicut in proposito; ergo non videtur quomodo tam rigorosè legem communem propter prævaricationem positam Deus voluisset in Matre Filii sui sine dispensatione observari, cum & communis usus legis Christianorum habeat ut personæ egregiæ propter excellentiam earum à lege communi eximatur. Tertia ratio potest sumi ex supra præallegatis verbis B. Anselmi, quibus ait: Decuit ut Virgo, quam Deus Unigenito præparaverat in Matrem, ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi. Unde arguitur sic secundùm Philosophum in secundo de cælo & mundo; hoc solo privatur

Deus quòd non potest facere præteritum non esse præteritum; si igitur Beata Virgo semel fuerit originali infecta, nunquam poterit facere quod non fuerit infecta; & ideo quantumcumque Deus remiserit sibi culpam, semper tamen remanebat in ipsa Nota ista, quod fuerit aliquando peccato maculata; & illa nota, scilicet quod fuerit aliquando peccato subdita & Deo odiosa, est una indelebilis macula, & sic repugnat omnimodè tantæ puritati, quâ sub Deo non possit major intelligi, quia major est puritas nunquam peccatum habuisse, quam ex peccato jam deleto aliquam notam retinuisse. Et ergo, ut hæc benedicta Virgo esset juxta verbum Salomonis, *Tota pulchra*, & non esset in ea macula, possetque juxta præallegatum verbum nitere ea puritate, qua sub Deo major nequit intelligi, debuit ab originali pœnitens præservari. Quarta ratio ad idem potest sumi ex verbis Gamalielis in Actibus Apostolorum, dicentis: *Sinite, si ex Deo est, non poteritis resistere, sin autem, per se peribit*. Constat quod materia ista de Conceptione Beatæ Virginis quoad hoc, utrùm in originali vel sine originali facta est, jam non minus quadringentis annis apud Doctores Ecclesiæ ventilata ac pro & contra disputata sit; quantoque & quam fortes impugnatores opinio illa quod ab originali immunis servata sit, habuerit ex diversis Scripturis apparet. Unde, nisi ex Deo fuisset, tanto tempore contra tam fortes impugnatores defensa non fuisset, imò quanto plus impugnata fuit, tanto amplius in Ecclesia & cordibus fidelium crevit: quia ergo nec per se periit nec tam fortibus impugnatoribus dejecti potuit, videtur quod ex solo Deo fuit. Quantum ad secundam viam ostendendi propositum, scilicet ex rebus quibus Beata Virgo in sacra Scriptura præfiguratur. Possunt quidem multarum rerum naturæ & conditiones, quibus sacratissima Virgo præfigurata reperitur ad propositum adduci, sed quia, quæ dicta sunt, poterunt & meritò debent piis cordibus ad faciendam de proposito fidem sufficere, & quæ juxta secundam viam adduci possent, non valent pertinaciter renitentem convincere, sed tantùm bonæ voluntatis animum ad certius consentiendum proposito inclinare: ideo de multis rebus quarum nominibus Spiritus sanctus gloriosissimam Virginem in sacro eloquio honorari dignatus est; volo tantùm prosequi de quatuor, scilicet de myrrha, de rosa, de lilio & de aurora. Significatur igitur primo Virgo gloriosa per myrrham, Ecclesiast. 24. *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*; habet autem myrrha virtutem, quòd vermium putredinem tam à se quàm ab aliis putrefactibilibus prohibet; sic Virgo MARIA tanquam

quam odorifera myrrha in alios suam virtutem diffundens omnem infectivam concupiscentiam ab his, qui eam intuebantur, prohibuit, ac sola virtutis venustate, ut devotus Bernardus ait, etiam conceptam petulantiam in aliis mortificabat. Unde & Judæi dicunt, quòd cum MARIA pulcherrima fuit, à nullo unquam potuit concupisci; & ratio est, quia virtus suæ castitatis cunctos seam aspicientes penetrabat, & omnem ab eis concupiscentiam expellebat: ut autem electæ myrrhæ, juxta præallegatum verbum, comparari posset, non solum alia sed & proprium subjectum per concessam à Creatore sibi virtutem debuit ab infectione putredinis, præservari, quod nullatenus factum fuisset, si unquã à principio suæ conceptionis originalis delicti veneno infecta fuisset. Secundò figuratur Virgo Beata per Rosam Eccl. 24. *Quasi plantatio Rosa in lericho.* Rosa hanc præcipuam habet conditionem, quòd cum de vepribus & sentibus nascitur spinosis, nullum tamen ex eis contrahit aculeum: Spinæ nonnunquam in sacro eloquio significant peccatum. Unde Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo & in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua, Spinas & tribulos germinabit tibi;* Quod exponunt Doctores de terra carnis nostræ, quæ in originali peccato seminata concupiscentiarum nobis germinant Spinas & tribulos libidinum; sicut ergo inter spinas rosa nascitur & aculeum non contrahit, sic Virgo MARIA Rosa omnium Rosarum superans pulchritudinem, ut possit perfecta assimilatione Rosa dici, debuit de parentibus originali peccato infectis tanquam de vepribus nasci, ac inter tribulos & spinas libidinum concipi, & tamen ab aculeo originalis delicti aliena & immunis præservari, quod ut posse fieri humanus intellectus minus dubitet, Videmus qualiter castanæ fructus levis tactu & dulcis gustu inter asperam & per totum spinosam undique clausam corticem naturaliter concipitur & nutritur, & nullum tamen ex hoc asperitatis aculeum contrahit; si ergo hoc fit per naturam, cur difficile est credere de parentibus originali infectis concipi posse prolem, & eandem tanquam in Spinosa cortice materno nutriri utero, & tamen ab originali labe per gratiam posse præservari? eum enim in sua operatione efficacior sit gratiã quam natura, si natura quid poterit, gratia plus valebit. Tertiò figuratur Virgo Beatissima per Liliam inter spinas; Unde de ipsa dicit ipse speciosus formã præ filiis hominum, *Sicut Liliam inter spinas sic amica inter filias.* Liliam est flos candidissimus nullam in se habens permixtam maculã. Spinæ, ut dictum est, concupiscentiæ & libidinum designantur, aculeos in nostra carne ex originali peccati

sequela derelictos. Candidum igitur liliū inter spinas, figurat Immaculatæ Virginis animam in sua Conceptione corpori inter spinas & tribulos propagato libidinum unita, sed singulari privilegio à punctura originalis peccati illæsam servatam. Quarto figuratur Virgo gloriosa per auroram Cant. 6. *Quæ est ista, quæ procedit quasi aurora consurgens* Aurora autem secundum sui essentiam est splendor à radiis emanans solaribus, priusquã super nostrum emispherium oriatur, & habet illam conditionem, quod quam cecidit oriri ceperit, quotidie consurgit, & consurgendo crescit quotidie splendor ejus, ita quod nunquam redit ad occasum, sed oriente sole mox à radiis ejus excipitur, & in diem transformatur, nec est amplius aurora. Quæ conditio Conceptis in originali delicto omnino contrariatur, ita quod consurgenti auroræ convenienter comparari nequaquam possunt, Concepti quippè in originali postquam per creationem orti fuerint, non quotidie consurgunt sicut aurora, nec crescit in eis continuè iste splendor naturæ & gratiæ, sed oriendo occidunt, ita quod statim ut orti fuerint in tenebras originalis culpæ ruunt: Et ergo si Beatissima Virgo originalem maculam contraxisset, consurgenti auroræ nequaquam comparari posset, quia igitur Spiritus Sanctus ipsam consurgenti auroræ nomine dignatus est honorare, per hoc datur intelligi splendor indeficiens suæ Conceptionis, & quod ejus benedictissima anima aurora lucida in ortu suo fuerit à Deo in lumine gratiæ & splendore sanctorum creata, & quod nunquam exinde corruerit in occasum culpæ, sed quod de gratiâ in gratiam de virtute in virtutem, & splendore profecerit in splendorem; hujus consurgenti auroræ pulchritudinem, id est, Virginis Immaculatæ ob originali omnimoda immunitate, credo illum eximium Prophetarum David propheticis conspexisse oculis, quoniam proferens ultima verba, quæ locutus est, prout patet Secundo Reg. 23. dixit, *Sicut lux aurora oriente sole manet absque nubibus rutilat, & sicut pluvius germinat herba de terra;* non sunt credenda à magno vacare mysterio verba, quæ tam diligenter Scriptura commemorat, novissima Verba fuisse Prophetæ: Quod autem prædicta verba ad mysterium pertineant Incarnationis, qui præcedentia & sequentia legerit dubitare non poterit: ante ipsa verba præmittitur; dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob &c. post ipsa verba finita statim subjungitur; *nec est tanta domus mea*, id est, tanti meriti apud Deum, *ut pactum æternum inivet mecum*, scilicet de Christo nascituro de domo mea: Propheta quippè hoc non suis meritis,

sed divinæ bonitati asseribit, unde & subdit: *Cuncta enim salus mea* supple, dependet ab ipsa &c. Propheta igitur, quia ante & post immediatè de Christo commemorat, prædicta novissima Verba sua de ipso Christo narrasse dubium non est. Propheta enim in ultimis vitæ suæ postus, postquam de præteritis, scilicet pro sua liberatione à periculis, multas Deo reddidisset gratiarum actiones, componens ac canens Psalmum huic; *Diligam te Domine fortitudo mea* &c. ad futura, scilicet ad promissionem sibi factam de Christi incarnatione ex stirpe sua considerationis oculus videtur direxisse; & ut generationis tantæ ex stirpe sua prolis ante ipsius obitum sciret modum, qui de ipsa meruerat promissionem, prophætico Spiritu illuminatus à Deo, ut non solum Christi, sed & Matris Christi MARIE ortum, & nativitatem videret, volensque verbis exprimere, quod circa incarnationis mysterium agnoverat Spiritu, more eorum, qui per extasim, & per excessum devotionis in verba prorumpunt, totum mentis conceptum non exprimens, sed accurato sermone multa complectens, novissima sua verba protulit, dicens: *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque nubibus ruilat, & sicut pluvius germinat herba de terra;* In quibus verbis & Virginis MARIE in ortu suo ab originali immunitatem, & ejusdem quantum ad filium Virginealem partum designat: ipsa liquidem Virgo Beatissima ruilat, id est, splendet manè, hoc est, in principio sui esse, absque nubibus alicujus peccati, ad instar lucis auroræ, dum sol oritur secundum intellectum superius de aurora assignatum: Si enim Virgo Beatissima unquam aliquo instanti peccatum contraxisset, revera tenebris obscurata fuisset, nec nubibus manè caruisse dici posset. Hæc etiam Virgo splendidissima suum benedictissimum filium produxit, & genuit sicut germinat herba pluvius de terra; Terra enim, quæ de se est arida, non habet aptitudinem ad proferendum herbam, sed eam profert ex humore pluvie desuper descendente, sic Christus natus est de Virgine, profusa in eam plenitudine gratiæ, secundum illud Isaia: 4. *Rorate cæli desuper, & nubes pluviam justum, aperiantur terra & germinent Salvatorem.* Ecce, Venerabiles Patres, proposui Vobis, & etiam una vobiscum, ut eunquē potui, minus tamen re ipsa splendorem hujus consurgente auroræ, id est, Virginis gloriosæ pulchritudinem, & ab originali omnimodam immunitatem ut ad tantam resplendentiam sicut nostra terra spirituali jucunditate exurgamus, & lætemur; lætandi namque hodierna die specialem habemus occasionem & materiam, hodiè enim primordialis divinæ gratiæ miraculosus

culosus influxus pro reformatione & redemptione humani generis, ita ut non incongrue inter cæteras anni festiuitates hæc prima dici possit. Hodie aurora diei gratiæ incipit, in qua aues cantant, infirmi alleviantur, & feris animalibus nocendi audacia reprimitur. Aues, inquam, cantant, quia Spiritus cœlestes in ortu hujus Virginis exultant & gaudent. Infirmi alleviantur, quia peccatoribus æternam evadendi mortem in hac Virgine spes erigitur. Feris etiam animalibus nocendi audacia reprimitur, quia dæmones, quoties istam auroram, scilicet Beatam Virginem adesse conspiciunt, proculdubio formidare solent. *Job. 24. si subito apparuerit aurora, arbitrabuntur umbram mortis.* Ad tot igitur lætitiæ incitamenta gaudeamus Dulcissimi Fratres cum sorore nostra parvula, rogantes misericordissimum dominum, ut sicut eandem ne peccatum contraheret præservavit, per gratiam nos post lapsum erigere, & mundare dignetur per misericordiam, quatenus sic suâ misericordiâ mundati à peccati in præsentem, gloriam ab eodem consequamur in futuro. Per Dominum nostrum **JESUM** Christum, cui cum Patre & Spiritu Sancto, sit honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.





APPROBATIO

CENSORIS ORDINARIJ.

Licet hæc *Monumenta Antiqua Conceptionis, &c.* aliqua contineant, quæ modernis temporibus minimè probari possunt, utpotè tam contra Constitutiones Sixtinas, & Sacrum Concilium Tridentinum, quàm Bullas aliorum Summorum Pontificum : considerantes tamen, quòd ante tempora Sixti IV. & dictum Sac. Concilium Tridentinum, ac Bullas Summorum Pontificum postea emanatas omnes isti Tractatus scripserint, & maximè in Gallia, ac Germania, ubi tunc temporis Concilium Basileënsè usque ad sess. 36. quæ continet Decretum de Immaculata Conceptione, pro cœcumenico habitum fuerit, ut constat ex scriptis plurimorum authenticorum Doctorum. Cùm illa & alia sine totali deformitate istorum Tractatum castigari, aut expungi non poterant, quòdque pro tempore quo scripserunt, ea erant omninò currentia, ac sic inopinabilia : & si modò suos Tractatus ipsi ederent, indubiè tamquam boni Catholici, ac obedientes filii S. R. E. se aliquibus verbis
istis

istis retractarent , & corrigerent : ne tamen Res-
publica litteraria , & devoti Virginis clientes ran-
tâ eruditione , raris exemplis , & armis validissimis
careant , quibus de cætero catholicè abundant pro
Immaculata Deiparæ Conceptione defensanda ;
permittimus , præmissâ hâc cautelâ , lucem com-
munem aspiciant , saniora seligant , cautissime le-
gant , , ac deformia omninò rejiciant. Dabam Lo-
vanii die 8. mensis Decembris 1663.

*Antonius D'AVE, S. T. D. & Profes-
sor Primarius , necnon librorum Censor
Apostolicus , & Archiepisc. Mechliniensis.*

APPROBATIO ORDINIS.

L Vcem videre possunt Monumenta Antiqua Immaculatae Conceptionis Sacratissima Virginis Mariae, sub duobus Tomis novissimis, ex variis Sermonibus & Auctoribus, tam manuscriptis, quam olim impressis, sed qui propter raritatem vix reperiuntur, in unum collecta à R. A. P. Fr. Petro de Alva & Astorga, &c. accedente licentiâ Ordinarii, & quorum interest secundum Apostolicas sanctiones & Sac. Concil. Trid. Datum Romae die 10. mensis Maii, anno 1664.


Locus ✠ Sigilli

Fr. Michaël Angelus de Sambuca,
Minister Generalis.

Fr. Christophorus de Chaves,
Secret. Gener. Ordinis.











2.011 (I-II)